JOHANNIS COCCEI
IN ACAD. LUGD. BATAV. S. THEOL.
PROFESSORIS

COGITATIONES
DE
APOCALYPSI
S. JOHANNIS
THEOLOGI.

LUGDUNI BATAVORUM,
Ex Officinâ CORNELII DRIEHUYSEN.
cIↃ IↃ C LXV.

LECTOR BENEVOLE.

QUi Scripturas legunt & meditantur, non possunt non incidere in prophetias & promissiones. Hæ faciunt spem: illæ etiam monent, & vias Dei, quas tenet in omni tempore, ostendunt. in quibus recti ambulant, improbi, h.e. qui in damnatione & corruptione manent per infidelitatem, offenduntur. Et de prophetiis promissio est, quòd *animum advertentes intellecturi sint*; ut de *improbis* (quos *Deus hujus mundi occæcat*) prædicitur, eos *non intellecturos*. Dan. 12: 10. Et mihi quidem ita videtur, si quis credat Euangelio, & suam prudentiam abneget ac concupiscentias deponat, eum habere *clavim* ad intelligendas omnes prophetias. Novit enim Christum & justitiam Dei

& regnum ejus & bona regni. Quæ quum novit, non poteſt ignorare, quæ verba, ſive propria, ſive metaphorica, ſint apta, ad illa ſignificandum. Et, ut de parabolis, metaphoris, allegoriis & ænigmatibus, quid ſentiam, explicem; longè aliter animatus ſum, quàm ut, cum multis, accuſem Scripturæ, propter parabolas & ænigmata, obſcuritatem, & putem, niſi Elias denuò de cœlo mittatur, ea intelligi non poſſe. Fateor, ea flagitare ἔφεσιν & προσοχὴν & σύγκρισιν, hoc eſt, ut lector ſubſiſtat, animum advertat, & lecta cum aliis Dei verbis & cum operibus ejus comparet. Sed nego, Deum non cum ſuis egiſſe benignè, non docuiſſe eos cum quadam συγκαταβάσει & ad captum ipſorum ſe accommodaſſe. Quod ſi non ita ſe haberet, non rectè ſtuporis accuſaret & duri cordis illos, qui dicta ſua non intelligunt. Quemadmodum Chriſtus etiam tum, quando in carne venit, Judæos ſui temporis accuſavit. Ab initio locutus eſt Deus in ænigmate. *Semen mulieris conteret caput Serpentis.* Id enim valet, Sanctificator hominis factus caro ex ſanguine mulieris adimet omnem poteſtatem illi, qui per ſerpentem locutus eſt & Evam ſeduxit; & juſtitiam adducet. Id intellexit Adam, intellexerunt omnes, quibus Deus dedit oculos illuminatos ad videndum, &

volun-

voluntatem Deo gloriam dandi. Sed vani homines & apud se prudentes ne nunc quidem intelligunt, maluntque, Deum nugatum videri, quàm ei gloriam dare, etiam, postquam ipsa imago rei, per prophetias multis modis depicta, apparuit & prædicata est. Ita quum Deus ab initio locutus sit, & porrò Israëlitas per figuras docuerit, non possunt homines infatuati à Satana & in profunditatibus ejus ingenioſi ægrè ferre, quod fideles de viis suis erudiat per parabolas. Quarum intelligentia ipsis non est obscura: nisi jam, contra omnium hominum sententiam, dicamus, similitudines non illustrare, sed obscurare. Et (ut hîc, ubi de parabolarum claritate loquimur, à similitudine non abstineamus) cum parabolis ita comparatum est, ut cum picturis rudibus, quas pueri sæpe in parietibus pingunt carbone, rubrica vel creta. Canes, porcos, equos, cervos, homines, viros, mulieres, milites, rusticos, reges, domos, naves, patibula, Solem, Lunam, & nescio quid non, pingunt. Fingamus, aliquem hominem nunquam talia vidisse, & repentè tales picturas videre: si non simul rem videat, nihil intelliget; si eodem tempore rem præsentem cernat, nihil ignorabit; quemadmodum & pueri talia sine negocio distinguunt. Ita, qui non habet rectas sed perversas cogitationes

nes de Deo, de juſtitia, de lege, de judicio, de merito, de Chriſto, de regno Dei, parabolas de iis loquentes non intelligit: at, qui diſcipulus factus eſt ad regnum cœlorum, etiam parvulus, facilè eas intelligit: ſaltem, ſi quis peritior rem juxta parabolam oſtendat. Hac ratione effectum eſt, ut is ſermo: *Semen mulieris conteret tibi caput, tu ipſi conteres calcaneum:* etiam parvulis in Chriſto non ſit amplius ænigma, ſed clarus ſermo. Quid impedit, quo minus & cæteræ parabolæ Scripturarum per comparationem Euangelii cum promiſſione, & hiſtoriæ cum vaticiniis præcedentibus, illuminante oculos Deo, poſſint fieri æquè perſpicua & clara oratio? Quod ſi nolumus, quotam partem prophetiæ non dicemus inutilem? & annon malignum doctorem vocabimus eum, qui loquitur? qui tamen teſtatur, ſe loqui tanquam pueris. Eſ. 28: 10. Ego, Lector benigne, dum Deus mihi vitam prorogat, quod debeo, facio. Cogitationes meas de Apocalypſi, cui concordant omnes etiam Veteris Teſtamenti prophetiæ, nunc tecum communico, quas juvenis inchoaram, uſque ad ſenium ex animo non depoſui. Tuum erit eas in timore Domini examinare. Certum mihi eſt, nihil in eis eſſe, quod amatorem veritatis offendere poſſit; aut etiam illos, qui amant regnum,

gnum, quod Apocalypsis *Bestiam* vocat. Nam, si obscurum est aut falsum, id esse regnum Bestiæ, in quo homines ideò quædam loquuntur & faciunt, quia homines aut multi aut eminentes in mundo aut episcoporum nomen habentes, aut succedentes, in officio docendi, in loco, in quo aliquando Apostolus, sive Petrus sive Paulus, docuit, ea dicenda faciendaque præcipiunt, nescientes interim, an Deus ea doceat; si revera id regnum est Christi regnum: non irascentur; sed potiùs demonstrabunt nobis, colores regni Christi in eo, quod ipsi probant, esse, & notas *Bestiæ* in eo non esse, ut nos in viam reducant: quemadmodum nos non irascimur, quòd nos hæreticos dicunt, neque eos occidimus, quia nobis errare videntur, sed eos miseramur, & per Scripturas ac demonstrationem veritatis ab interitu conamur revocare. Si pergunt irasci, & obscuritatem prophetiæ accusare, nosque arrogantes dicere, qui eam vel in parte putemus nos intelligere: sciant, suo ipsorum ore se damnatos, qui timorem audendi quicquam præter verbum Dei, (ad quod addere & à quo detrahere Spiritus sub pœna gravissima vetat) ac nominandi nomen humanum, recipiendique legem non-Dei tanquam Dei, & inprimis fidem in Christum ex vocibus Spiritus conceptam

morte

morte vindicant. Hoc enim est, quod hic liber unicè docet; qui id faciunt, & pro ὑποταγῇ τῆς ὁμολογίας εἰς τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Χριστοῦ *subjectione adstipulationis in annunciationem Christi* habent & flagitant πειθαρχίαν τὴν οὐκ ἐκ τοῦ καλοῦντος ὄντως, *obedientiam, quæ non est ex VOCANTE ipsos Deo*, non esse justos, non esse ECCLESIAM DEI VIVI, hoc est, concionem accedentium ad Deum, non τὴν κλῆσιν sive *sanctos vocatos in communionem Christi.* De cætero, si quid in his est, quod conscientia approbet, sive idem alius ante nos dixerit, sive non; quod fortasse non multum erit: Deus laudandus est, qui Ecclesiam suam donis suis non cessat dignari: si quid est, quod non satisfaciat, speramus, Deum aliis daturum oculos, ut videant, & charitatem, ut, quod nobis adhuc deest, commemorandis iis, quæ Deus ipsis vel per Scripturas vel per res factas aliquando revelaverit, velint supplere. Scribebam Lugduni a. d. 12. Junii 1665. Quo die in funestissimo fœdissimoque bello classes fraternæ in procinctu stabant, ut *manus populi sancti* satis confracta ampliùs *conquassaretur.*

JOHANNES COCCEJUS.

PRO-

PROLEGOMENA IN APOCALYPSIN S. JOHANNIS.

PROPHETIA est quasi rerum futurarum historia. Quæ non nisi à spiritu Dei proficiscitur, adeoque est insigne argumentum divinitatis scripturarum: quæ plurimas prophetias continent; imo quæ fundamentalem doctrinam & necessarium fidei objectum prophetiis intertexuerunt. quippe id in promissionibus Veteris Testamenti continetur: promissiones autem pars prophetiæ sunt. Ideo Petrus 2 epist. 1. vers. 19. 20. 21. τ προφητικὸν λόγον, *propheticum sermonem*, & προφητείαν γραφῆς, *prophetiam Scripturæ*, constituit firmissimum fidei principium; ejusque utilitatem, lucem claram in cordibus orientem, instar diei; & attentionem ad illam collaudat, &, quomodo in illa scrutanda versari debeamus, ostendit. Qui etiam testatur 1. epist. 1. vers. 10 12. prophetas loquutos esse *de salvatione*, &, quæ loquuti sunt, usibus nostris præparasse, & ipsos inquisivisse & *scrutatos esse*, *in quod & quale tempus* (hoc est, in quantam distantiam temporis & in quas circumstantias,) *ostenderet spiritus Christi*, *qui in ipsis erat*, *Christi passiones & sequuturas glorias*. Unde facilè objectum prophetiæ cognosci potest: de quo etiam est Apoc. 19. vers. 10. *Testimonium Jesu est spiritus prophetiæ*. Item Act. 3. vers. 21. 24. *Usque ad tempus repræsentationis omnium*, *quæ locutus est Deus per os omnium sanctorum suorum prophetarum à seculo. Moses enim quidem dixit ad patres: Prophetam vobis excitabit Dominus Deus vester ex fratribus vestris*, *ut me. Illum audietis secundùm omnia*, *quæ loquetur ad vos. Erit autem*, *omnis anima*, *quæ non auscultaverit Prophetam*

illum, exterminabitur ex populo. Et omnes verò prophetæ à Samuel & sequentibus, quotquot locuti sunt, etiam prænunciarunt dies hos. In quibus diebus etiam comprehenduntur *tempora refrigerii*; & sequens adventus Domini. De quibus loquitur vers. 19. 20. *Resipiscite igitur & convertimini, ut deleantur vestra peccata; ut veniant tempora refrigerii à facie Domini, & mittat antè prædicatum vobis Jesum Christum*, hoc est, Jesum, quem ante adventum ejus vobis prædicari oportet Christum. Hoc igitur incentivo excitati constituamus quasdam regulas, quas, meditantes prophetiam, semper ob oculos habeamus, ut in bona conscientia meditatione illa fungamur.

I. Necessaria semper est meditatio prophetiæ, 1. quia in ea continetur fidei objectum, quod est aliquid *non visum* & aliquid *speratum*, Heb 11. vers. 1. 2. Quia mandatum Dei exstat, ut illas audiamus & scrutemur. 3. Quia per illas Christus debuit cognosci, quippe qui à cæcis hominibus, tametsi esset lux, non nisi per verbum Mosis & Prophetarum pro Christo agnosci potuerit, tum ratione eorum, quæ fecit, quòd in illis peccatum non esset, & quòd opera per ipsum facta essent opera divinæ potentiæ, non ad tentandum Israëlem, sed ad demonstrandum servatorem, comparata; tum ratione eorum, quæ dixit. Oportuit enim ipsum dicere audita, quia *Moses erat testis Dei fidelis in tota domo ejus, in testimonium dicendorum postea*, Heb. 3. vers. 5. &, quia nihil addi ad ea, quæ dixerat, & ab iis nihil detrahi debebat. Deut. 4. & 12. Moses debebat fieri judex incredulorum, & nominatim canticum ipsius debebat fieri testis in ore ipsorum contra ipsos, Deut. 31. vers. 19. Imo per circumcisionem cordis promissam efficiendum erat, ut Israëlitæ, convertentes se ad Deum, illum amarent, & facerent ea, quæ scripta erant in libro legis Mosis, Deut. 30: vers. 6. Exod. 34. vers. 27. 4. Quia Christus Judæos, ad quos venit, damnat, ut stupidos, socordes & *sermonem Dei non habentes in se*, quòd *ipsi non crederent, quem Deus misérat*,

miserat, neque *signa temporis probarent* atque animadverterent, Matth. 16. vers. 3. Luc. 12. vers. 56. Sunt autem *signa temporis* facta Dei & eventa, quibus cognoscitur, quidnam de verbo Dei impletum sit & quantum supersit implendum, & ad qualem visitationem se debeat homo præparare. 5. Quia magno constitit Judæis hæc socordia. Nam per illam factum est, ut non crederent & opus Dei etiam videntes non viderent, Es. 5: 19. & 6:9. Hab. 1. vers. 5. Act. 28. vers. 26. & sic indurarentur, & *in stupentes atque induratos severitas destillaret*, Dan. 9. vers. 27. Quod si autem Judæi, apud quos cæperunt impleri verba Dei, in tantam iram inciderunt per socordiam, quid fiet de nobis, si etiam post sexdecim secula non magis probemus tempora, quàm Judæi, & nesciamus Euangelii veritatem ex scripturis propheticis comprobare, & Christum Regem, & Regnum ipsius ejusque administrationem demonstrare, &, ignorantes divinum consilium & tempus visitationis nostræ, interim simus *prudentes apud nosmet ipsos*, & ea agamus, quæ non oportebat, & sic in judicium incidamus, in quod descripti sunt stupidi simul & αὐθάδεις ac τολμηταὶ, *audaces & temerarii*?

II. Prophetia est ἀποκάλυψις sive *revelatio*. Ideo non est verum, vel ad intelligendam prophetiam opus esse spiritu prophetico, in eo sensu, quasi intelligi non possit absque nova revelatione, quæ sine verbo fiat, quemadmodum prophetæ illam acceperunt: vel, prophetiam esse privatæ resolutionis, 2 Petr. 1. vers. 20. id est, esse certi cujusdam hominis tanquam interpretis necessarii, qui illam acceperit ut solus propheta & qui illam tradat ἀναποδείκτως, cui parere necesse sit.

III In Prophetiæ meditatione versandum est sobriè, id est sine præjudicio & concupiscentia. Nam, si homo in cor suum admiserit sua stercora, & tunc veniat, ut consulat Deum in scriptura loquentem, sive ad verbum propheticum, Deus *respondebit ipsi secundum sua stercora*, hoc est, talis homo non poterit non abuti verbo Dei, & illud torquere secundum

propriam concupiſcentiam. Vide Ezech. 14. Hinc fit, ut plurimi, etiam habentes & legentes prophetiam, ſe præcipitent in judicium, quod de ipſis ibi ſcriptum eſt. ut Judæi & Papiſtæ. Ut autem ſobria ſit meditatio, neceſſe eſt, ne quid addamus vel detrahamus iis, quæ ſcripta ſunt Plerumq; enim Deus de futuris loquitur indefinitè, ita ut momenta temporum, locos, perſonas, aliaſque circumſtantias, & rerum ſpecies poſuerit in ſua poteſtate; aliquando figuris utitur & typis, ſive vocibus, quæ ſunt figurarum & typorum. In iis lectoris eſt eam generalitatem retinere, ne vel verbis aliquid adjiciatur à Deo non dictum, vel à ſenſu detrahatur. Atque hoc obſervandum eſt in iis, quæ nondũ impleta ſunt. Non tamen obſtat hoc, quo minus, quæ dicuntur indefinitius, poſſimus certis eventis, tanquam exemplis, accommodare, &, de iis hoc ſcriptum eſſe, ſi non in ſpecie, ſaltem in genere, tutò affirmare; nempe ſi eventus nulla in parte prædictioni generali refragetur. Nam, qui velit negare, prophetiam certis eventis, quibus verba prophetiæ aptiſſime conveniunt, tuto poſſe accommodari; is neceſſe eſt, ut ſtatuat, prophetiam inutilem eſſe, & nec de Jeſu Chriſto, nec de Antichriſto, neque de Regno utriuſque, neque de fidelibus dici poſſe, quæ ſcripta ſunt, de iis ſcripta eſſe. Deniq; efficietur, ut verba ſpiritus ſancti ſignificent id, quod non ſignificant, hoc eſt, id nobis tanquam pictura aliqua oſtendant, quod ſpiritus ſanctus non voluit per ea verba cognoſci & dijudicari. Hinc patet, lectorem debere diligenter diſtinguere inter ea, quæ jam impleta ſunt, & illa, quæ adhuc implenda ſunt; atque ea propter per certa ſigna ſuum tempus, & viſitationem ſuam in prophetiis recognoſcere.

§ V. Interpretatio prophetiæ ſit *ſecundum analogiam fidei*. Rom. 12. verſ. 6. id eſt, quod de myſterio ſalutis, fœdere Dei, ex Dei ſolius revelatione credimus, quodque ex prophetiis Veteris & Novi Teſtamenti de myſterio gubernationis Dei per illarum comparationem & eventa didicimus: ut ab iis procedat meditatio ad reliqua, & ſententia conformis pro-

proferatur, sine ulla detorsione verborum & phrasium, sed ut in illis quoque usus scripturarum & analogia sermonis illarum cernatur.

V. Quum prophetiæ quædam partes, in generali suo conceptu, videantur diversis posse accommodari subjectis: non sunt judicandi dissentire, qui subjectis aliis atque aliis, dummodo similibus, & ad idem genus pertinentibus, eas partes applicant. Licet enim in tali differentia non obtineatur omnis usus prophetiæ, nempe ut, cognita integra prophetiæ historia, evidenter prophetiæ veritas in omnibus partibus cognoscatur, & secundum illa judicium Dei, sive ejus in scripturis edita sententia, de Christo, justitia Dei, Regno Christi & Antichristi, & de controversiis ecclesiam turbantibus, sic audiatur & percipiatur, ut adversarii vix possint obloqui: tamen aliquis usus prophetiæ hinc percipitur; quatenus per eam hominum genera & familiæ diversæ distinguuntur.

VI. Ut autem ad historiam prophetiæ perveniamus, quò dicere possimus, quousque prophetiæ sint impletæ, necesse est certa signa animadvertere, quæ pro *signis temporis* possint haberi: ut, quid primum, secundum, tertium in Regno Christi sit, vel, quid primum, secundum, tertium antecedat Christi adventum, & cum quo signo Christi adventus conjunctus sit. His signis animadversis, ea, quæ generaliorem conceptum gignunt, & specialioribus interjunguntur, quæ & cujus temporis eventa in isto ordine significent, facile apparebit. Sunt autem etiam aliæ pericopæ propheticæ, quæ similiter principium & finem per intermedia conjungunt: & illæ pericopæ, quæ totum tempus in certas partes distribuunt, præbebunt canonem ad reliquarum prophetiarum intelligentiam. Qualem canonem non unum in ultimis Mosis demonstravimus.

VII. Necessaria est plurium prophetiarum conjunctio & conformis explicatio, tum ad canonis prophetici firmitudinem, tum ad singulorum temporum pleniorem descriptionem. Una enim prophetia alteri succenturiatur, quodque

una clarius & pluribus partibus, hoc altera brevius & quasi in compendio ad faciliorem distinctionem & ad memoriam firmiorem dicit. Rursus, quod in una dicitur brevibus, hoc in altera dicitur pluribus; quod in una figurate, in altera proprie, quum una habet definitum, altera habet definitionem, quum una habet genus, altera habet species, & similiter: quæ conformitas dici non potest quantopere fidem roboret & animum tranquillet. Impossibile quippe est, ut ex veris principiis in depravationem scripturæ per sensum omnibus partibus convenientem aberretur. Sed, qui plura de his postulet, eum rogamus, ut Præfationem nostram ad Dodecapropheton dignetur legere.

VIII. Apocalypsis intelligendæ studium propterea debet nobis esse commendatum, quia per eam prophetiæ V.T. quæ partim loquuntur de rebus Veteris, partim de rebus Novi Testamenti, quatenus ad hoc vel illud tempus pertinent, illustrantur; dumque vocibus & emblematibus ex prophetia Veteris Testamenti petitis utitur, & tempora Novi Testamenti in particulas dividit, nobis aditum prophetiarum Veteris Testamenti refert, ut in iis plenissimam explicationem eorum, quæ ipsa designat, vestigemus.

Nobis non videtur necessarium, quæ à doctis viris de scriptore hujus libri & de libri auctoritate dicta sunt, repetere. Si scrutemur hujus libri prophetias easque cum scripturis comparemus & cum eis, quæ evenerunt, ni fallor, comperiemus, hæc citra Spiritus sancti dictationem non potuisse scribi, neque vanum esse eum Johannem, qui se illa vidisse atque audivisse testatur, & Johanne Christi discipulo, quem diligebat, dignam esse revelationem hanc, & cùm causam fuisse, quare spiritus Antichristi nollet videri hunc librum Johannis Apostoli, tum causam fuisse, quare toties nomen suum inculcaret scriptor & testis harum visionum, seque eundem illum notum Johannem, qui in tribus epistolis Antichristo se opposuit, esse testaretur.

APO-

APOCALYPSIS S. JOHANNIS, ΤΟΥ ΘΕΟΛΟΓΟΥ.

CAPUT I.

1. ΑΠΟΚΑΛΥΨΙΣ Ἰησοῦ Χριστοῦ, ἣν ἔδωκεν αὐτῷ ὁ Θεὸς δεῖξαι τοῖς δούλοις αὐτοῦ ἃ δεῖ γενέσθαι ἐν τάχει· καὶ ἐσήμανεν ἀποστείλας διὰ τοῦ ἀγγέλου αὐτοῦ τῷ δούλῳ αὐτοῦ Ἰωάννῃ·

2. Ὃς ἐμαρτύρησε τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ, καὶ τὴν μαρτυρίαν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὅσα τε εἶδε.

3. Μακάριος ὁ ἀναγινώσκων, καὶ οἱ ἀκούοντες τοὺς λόγους τῆς προφητείας, καὶ τηροῦντες τὰ ἐν αὐτῇ γεγραμμένα· ὁ γὰρ καιρὸς ἐγγύς.

VERS. 1. REVELATIO *Iesu Christi, quam dedit ei Deus demonstrare servis suis: quæ oportet fieri celeriter: & significavit mittens per angelum suum servo suo Ioanni;*

2. *Qui testatus est sermonem Dei & testimonium Iesu, & quæ vidit.*

3. *Beatus, qui legit, & qui audiunt sermones prophetiæ, & servant, quæ in eâ scripta sunt. Nam tempus prope abest.*

IN his est libri inscriptio, docens genus sermonis, ejusque causam immediate operantem, & causam primam, nempe *quod Deus dederit filio hanc revelationem ostendere*: hoc est, quod Christo ut capiti ecclesiæ propter meritum ipsius, ad illius bonum, gratia Patris & decreto, partes illæ sint assignatæ, & tanquam jure postulanti concessum, ut hanc revelationem patefaceret. Deinde finis cui, *servis suis*, hoc est, fidelibus. Vide Dan. 12:10. *Et improbè agent improbi, & non intelligent; sed considerantes (οἱ συνιέντες) intelligent.* Voluit Deus à timentibus se & facientibus voluntatem suam cognosci, quid ipse faceret, ut in viis suis certiùs & constantiùs ambularent. Et objectum: *quæ oportet fieri celeriter.* Erant hæc etiam in prophetia Veteris Testamenti indicata: sed, quia jam instabat tempus, voluit etiam distinctiùs & clariùs ea, quæ imminebant, significari; ne imparati opprimerentur servi Dei, & ut omnis demeretur excusatio illis, qui in judicium Dei erant casuri. Actus gratiosus Christi & exsecutio ejus, quod Pater ei dedit, est, quod *significavit*, h. e. clarè explicavit & per verba ac visa fecit considerantibus cognoscibilia, quæ futura erant. Instrumentum est *Angelus missus* ad *Johannem*, & *Johannes*. Qui describitur *servus ipsius*, lectus & emtus ad serviendum ipsi & ei soli serviens; quippe qui functus illo ministerio per *testificationem*

ficationem sermonis Dei (quatenus explicavit, quod Deus, secundum promissionem, loquutus est per Christum) & *testimonium Jesu Christi*, quatenus, Jesum esse Christum, demonstravit, &, ejus præcepta retinenda, Antichristum verò fugiendum, testatus est, &, per *testificationem eorum*, *quæ vidit*. In Euangelio Johannes egit primum: in epistolis alterum: in Apocalypsi tertium. Vocatur hic Johannes ὁ θεολόγος. Non tantùm, puto, quia verbum Dei loquutus est, vel Deum loquutus est, ut omnes Apostoli, sed, quia inter cæteros Apostolos clarissimè & in ipso initio Euangelii filium Dei unigenitum θεὸν ἐλεξε *Deum dixit* & nominavit. Adjicitur adhortatio ad lectionem, auscultationem & observantiam vel retentionem eorum, quæ hic scripta sunt, tum à fructu beatitudinis, tum à propinquitate temporis ducta. Quædam in hac prophetia sunt, quæ exstabant; quædam imminebant, non interruptâ serie ita eventura, donec omnia implerentur. Initio dixit: *quæ oportet fieri citò*. Attamen in illis, quæ vidit, continentur etiam, quæ jam tum erant. ut vers. 19. dicit, ἃ εἰσι, καὶ ἃ μέλλει γίνεσθαι μετὰ ταῦτα. *Quæ sunt, &, quæ futura sunt post hæc*. Propriè ἀποκάλυψις *revelatio* pertinet ad ea, quæ nondum facta erant; & hæc potissimùm spectabat revelatio: sed ea ostendit cum suis initiis jam extantibus connexa, ne lector dubius hæreret, quando ea futura essent, & quis rerum ordo esset. Cæterum hæc definitio ostendit, *revelationem* hanc non esse revelationem novam Euangelii, ut nondum revelati; sed clariorem indicationem eorum, quæ futura erant eo tempore, quod jam inceperat currere; quod erat tempus regni Christi.

4. Ἰωάννης ταῖς ἑπτὰ ἐκκλησίαις ταῖς ἐν τῇ Ἀσίᾳ· χάρις ὑμῖν καὶ εἰρήνη ἀπὸ ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν καὶ ὁ ἐρχόμενος· καὶ ἀπὸ τῶν ἑπτὰ πνευμάτων, ἃ ἐνώπιον τοῦ θρόνου αὐτοῦ.

5. Καὶ ἀπὸ Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὁ μάρτυς ὁ πιστὸς, ὁ πρωτότοκος ἐκ τῶν νεκρῶν, καὶ ὁ ἄρχων τῶν βασιλέων τῆς γῆς· τῷ ἀγαπήσαντι ἡμᾶς, καὶ λύσαντι ἡμᾶς ἀπὸ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν ἐν τῷ αἵματι αὐτοῦ,

6. Καὶ ἐποίησεν ἡμᾶς βασιλεῖς καὶ ἱερεῖς τῷ Θεῷ καὶ πατρὶ αὐτοῦ· αὐτῷ ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων· ἀμήν.

VERS. 4. *Ioannes septem Ecclesiis, quæ sunt in Asia. Gratia vobis & pax ab eo, qui est, & erat, & venit: & à septem spiritibus, qui sunt coram throno ejus:*

5. *Et à Jesu Christo, teste illo fideli, primogenito ex mortuis, & principe regum terræ. Qui dilexit nos & lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo,*

6. *Et fecit nos reges & sacerdotes Deo & patri suo: ipsi gloria & imperium in secula seculorum. Amen.*

Est Johannis subscriptio, & hujus libri inscriptio ad septem ecclesias Asiæ, cum voto sive salutatione. Quod ad inscriptionem attinet, rectè censemus, Johannem fecisse septem illas ecclesias, cap. 2 & 3 nominatas, depositarias hujus libri, ut per eas custodiretur, & ad omnes Christianos proferretur.

Sed

Sed &, quia ex consequentibus apparet, septem eas ecclesias figuram esse universalis ecclesiæ, in distinctis temporibus, usque ad regnum, quod Christus habebit in mundo, *destructis corruptoribus terræ* (Apoc. 11: vers. 15,18.) propagandæ; sub hoc nomine intelligimus totam ecclesiam, per hanc figuram significatam. In primis, quia hæc salutatio non pertinet tantum ad septem epistolas, & eos, ad quos illæ scribuntur nominatim, sed ad eos, quibus destinata est tota revelatio. Arethas. Διὰ τ ἑπτὰ ἐκκλησιῶν καὶ τ ἑβδομαδικ ἀριθμ τὸ τ ἁπανταχῆ ἐκκλησιῶν ἐσήμανε πλῆθ@ τ τῷ παρόντι βίῳ συσέχων, &c. Primasius. *Id est omnes Ecclesiæ septiformes.* An in septem illis particularibus Ecclesiis Asiaticis talia contigerint, qualia hæ epistolæ significant, quis potest dicere? Quare, si non nisi temere dici potest, epistolas loqui de rebus septem illarum Ecclesiarum; non nisi præfractè negari potest, per earum nomina intelligi Ecclesiam orbis in distinctis temporibus, ut locorum differentia ænigmaticè temporum differentiam significet: quum apertum sit, de iis, quæ in Ecclesia Christiana hucusque facta sunt, quæ Spiritus in epistolis dicit, aptissimè potuisse dici. Christus an tantùm ambulat inter septem Ecclesias? Quòd si Christus in omnibus Ecclesiis adest, quare non septem Ecclesiæ erunt Ecclesiæ totius temporis Novi Testamenti? Item, an Christus tantùm septem stellas tenet manu, episcopos Ecclesiarum septem? & apud unam Ecclesiam voluit denominari inde, quòd teneat septem stellas manu sua; & non potiùs ubique vult innotescere, ut is, qui omnium Ecclesiarum nuncios in manu habet, & omnes nuncios in septem ordines distinxit? Ita Spiritus numquid est spiritus tantùm septem Ecclesiarum in Asia particularium, & ab iis denominari nobis voluit? Sed c. 5: 6. dicuntur *septem hi spiritus missi in totam terram.* Quum Christus dicat Johanni statim ante dictationem harum epistolarum, se ei dictaturum etiam, *quæ post deinde debeant fieri:* quo argumento adstruemus, in tribus capitibus nulla futura contineri? Denique quomodo non dabitur ansa Judæis aut contemtoribus prophetiæ hoc propheticum scriptum abjiciendi, si dicamus, epistolarum septem res includi septem locorum Ecclesiis; quum ea, quæ iis Ecclesiis evenerunt, non appareant in his epistolis scripta; at ea, quæ non evenerunt, in iis videantur scripta? Thyatirensi Ecclesiæ promittitur phosphorus. Quis phosphorus Asiaticis Ecclesiis ortus est? An Sarracenorum & Turcarum dominatio earum phosphorus est? Qui Sardibus cum Christo ambularunt amicti albis? Philadelphensium quæ notabilis conservatio est ex tentatione totius habitabilis? Sed de talibus in ipsarum epistolarum lectione & tractatione meliùs judicabitur. In saluratione notanda est nominatio personarum, quas invocat. Quæ tres sunt, primò, *qui est, erat, & venit.* In modo loquendi observa Hebraismum. Participia Græca usurpat,

ut ἅπλωτα, & præpoſito articulo declinat, ſive certi caſus eſſe facit. Sic verſ. 5. ὁ μάρτυς nominativus jungitur cum præcedenti genitivo. Sic Luc. 22: verſ. 20. τὸ ἐκχυνόμενον convenit cum αἷμα. Similia alibi. Non dubito, quin Euſebius hanc figuram orationis appellaverit σολοικισμόν. Quaſi vitium ſit ita loqui, & non venuſtas. Et Arethas aliquid ſubintelligit, ut σολοικισμὸν corrigat. Hebraiſmus etiam eſt verſ. 6. ubi ᾧ ἐποίησεν ἡμᾶς per ellipſin uſitatiſſimam relativi dicitur. Patri deſcriptionem illam attribuendam eſſe, ex diſtinctione duarum perſonarum liquet. Deſcriptio illa ſignificat id, quod in vi nominis יהוה *Jehovah* continetur. Quod nomen notat eum, *qui eſt, & fit, quod eſt.* Nec tantùm notat æternitatem, aut immutabilitatem; ſed potiùs manifeſtationem ſui, ut ſanctificatoris hominum per gratiam: quæ manifeſtatio tria præcipuè habet tempora; nempe tempus promiſſionis, tempus exhibitionis Chriſti cum initio regni, tempus regni conſummati. *Eſſe* dicitur, quando ſe homini manifeſtat: ita *fuiſſe, venire.* Notandum verò eſt, quod in omni tempore ſe manifeſtet eundem. Confer Rom. 3. verſ. 30. Quia Patri hoc elogium attribuitur, accipiendum eſt, ut propriè convenit Patri. Quemadmodum τὸ *ex quo omnia* Patri proprium datur 1 Cor. 8: 6. *Nobis unus Deus, Pater, ex quo omnia, & nos ad ipſum.* Nempe ita *ex Patre* ſunt *omnia*, ut etiam *Filius* ex ipſo ſit, non creatione, ſed generatione. Ita & hoc loco, *qui eſt, qui erat, & qui venit*, notat Patrem, qui & tunc ſe manifeſtabat prædicatione Euangelii de Filio ſuo, & antea ſe manifeſtaverat verbo promiſſionis & factis ei conſentaneis; & venit, ſive qui ſe manifeſtaturus erat adhuc impoſterum, non tantùm in die judicii, ſed etiam iis, quæ in hoc libro deſcribuntur; quæ omnia ſunt anteambulones τῆς παρουσίας αὐτοῦ, ſive potius ad adventum ipſius pertinent; non aliter atque diluculum pertinet ad ortum ſolis. Secunda perſona, in ordine, quem ſervat Johannes, eſt Spiritus. Simplex ratio eſt, quia de *Filio* erat plura dicturus, & in ejus δοξολογίᾳ ſalutationem finiturus. Et alioqui, per hoc, quod Johannes de ſpiritu prædicat, quod eſt, *eſſe coram throno Dei*, aſſurgimus ad cognoſcendum, quòd per Chriſtum nobis donatus ſit. Non audemus, non licet dicere, Johannem à miniſtris *gratiam & pacem* Eccleſiis petiviſſe. Nihil officere cap. 5: verſ. 6. ejus interpretatio oſtendet. Imò is confirmat noſtram explicationem: quæ meritò à pluribus eſt approbata. Dicit *ſeptem ſpiritus*, licet ſit unus ſpiritus. Vide 1 Cor. 12. vers 4, 8, 9, 11. Eſt hic modus loquendi talis, qualis is, quo dicitur *ſpiritus ſapientiæ, prudentiæ, conſilii, fortitudinis* &c. &, quo dicitur *de ſpiritu*, vel *partem ſpiritus* Deus *ponere ſuper aliquo*; item πνεύματα προφητῶν 1 Cor. 14. verſ. 32. Nempe à varia unius ſpiritus manifeſtatione in ſeptem Eccleſiis idem ſpiritus vocatur *ſeptem ſpiritus*, quaſi variatio doni & operationis ſpiritum variaret; aut ſingularum Eccleſiarum ſuus eſſet ſpiritus:

qui

qui in varia demonſtratione iis, quibus datur, pariter eſt παράκλητος: quod notatur, per *eſſe coram throno Dei.* conf. Rom. 8. verſ. 26, 27. Ergo *ſeptem ſpiritus*, non quòd ſit ſeptem particularium Eccleſiarum ſpiritus, ſed, quia ſeptem Eccleſiæ ſignificant totam Eccleſiam in ſeptem formis. Non abſimile eſt, quòd de *Spiritu* dicitur *non fuiſſe*, antequam Chriſtus glorificaretur, Joh. 7: 39. quaſi Spiritus Dei in Veteri Teſtamento datus non eſſet Spiritus idem, qui effundendus erat in credentes. Et revera hoc modo *ſpiritus ſervitutis* & *ſpiritus adoptionis filiorum* diſtinguitur. Quia voluntas Dei eſt per ſacrificium filii mundum reconciliare, hinc œconomicè Pater conſideratur ut Judex, legem urgens, & Filium donans, eique hæreditatem addicens. Filius autem, ut ſponſor ſatisfaciens & hæreditatem poſtulans; à qua poſtulatione eſt donum ſanctificationis. Ut verò intelligamus, nos per ſanctificationem fieri unum cum Chriſto, & illam eſſe à Chriſti merito, docemur, eſſe Spiritum Patris & Filii æquè auctorem hujus ſanctificationis atque eſt Pater, atque ita, dum per eum ſanctificamur, nos eum accipere, ut noſtrum, & eum in nobis manere, ut ſemen regenerationis, & eum in nobis habitare, ut, per eum Filius in nobis vivat tanquam in membris ſuis, eumque adeò eſſe arrhabonem noſtræ redemtionis & hæreditatis; imò noſtros clamores & noſtros gemitus, quos ipſe facit in nobis, eſſe tanquam clamores & gemitus ipſius, hoc eſt, teſtes voluntatis ipſius; quæ voluntas habet inſtar poſtulationis conſervandi domicilii ſui, quod is nomine Chriſti occupavit. Quæ meditatio nos collocat intra aulæum tanquam auſcultatores divinæ conſultationis de bono noſtro, imò poſtulationis pro nobis. Tertio loco invocat Chriſtum, eumque nominat 1. *teſtem fidelem.* Teſtari eſt muneris prophetici, quo non tantùm locutus eſt in nomine Dei, ut alii prophetæ, ſed *locutus eſt verba Dei*, quæ nemo niſi Deus loqui poterat. Joh. 3. verſ. 34. quæque Deus ſe promiſerat loquuturum ad conſolandum Iſraëlem in ſuâ viſitatione. *Fidelis* dicitur propter κυριότητα, quia, quæ dicit, facere poteſt; deinde propter χάριν; quia, quæ dicit, facere vult & facit. 2. Nominat ipſum *primogenitum ex mortuis.* *Primogenitus* ſimpliciter dicitur, quia eſt primus filiorum Dei. *Primogenitus omnis creaturæ*, quia ipſe primus à reliquis filiis differt eo, quòd ipſe genitus, reliqui autem creati ſunt, & quidem per ipſum. Col. 1. verſ. 16, 17. *Primogenitus ex mortuis*, quia non tantùm ſemel *introductus eſt in terram habitabilem*, Heb. 10. verſ. 5. nempe quum naſceretur; ſed & *iterum* Heb. 1. verſ. 6. nempe quum reſurrexit ex mortuis. Quo non tantum primogenitus demonſtratus eſt, ſed & primogeniti jure egit, regno ſibi vendicato, depoſitis principibus, & iis, qui *Dii* nominabantur. Unde dicit 3. ὁ ἄρχων τῶν βασιλέων τῆς γῆς, *principes regum terræ*, quia omnes reges ipſi ſubdi, vel ab ipſo exſcindi neceſſe eſt, quippe quum ipſe ſit *hæres mundi.* Deinde 4. ex

eadem ratione deducit, eum, velut hæredem constitutum, qui interveniente καθαρισμῷ occuparet omnia, nos *dilexisse, sanguine suo à peccatis nos abluisse,* (hoc est sacerdotis) *& fecisse nos reges & sacerdotes Deo ac Patri suo.* In quo intelligitur libertas, qua fruimur beneficio sanguinis ipsius, ut non opus sit nobis requirere altare aliud, ubi homo aliquis pecudem pro nobis immolet, quasi adhuc impuri essemus, aut quidquam faciat propter nostram justificationem: sed rectâ in ipso ad Deum accedere possimus cum fructibus labiorum ad eum glorificandum, & omnia salutaria petendum. Quod dicit, nos *fecisse sacerdotes. Reges* autem, quia jam non ullis fratribus subjicimur tanquam præceptoribus & dominis hæreditatis nostræ (quemadmodum Israëlitæ regibus & senioribus subjiciebantur) sed omnia nostra sunt, & nobis serviunt, dum capiti serviunt. Quod nos dicit *sacerdotes Deo & Patri ipsius,* explicandum ex Joh. 20: vers. 17.

Salutationem claudit δοξολογία: quæ referenda proximè ad Jesum Christum, sed, propter unitatem, ad tres personas divinas. Ideo dicit ᾧ non αὐτοῖς. sic 1 Joh. 5. vers. 20. ὅτῳ refertur ad ἀληθινὸν & ὑὸν αὐτοῦ, quia unum sunt. *Hic est verus ille Deus & vita æterna.* Hæc elogia non fruſtra ac temere in hunc locum congesta sunt. In iis est confessio fidei. Credimus enim, ut & baptizamur, in nomen Patris, Filii & Spiritus sancti. Credimus porrò, Patrem esse יהוה & nec potuisse se ipsum abnegare, nec potuisse non manifestare divitias suas & gloriam suam, postquam voluit hominem ad imaginem suam condere & ex uno (etiam peccatoris) sanguine genus humanum propagare. Fruſtra enim non potuit velle condere omnes filios hominis. Psal. 89. vers. 48. Non potuit porrò tolerare peccatores, nisi vellet peccata remittere. Nec potuit annunciare pacem & bonum, nisi redemtionem vellet in Filio suo facere. Quemadmodum autem olim nomen suum in promissione ostendit, & postea deinde in redemtione, ita exspectandum est, ut nobis se manifestet in regno & gloria. De Spiritu sancto credimus, eum semper Ecclesiæ adesse & multis modis in ea manifestari, & fieri quodammodo multiplicem: in eo autem Ecclesiam & singulos fideles accedere ad thronum Dei, & eum ab eo, qui sedet in throno, mitti ad Ecclesiam & notificare Ecclesiæ, quæ vidit apud Deum. De Filio credimus, eum mortuum esse, & ex morte primogenitum esse demonstratum, hoc est, non tantùm unigenitum, sed principem multorum fratrum, Rom. 1. vers. 4. 8: 29. eum esse testem mentiri nescium, & veritatem omnem nos fideliter docuisse, & sine dolo jussisse, ut sibi confideremus: eum factum esse omnium dominum, etiam regum terræ; eum nos lavisse in sanguine suo à peccatis nostris, & justitiam ipsius esse nostram, nosque per ipsum factos esse *sacerdotes* Deo, ut in fide accederemus ad ipsum sine metu, petituri omnia, quæ sunt ad vitam & pietatem; &

reges,

reges, liberos à servitute elementorum mundi & dictorum deorum, sive tutorum ac curatorum, hæredes autem mundi. Hæc fides docet nos à Deo Patre, Filio & Spiritu sancto petere *gratiam & pacem*, hoc est, omnes divini amoris fructus, sive omnia bona, quæ à Deo, volente liberalitatem exercere, & se patrem demonstrare, optari, peti & expectari possunt, ut vel in hoc tempore sapienter vel in futuro tempore fideliter ac gloriosè dentur: imprimis conservationem in gratia, & coagmentationem Ecclesiæ, & victoriam de mundo, ac subjectionem omnium regnorum terræ. Id pertinet ad μακαριότητα sive *beatitudinem* fidelium retinentium verba hujus prophetiæ. Nam, qui ea *retinent* & meditantur & in memoria habent, & nihil temere recipiunt, dicunt, faciunt, sed tantùm viis Dei se applicant, illi *pacem* habent, & conservantur, & vincunt. Ex illa fide æstimanda est Ecclesia, quæ in hoc libro producitur bellum habens cum Dracone & Bestia. Et ex illa regula judicanda est Bestia & Meretrix in ea sedens: cujus *signatura* sive *lex* ab hac fide declinat & in ea non manet, & verba prophetiæ hujus non retinet, sed nec flocci facit, audens ea, quæ in prophetia hac satis apertè damnantur. Δοξολογία ostendit, unicum votum Ecclesiæ & ejus penitissimum sensum esse, ut Christo detur *gloria* omnis, & *imperio* ejus cedant omnia, & ipsi subjiciantur *in secula*. Eam esse mentem Ecclesiæ, vocula *Amen* notat.

7. Ἰδοὺ, ἔρχεται μετὰ τῶν νεφελῶν, καὶ ὄψεται αὐτὸν πᾶς ὀφθαλμὸς, καὶ οἵτινες αὐτὸν ἐξεκέντησαν· καὶ κόψονται ἐπ' αὐτὸν πᾶσαι αἱ φυλαὶ τῆς γῆς. ναὶ, ἀμήν.

8. Ἐγώ εἰμι τὸ Α καὶ τὸ Ω, ἀρχὴ καὶ τέλος, λέγει ὁ Κύριος, ὁ ὢν καὶ ὁ ἦν καὶ ὁ ἐρχόμενος, ὁ παντοκράτωρ.

VERS. 7. *Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum transfixerunt: & plangent propter ipsum omnes tribus terræ. Na, Amen.*

8. *Ego sum* A & Ω, *principium & finis, dicit Dominus, qui est, & qui erat & qui venit, ille omnipotens.*

Salutationi subjicitur summa totius visionis, nempe *primò*, certum esse, quòd Christus *venturus sit cum nubibus*, & *omnis oculus ipsum visurus*, etiam, *qui ipsum confixerunt*. *Cum nubibus.* Alluditur locus Danielis cap. 7: 13. Repetit verò dictum Christi Matth. 26: 64. *A nunc videbitis filium hominis sedentem à dextris Potentiæ & venientem in nubibus cæli.* Sedet ad dextram Potentiæ, donec veniens in nubibus conspiciatur. Eousque oportet, ut cœlum eum capiat, & ipse in Deo maneat ἀπόκρυφον. Actor. 3: 21. Col. 3: 3. *Videtur* tamen h. e. certis signis cognoscitur sedens ad dextram Potentiæ, antequam φανερωθῇ *manifestus fiat*. Manifestus autem fiet, *& videbit eum omnis oculus* viventium & mortuorum. Resurgent enim. Tunc aliter videbitur, atque olim visus est. Olim enim non erat ἴσα θεῷ: at tunc veniet cum gloria Patris. *Et, qui eum transfixerunt.* Nota, hîc Johannem sui similem esse; qui Euangelii cap. 19. vers. 37.

eundem Zachariæ (ex ejus enim cap. 12. verſ. 10. ſumtus eſt) locum citat: ſed cum aliqua differentia, quæ non caret ratione. Ibi eſt ὄψονται εἰς (ſubintellige ἐκεῖνον) ὃν ἐξεκέντησαν. Id convenit cum Hebræo, וְהִבִּיטוּ אֵלַי אֵת אֲשֶׁר דָּקָרוּ, hoc eſt, *reſpicient ad me cum eo, quem confixerunt. Aſpicere* verò eſt fidei & converſionis. Id jam cæpit fieri, cum Spiritus gratiæ & ſupplicationis effuſus eſt. At in Apocalypſi dicit *videbunt eum*, quod convenit etiam hoſtibus. *Secundò*, certitudinem adventus Chriſti cum nubibus, ad aſpectum etiam hoſtium, manifeſtari, & quidem evidentibus ſignis; quibus animadverſis, ſingulis temporibus magis magiſque dicere poſſumus ἰδοὺ ἔρχεται, *Ecce venit*: quaſi dicas, videmus appropinquantem ipſius adventum. Nam omnia ſigna temporis faciunt ad ſtatuminandam fidem adventus Chriſti Judicis, & illius ſpem excitandam. Ita Johannes illo quoque tempore dicere potuit, *Ecce venit*, h. e. perſpicuum eſt, & certis ſignis conſtat, eum *venturum cum nubibus cœli*: quia nempe effuſus erat Spiritus ab ipſo ex cœlo, atque ita teſtatum fecerat, ſe ſedere ad dextram Patris; & Euangelium regni curabat prædicari in mundo; per quod converte bantur gentes ad Deum; & Judæorum ſtatum everterat, atque ita *judicium fecerat populis multis*, Eſ. 2.4. h. e. gentium accedentium ad Deum fidem juſtificáverat, abolitione inſtrumentorum ſervitutis, & deletione ac diſperſione populi contumacis & gentium fidem calumniantis ac blaſphemantis. Jam igitur regnum ipſius adveniens demonſtrari poterat, quia ſecundùm dictum Chriſti & Apoſtolorum & prophetarum per Chriſti regis potentiam abolita erat civitas mater ſervorum & hoſtium. Regni autem illius advenientis conſummatio fiet, quando veniet cum nubibus cœli, ut mortuos excitet, & omnem dominationem aboleat, & regnum tradat Patri. Qui incepit regnare, & gentes ſibi ſubjicere & populum rebellem diſſipare, is non deſinet regnare, ſed ſibi & Patri ſubjiciet omnia. Poſtquam plura ejuſmodi in regno Chriſti facta ſunt, & gentes etiam defecerunt, iterandum & inculcandum ſemper eſt illud, *Ecce venit*. Eò magis enim certum eſt, adventum ejus approximare. *Tertiò*, ante Chriſti adventum in nubibus *ſuper ipſo planctum facturas eſſe omnes familias terræ*. Hoc, item ſumtum ex Zach. 12. 10. eſt conſequens partim effuſionis Spiritus, & ſic effectus fidei; partim conſequens regni, ut Chriſtus ſeveritate ſua utatur in omnes hoſtes ſuos, ut, qui lætati erant ſuper ipſius probro, cogantur viciſſim plangere, & iram agni experiri, juxta analogiam promiſſionis factæ Patribus. In hoc ſubintelligimus converſionem Judæorum, introitum plenitudinis gentium, deſtructionem Antichriſti, prædicationem Euangelii per totum orbem, omnium populorum ſubjectionem, ut ſerviant populo Dei. *Quartò*, hæc omnia Chriſtum decere, ideoque eſſe indubitata. Decentia & competentia ſignificatur Chriſti

elogiis:

elogiis: quæ Johannes recitat tanquam ex ore Domini. per *Dominum* autem intelligi Christum, patet tum ex connexione cum præcedenti versu (alioqui enim aliena esset sententia hujus versiculi ab illo) tum, quia vers. 11. eadem Christus inducitur pronuntians de semet ipso. Licet enim ibi non sint totidem elogia, tamen ea sunt, in quibus cætera continentur. Proponit autem hæc verbis *Domini*, quasi ostendens objectum prædicationis; quæ in mundo debet fieri atque asseri cum demonstratione virtutis contra adversarios. Ut ratio, cur adventus ejus in nubibus exspectandus sit, non tantùm sit illa, quia talis est; sed, quia talis prædicari vult & credi. Primum elogium: *ego sum* τὸ Α & τὸ Ω. Distinguo hoc à sequenti. Nam ad plenitudinem sensus facit, quum generalius jungitur speciali, generale accipere de specie distincta. Τὸ α more Græci proverbii intelligo eum, qui summus est. Certè quum adagium Græcorum & sermo vulgaris per τὸ α significet quid summum in aliquo genere; necesse est, aut Johannem scandalum posuisse, imò falsum dixisse, si Christus non est summus; aut Christum *summum* esse, & hoc Johannem significasse. Ergo τὸ ω significat analogicè *infimum*. Filius enim humiliatus est infra omnes in hoc mundo. confer Psal. 22. vers. 6. & 69. & 88. Ephes. 4. vers. 9. Est *Dominus gloriæ & crucifixus est*. 1 Cor. 2. 8. &, quia infimus fuit, qui summus est, consentaneum est, ut summus esse cognoscatur. confer Es. 49. vers. 7. & 52. vers. 13. 14. & 15. Secundum elogium est ἀρχὴ & τέλος, *Principium & finis*, h. e. ex quo & ad quem omnia; princeps salutis, cujus est gloria, cujus gloriam quærit Pater, ut honoretur in ipso. Tertium, *qui est, qui erat & venit*. Qui ante jacta mundi fundamenta sponsor fuit & sua intercessione mulierem & semen ejus, Abrahamum & semen ejus sanctificavit & tulit Es. 63. vers. 9. qui fuit, antequam mitteretur, Es. 48. vers. 17. imò non in occulto ab initio locutus est, qui (ut Johannes dicit in Euangelio & epistolâ) erat in initio. *Qui est*, sive exspectationem priorum de se implevit, factus Princeps salutis consummatus per passiones, & talis prædicatus in mundo, per verbum & Spiritum suum servans oves suas. *Qui venit*: cujus adventus ad judicium & ad manifestationem gloriæ filiorum Dei imminet & per καίρους temporis appellit. Non potest fieri, ut, *qui fuit & est*, nempe ut Sponsor & Servator, non *veniat* tanquam Judex, ut gloriosus sit in credentibus. Qui spopondit, ejus est postulare & asserere hæreditatem suam, & eos, quos non novit, à se ablegare. Igitur, quibus dat lytrum, ii renascuntur filii, Es. 53. 10. quos aspergit, ii purificantur, Es. 52. 15. quos postulat, ii ipsi dantur, Psal. 2. 8. Regem oportet servare populum suum & conculcare hostes suos, Psal. 110. 1. eosque, ut vas testaceum, confringere. Psal. 2. 9. Ejus ira est, propter quam

quam pereunt, qui ad eum non confugiunt. Psal. 2. 12. Exod. 23. 21. Ei proinde competit judicium, Ezech. 21. 32. quia filius hominis est, Joh. 5. 27. Psal. 8: 6. 7. & Dominus, quia caput Ecclesiæ est; & in eo solo Deus cognoscitur & habetur, Es. 27. 5. 1 Joh. 2. 23. Quare resurrectio Christi probat, eum esse judicem. Actor. 17. 31. Quartum est ὁ παντοκράτωρ, *ille omnipotens*, qui potest facere omnia, quæ Pater ipsi facienda assignavit, & quidem independenter potest facere, quia vitam habet in se ipso. Joh. 5. 26. ejus est robur, Es. 45: 24. Apoc. 5: 12. Phil. 3: 21. & manus ipsius est manus Patris. Joh. 10: 28. 29. 30.

9. Ἐγὼ Ἰωάννης ὁ καὶ ἀδελφὸς ὑμῶν, καὶ συγκοινωνὸς ἐν τῇ θλίψει καὶ ἐν τῇ βασιλείᾳ καὶ ὑπομονῇ Ἰησοῦ Χριστοῦ, ἐγενόμην ἐν τῇ νήσῳ τῇ καλουμένῃ Πάτμῳ, διὰ τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ καὶ διὰ τὴν μαρτυρίαν Ἰησοῦ Χριστοῦ.

10. Ἐγενόμην ἐν Πνεύματι ἐν τῇ κυριακῇ ἡμέρᾳ· καὶ ἤκουσα ὀπίσω μου φωνὴν μεγάλην ὡς σάλπιγγος,

11. Λεγούσης· Ἐγώ εἰμι τὸ Α καὶ τὸ Ω, ὁ πρῶτος καὶ ὁ ἔσχατος· καί· Ὃ βλέπεις, γράψον εἰς βιβλίον, καὶ πέμψον ταῖς ἑπτὰ ἐκκλησίαις ταῖς ἐν Ἀσίᾳ, εἰς Ἔφεσον, καὶ εἰς Σμύρναν, καὶ εἰς Πέργαμον, καὶ εἰς Θυάτειρα, καὶ εἰς Σάρδεις, καὶ εἰς Φιλαδέλφειαν, καὶ εἰς Λαοδίκειαν.

VERS. 9. *Ego Ioannes, qui & frater vester & consors in afflictione & in regno & patientia Iesu Christi, extiti in insula vocata Patmo propter sermonem Dei & testimonium Iesu Christi.*

10. *Extiti in spiritu in dominica die, & audivi post me vocem magnam, ut tubæ*

11. *Dicentis: Ego sum A & Ω, primus & ultimus. &, quod vides, scribe in librum & mitte Ecclesiis, quæ in Asia sunt, Ephesum, & Smyrnam, & Pergamum, & Thyatira, & Sardes, & Philadelphiam, & Laodiceam.*

Ad rem accingitur. Incipit narrare sua δράματα, *quæ vidit*. Iterum se nominat, & ut imposterum noscereturn, & ut in præsens fidem sibi faceret. Vix credibile est, librum, qui, cum illa inculcatione nominis, se testatur esse scriptum à tali & missum ad tales, unquam posse serò recipi à quoquam, qui non à tali traditus sit talibus, & ab iis receptus fuerit in nomine talis. Justinus Martyr non dubitat hunc librum attribuere Johanni Christi discipulo, nec Tertullianus, nec Irenæus. Sed vide, quem se ipse dicat esse. Primò *fratrem* se vocat. *Fratris* vocabulum notat Christianum. Non est Christiani mentiri. In nomine Christiani mentiri esset in nomine Christi mentiri. Sed quare se tantùm *fratrem* dicit? Petrus priore epistola cap. 5. 1. quum vellet præceptum dare presbyteris, se vocant συμπρεσβύτερον *conseniorem*. quia in regimine Ecclesiæ non agebat aliter, quàm consenior & seniorum collega, non ut dominus & princeps: quod nemo Apostolorum fecit. Ad eundem modum Johannes, quum totius libri scopus sit, ut caveamus regnum Bestiæ & Meretricis magnæ, se nihil nisi *fratrem* nominare sustinuit. Nam revera Ecclesia nihil est nisi cœtus *fratrum*. de qua rectè accipimus, quod est in Psal. 133. *Quàm bonum & suave*

est

est sedere fratres etiam unâ. nempe *coram Domino*, ut præceptore unico. Es. 23: 17. Ex quo loco rectè Ecclesia Christiana definitur, *qui sedent coram Domino*, h. e. à solo Deo discunt. Juxta promissionem, quæ est Es. 54: 13. *Et omnes filii tui discipuli Domini.* Deinde dicit *se participem eorum in afflictione.* Quæ est συμπαθείας & fidei generositatem ostendit. Tum *regni Christi.* Non se fert principem & dominum, sed *socium regni* cum fratribus. Agnoscit & fratres regni consortes. In Christi regno qui sunt, sunt βασίλειον ἱεράτευμα *regium sacerdotium.* quod jam dixerat vers. 6. In jure regio primum est, non pati regem, qui conservus est, summi regis servus. Afflictio regnum Christi & fidelium ejus non expungit, sed illustrat. *Et patientiæ Christi.* Christus primò pati debuit, deinde & regnare. Nec tantùm ipse in corpore suo, quod pro nobis obtulit Deo, sed etiam in membris suis. Quorum passiones Paulus vocat ὑστερήματα τῶν παθημάτων Χριστοῦ, *reliquias* vel *defectus passionum Christi pro Ecclesia*, Coloss. 1: 24. Infra cap. 3. vers. 10. Euangelium vocat *sermonem patientiæ Christi.* Et Apostolus regulam facit Rom. 8: 17. εἴπερ συμπάσχομεν, ἵνα καὶ συνδοξασθῶμεν, *siquidem compatimur, ut conglorificemur.* 2. Tim. 2: 12. εἰ ὑπομένομεν, καὶ συμβασιλεύσομεν. *qui una patimur, etiam una regnabimus.* Insigne proprium est, quod narrat de exilio suo: ἐγενόμην ἐν Πάτμῳ. quod propriè sonat: *Cœpi esse in insula Patmo.* q. d. exsulabam in ea. Johannem Apostolum in eam insulam relegatum à Domitiano vetus narrat historia, nisi quòd versio Syriaca edita ab Erpenio & Waltono dicit, à Nerone jussum exulare. Sed & Domitianum Neronem appellatum fuisse, docet Scaliger ad Eusebium num. MMCX. Johannem igitur consortem afflictionis & patientiæ Christi probat hæc fuga. Quia igitur constat, quo in loco hæc ὁράματα viderit, etiam intelligere est, quomodo vers. 19. dicat, ἃ εἶδες, *quæ sunt.*

Propter sermonem Dei & testimonium Jesu. Confer cap. 20: 4. Summa professionis Christianorum est, se credere uni Deo & ejus sermonem (qui scil. ad homines cum divina ἀποκαλύψει & βεβαιώσει pervenit) & quidem nominatim, se, sequentes fidem Dei, credere, Jesum esse Christum, filium Dei unigenitum, & ei confidere ad justitiam & vitam.

Vers. 10. *Extiti in spiritu.* ἐγενόμην. *cœpi esse in spiritu. evenit, ut essem in spiritu. Esse in spiritu* significat animo accipere Spiritus sancti alloquia & ὀπτασίας, atque interim sensus ociosos habere: nisi dicamus, etiam oculis & auribus ejus voces atque formas à Spiritu fuisse ingestas. θείαν κλῆσιν nominat Arethas.

In Dominica die. Arethas. ἡ ἀναστάσεως Χριστοῦ μνημόσυνον φέρουσα. *quæ resurrectionis Christi monimentum fert.* Ea prima Sabbatorum: quam *Dominus*

 resur-

resurgendo & se discipulis manifestum faciendo fecit ἀρχὴν τ̃ καινῆς κτίσεως, ut Athanasius loquitur : cujus recordatio quotlibet hebdomadibus recurrit, quia temporis per Sabbata numeratio aboleri non debuit, ut memoria miraculi quadraginta annorum, quo Deus ostendit, se septimo die ab operibus suis quievisse, non interiret. Neque enim *dominicum diem* vocavit, ut distingueret diem à die, sed potiùs, ut ostenderet, diem resurrectionis Dominicæ electum esse providentia Christi ad hanc Revelationem impertiendam. Neque id abs re. Nam, si recordamur Resurrectionis Domini, vel illa die gestimus atque ovamus, vel eum diem consecramus solennibus conventibus ac panegyresin, quid magis convenit, quàm nos Christi regnum & opera, quæ fecit in regno suo, & tempus visitationis nostræ meditari & in nubibus venienti animo & desiderio obviam ire, atque diem illum, quo apparebit, votis suspiriisque appellere & admovere? 2. Pet. 3:12. Revelatio incipit à vocis auditu.

Audivit ponè se vocem magnam instar tubæ loquentis & *dicentis: Ego sum* &c. Hac voce excitatus fuit ad audiendum & ad videndum. Qui enim dicit: *Ego sum* &c. is quodammodo cogit respicere ad se, & se loquentem jubet contemplari. Quid enim aliud dicit, quàm hoc: Heus tu, respice, attolle oculos, ego, cujus hoc nomen est, me tibi præbebo spectandum, vel scilicet in specie mea, vel in ænigmate aut symbolo formave, quæ tibi indicet, meam hanc vocem esse, & quis ego sim. *Ponè* autem audivit sermonem. Fortè id significat, Christum suis discipulis adesse non tantùm ut ducem, sed etiam ut pædagogum, imò ut patrem; qui sequitur puerum, & ipsius vestigia omnia observat. Es. 30: 21. *Et audient aures tuæ sermonem ponè te, dicendo: Hæc est via, ambulate in ea.* Ut Johannem, ita Ecclesiam, ita singulos fideles sequitur Christus, velut pastor oves, & viam illis commonstrat, atque imprimis revocat ad se, quando nesciunt, quò & quâ vadant.

Vers. 11. *Ego sum Alpha & Ω*, h.e. summus & infimus. Ita enim distinctè explicari posse, quando aliud latiùs patens conjungitur, diximus ad vers. 8. Ego ille sum, hominibus quidem lapis offendiculi & reprobatus, sed apud Deum electus & preciosus, 1 Pet. 2. 4. caput quidem Ecclesiæ, sed cujus gloria plena apud Deum occultatur, & qui positus sum in signum, cui contradicitur, Luc. 2. 34.

Primus & ultimus. Jure meo caput sum, quia *primus sum.* Ita Baptista Joh. 1. 15. *Qui post me venit, me prævenit, quia longè ante me fuit.* Eum, qui in initio fuit, Joh. 1. 1. qui fuit ante omnia, & propter quem omnia sunt, Col. 1. 16. qui non mutatur, qui vivit in perpetuum, & cum ultimis idem est, & à nemine vincitur, Es. 41, 4. 44, 6. 48, 12. is eo honore dignus

gnus est, ut sit τὸ *Alpha* & *summus*. Nam illa per τὸ *ultimus* significantur: ut & hoc, quòd post ipsum regem non est alius rex, post illum sacerdotem nullus alius sacerdos, post illum doctorem nullus alius doctor, post ipsum Christum nullus alius Christus. Vide & Psalm. 110. 4. *Tu es sacerdos in seculum.*

Et, Scribe. vel, *& scribe*, h. e. igitur meo jussu *scribe in libellum, quod vides*, ut maneat in diem postremum, & ut cum pluribus possit communicari. Qui verò jussit ea scribi, voluit etiam scribi, & pervenire ad septem, imò omnes Ecclesias. Et verò venit is liber ad Ecclesias. Nec profectò ad tentandum venit, sed ad docendum & monendum & ad consolandum in tentationibus & afflictionibus & ad spem regni Christi roborandam: qui scopus totius libri est. Quare igitur dubitabimus, eum esse datum Ecclesiis à Christo?

Et mitte Ecclesiis, h. e. cœtibus fratrum, qui profitentur nomen meum & vocationem meam susceperunt, per oppida distinctis. Hi cœtus sunt *Ecclesiæ*. Singuli enim habent hoc jus, quod habet universa ἀδελφότης sive multitudo fratrum, quæ in mundo est. Quemadmodum enim hæc est cœtus vocatus ad communionem inter se & cum rege suo Deo & Christo, ita etiam cœtus fidelium in singulis oppidis. Omnibus convenit elogium, quod est 1. Tim. 3: 15. ἐκκλησία θεοῦ ζῶντος, קְהַל אֱלֹהִים חַיִּים q. d. concio & comitium, in cujus medio est Deus vivus, ad quem accedunt omnes & à quo docentur omnes.

Ecclesiis septem, quæ sunt *in Asia.* Asia dicitur & latissimè, & paulò strictiùs, & strictissimè. Latè, omnis regio Europæ opposita versus Orientem. Strictè regio inclusa mari Ægæo, Propontide & Ponto, usque ad majorem Armeniam. Strictissimè regio distincta à Ponto, Galatia, Cappadocia & Bithynia. Vide 1 Pet. 1: 1. etiam à Phrygia & Pamphylia. Actor. 2: 9. 10. 16: 6. & Mysia. Actor. 16: 7. Ptolemæus in ea ponit *Ephesum, Smyrnam, Pergamum* & *Sardes.* A *Sardibus* non procul absunt *Thyatira, Philadelphia* & *Laodicea.* Paulo non est permissum in Asia loqui sermonem, quum Spiritus id ageret, ut Macedonia audiret Euangelium. Nunc contra septem Ecclesiæ Asiæ fiunt depositariæ hujus Prophetiæ. Quinetiam placuit Spiritui nomina earum urbium indere Ecclesiæ universali in distinctis temporibus: ut postea videbimus.

DISTRIBUTIO LIBRI.

Ab auditis pergit vers. 12. ad visa. Visorum, quæ in toto libro proponuntur, ordo septem partes habet.

Primò enim vidit hominem ambulantem inter septem candelabra, qui ipsi dictavit epistolas ad septem Ecclesias cap. 1. 2. 3.

Secundò vidit thronum, agnum, librum, ejusque septem sigilla aperta ab agno, cap. 4. 5. 6. 7. & 8. vers. 1.

Tertiò vidit septem Angelos, quibus datæ sunt tubæ, ut buccinarent, quibus buccinantibus magnæ res evenerunt, cap. 8. vers. 2. & sequent. cap. 9. 10. 11.

Quartò vidit Angelum cum calamo mensorio, qui mensus est templum. Hæc visio est quasi ἐπεισόδιον tertiæ. cap. 11. vers. 1. usque ad vers. 15.

Quintò vidit bellum draconis & agni, itemque bestias duas & victoriam agni de illis, cap. 12. 13. 14. Capite autem 15. & 16. est ἐπεισόδιον septem phialarum & cap. 17. judicium meretricis per aliud ἐπεισόδιον repræsentatur, item cap. 18. & 19.

Sextò vidit Diaboli ligationem ejusq; solutionem quandam, & projectionem in abyssum cum sequente judicio mortuorum & multorum resuscitatione, cap. 20.

Septimò vidit sponsam, novam Hierusalem, cap. 21. & 22.

Qui non nimis indiligenter hasce partes inter se contulerit, clarè videbit, in iis agi de iisdem rebus, alio atque alio modo, & eadem, quasi toties factas, narrari. Quod signum certissimum est, Apocalypsis filum non esse unum per totum librum continuatum, sed quasi aliquoties replicatum. Non enim primis capitibus ostenduntur ea, quæ sunt primi temporis; ultimis, quæ sunt ultimi temporis: sed distinctæ istæ pericopæ prima & ultima complectuntur; nisi quòd ἐπεισόδια partem aliquam prophetiæ illustriorem novo modo exhibent. Certè manifestum est, tubam septimam cap. 11: 15. ebuccinare regnum Dei; quum cap. 12. 13. 14. demum explicetur bellum cum Dracone & Bestia. In cæteris visionibus idem principium & finem eundem perspicuè cognoscere est.

In primâ visione est primò προσωπογραφία ejus, qui dictavit epistolas cap. 1. vers. 13.-16. Secundò ejus verba, quibus Johannem confirmavit, vers. 17. 18. eumque ad scribendum præparavit, vers. 19. 20. Deinde sequuntur epistolæ septem. cap. 2. & 3.

12. Καὶ ἐπέστρεψα βλέπειν τίνα ἐφώνει μετ' ἐμοῦ· καὶ ἐπιστρέψας εἶδον ἑπτὰ λυχνίας χρυσᾶς·

13. Καὶ ἐν μέσῳ τῶν ἑπτὰ λυχνιῶν ὅμοιον υἱὸν ἀνθρώπου, ἐνδεδυμένον ποδήρη, καὶ περιεζωσμένον πρὸς τοῖς μαστοῖς ζώνην χρυσᾶν.

14. Ἡ δὲ κεφαλὴ αὐτοῦ καὶ αἱ τρίχες λευκαὶ

VERS. 12. *Et respexi, ut viderem vocem, quæ loquebatur mecum: & respiciens vidi septem candelabra aurea,*

13. *Et in medio septem candelabrorum similem filio hominis, indutum talarem, & cinctum ad mamillas balteo aureo.*

14. *Caput autem ejus & capilli albi, ut lana*

ὥσει ἔριον λευκὸν, ὡς χιών· καὶ οἱ ὀφθαλμοὶ αὐτοῦ ὡς φλὸξ πυρός·

15. Καὶ οἱ πόδες αὐτοῦ ὅμοιοι χαλκολιβάνῳ, ὡς ἐν καμίνῳ πεπυρωμένοι· καὶ ἡ φωνὴ αὐτοῦ ὡς φωνὴ ὑδάτων πολλῶν·

16. Καὶ ἔχων ἐν τῇ δεξιᾷ αὐτοῦ χειρὶ ἀστέρας ἑπτά· καὶ ἐκ τοῦ στόματος αὐτοῦ ῥομφαία δίστομος ὀξεῖα ἐκπορευομένη· καὶ ἡ ὄψις αὐτοῦ ὡς ὁ ἥλιος φαίνει ἐν τῇ δυνάμει αὐτοῦ.

17. Καὶ ὅτε εἶδον αὐτὸν, ἔπεσα πρὸς τοὺς πόδας αὐτοῦ ὡς νεκρός· καὶ ἐπέθηκε τὴν δεξιὰν αὐτοῦ χεῖρα ἐπ' ἐμὲ, λέγων μοι· Μὴ φοβοῦ· ἐγώ εἰμι ὁ πρῶτος καὶ ὁ ἔσχατος,

18. Καὶ, ὁ ζῶν, καὶ ἐγενόμην νεκρὸς, καὶ ἰδοὺ ζῶν εἰμὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων· ἀμήν· καὶ ἔχω τὰς κλεῖς τοῦ ᾅδου καὶ τοῦ θανάτου.

19. Γράψον, ἃ εἶδες, καὶ ἃ εἰσὶ, καὶ ἃ μέλλει γίνεσθαι μετὰ ταῦτα·

20. Τὸ μυστήριον τῶν ἑπτὰ ἀστέρων, ὧν εἶδες ἐπὶ τῆς δεξιᾶς μου· καὶ τὰς ἑπτὰ λυχνίας τὰς χρυσᾶς. οἱ ἑπτὰ ἀστέρες ἄγγελοι τῶν ἑπτὰ ἐκκλησιῶν εἰσὶ· καὶ αἱ ἑπτὰ λυχνίαι, ἃς εἶδες, ἑπτὰ ἐκκλησίαι εἰσί.

lana pura, ut nix; & oculi ejus, ut flamma ignis.

15. Et pedes ejus similes chalcolibano, ut in fornace excandefacti; & vox ejus ut sonus aquarum multarum.

16. Et habens in dextra sua manu stellas septem. Et ex ore ejus romphaea anceps exiens: & aspectus ejus, ut Sol lucet in potentia sua.

17. Et, quum vidi eum, cecidi ad pedes ejus, ut mortuus. & imposuit dextram suam manum super me, dicens mihi: Noli metuere: Ego sum primus & ultimus;

18. Et, qui vivit, & factus eram mortuus, & ecce vivens sum in secula seculorum. Amen. Et habeo claves inferni & mortis.

19. Scribe, quæ vidisti, & quæ sunt, & quæ futurum est ut fiant post hæc.

20. Mysterium septem stellarum, quas vidisti super dextra mea, & septem candelabra aurea. Septem stellæ angeli septem Ecclesiarum sunt: & candelabra, quæ vidisti, septem Ecclesiæ sunt.

In προσωπογραφίᾳ notatur, quòd in medio septem candelabrorum visus sit (de quibus vers. 20.) *similis homini vel filio hominis.* Fortasse enim hoc nomen hîc usurpatur, ut in Euangelio solet, ad notandum Jesum Christum; qui *filius hominis* dicitur Psalm. 8: 5. 6. Convenit, quod est Joh. 5: 27. *potestatem ipsi dedit & judicium faciendi, quia filius hominis est.* Non potest, post peccatum, Deus habere populum in mundo, non subjectum homini (Heb. 2. vers. 6.) propter vim legis; neque potest, *puero nato ad regnandum*, Es. 9: 5. mundus aliter, quàm per hominem judicari, Es. 11: 3. 4. Psalm. 72: 1. Ezech. 21: 32. propter veritatem justificationis, quæ est in illo, & potentiam regni ipsius. Qui enim Dominus est & postulandi hæreditatem suam jus habet, & justificat suos, eundem necesse est esse testem in eos, qui ipsi non obediunt, & abdicare atque abnegare non suos, & hostes suos punire. Quare etiam omnes hostes ejus dicuntur subjiciendi pedibus ejus. Psalm. 110: 1.

Vers. 13. Vidit *talari indutum.* Respondet apud Ezech. לְבוּשׁ בַּדִּים. Potest significari regnum ejus. Nudus quidem pependit in cruce, &, cùm exueretur vestibus, exuit principatus & potestates prioris seculi, de quorum impotentiâ triumphavit in cruce, Coloss. 2. vers. 14. 15. Postquam autem resur-

rexit ex mortuis, fecit cœlum novum & terram novam, &, quæ in cœlo & quæ in terrâ sunt, gestat, tanquam vestem suam & ornamentum suum, & apparet totus gloriosus, & ita habens omnia, ut totus habeatur à suis, quemadmodum homo talari veste quasi totus contegitur.

Vidit *aurea zona ad mamillas cinctum.* Balteus est signum potestatis Es. 22. vers. 21. Aurum, quod in rebus pretiosissimum habetur, divinitatis symbolum est. Potestate divinâ vestem suam, h. e. omnia, quæ ipsi data sunt in cœlo & in terrâ, continet. Es. 11: 5. *Et erit justitia cingulum lumborum ejus, & veritas cingulum renum ejus. Cinctus* alicubi notat τὴν ἑτοιμασίαν, *promtitudinem* ad agendum. Ita Ephes. 6: 14. *State accincti lumbos vestros veritate.* 1. Pet. 1: 13. *Succincti lumbos mentis vestræ.* habentes cogitationes certas & adstrictas. Christo *justitia* h. e. jus salvandi Ecclesiam & regnandi super omnia, & *veritas ipsius*, h. e. veracitas promissorum & constans dilectio, & fœdus cum hominibus pactum, est pro *cingulo*, h. e. facit eum promtum & expeditum ad ea agendum, quæ sunt regni ipsius: qualia sunt, quæ subjiciuntur; futurum esse, ut lupi cum agnis stabulentur. &c. *Ad mamillas* est balteus, quia cordis amore atque providentiâ potestas administratur & exercetur, & regnum promovetur.

Vers. 14. *Caput* & *pilos* vidit albo colore *instar lanæ albæ*, sic Dan. 7:9. quo notatur sanctitas & puritas, quæ est non tantùm in capite, sed & in membris, ut sanctificatis ad amorem veritatis ac studium pietatis, & justificatis, & ad plenum aliquando sanctificandis.

Oculos instar flammæ ignis. Gen. 49. vers. 12. Christus dicitur *rubens oculos præ vino.* Significat hoc iram ἀπαρέγκλιτον in adversarios.

Vers. 15. *Pedes similes chalcolibano*, h. e. qui apparent, ut æs candens & thus limpidum sive perspicuum. Non est mutanda Scriptura, ut legatur *chalcocli banus.* Nam, si æs fornacis intelligendum foret, potius diceretur *clibanochalcus.* confer, quod apud Ezechielem כַּלַּל שֶׁשֶׁת cap. 1. vers. 7. Simile Apoc. 10. vers. 1. πόδες πυρός. Significatur, quod est Es. 27. vers. 4. *Si quis me, ut sentis & spina, posuerit in bello, invadam eam, incendam pariter.* Christus sua præsentia concremat omne id, quod carnale est, omnesque spinas exurit.

Vocem vers. 10. comparaverat cum *tubâ* ratione claritatis: vers. 15. comparat cum *multis aquis* ratione diffusionis. Christi vox ita sonat in mundo, ut non possit supprimi.

Vers. 16. *In dextrâ manu* vidit *septem sidera.* de quibus vers. 20.

Ex ore vidit *exeuntem gladium ancipitem.* confer Es. 11. vers. 4. & epist. ad Heb. 4: 12. Notatur vis verbi ad conscientiam.

Aspectum vidit *lucidum instar solis in potentiâ.* ita Malach. 4. 2. vocatur

sol

sol justitiæ, & Joh. 1. *lux*. Lux est hieroglyphicon sive symbolum veritatis. Nam, ut videtur lux, ita veritas cognoscitur. Deinde sanctitatis. Ut lux tenebras non habet, ita amor veritatis non admittit amorem mendacii. Præterea lætitiæ. Ut lux oblectat oculos, ita sapientia mentem. Deus, qui est bonum hominis, quod solum explere eum potest, optimè *lux* vocatur; denique fulgor solis commodissimè significat evidentiam veritatis. Hæc omnia in Christum quadrant: qui est *veritas, via & vita*, factus à Deo nobis *sapientia* & *justitia* &c. Ex illa prosopographia cognoscimus, nihil necesse esse, ut Christum habeamus depictum in ea facie, quam hominibus ostendit. Satius esse, ut eum cognoscamus, qualis in verbo nobis prædicatur. qualem hoc emblema repræsentat.

Vers. 17. Verba Christi, quæ ad Johannem confirmandum faciunt, exponuntur, postquam indicasset, ipsum, Christo viso, *cecidisse ad pedes ejus pro mortuo*, & Christum illi manum *dextram imposuisse*. Similia de se narrat Daniel cap. 10. Doctrina est, hominem peccatorem apud Deum non posse stare, nisi ipsius gratiâ & manu erigatur. Exod. 33. *non videbit me homo & vivet*. Hinc veteres sancti, si Deus ipsis apparuisset, se vivere mirabantur: & Moses Exod. 24. 11. pro insigni miraculo narrat, Deum non extendisse manum suam ad selectos Israëlitas, cùm viderent gloriam ipsius, sed edisse & bibisse eos. Nempe jam tum voluit Deus Israëlitas assuescere τῇ ἐπιφανείᾳ αὐτοῦ τῇ ἐν φιλανθρωπίᾳ, qua Deus de facie ad faciem *oculo in oculo*, Ez. 20: 35. Es. 52: 8. iis voluit conspici.

Verba confirmantia vetant metum, ratione addita 1. à divinâ vitâ indissolubili, & proinde gratia immutabili; secundùm quam est primus & ultimus, vers. 17. & vivens ille. 2. à morte obitâ. 3. à vitâ in seculum non deponendâ. 4. à potestate aperiendi infernum & mortem. vers. 18. Hæc sunt, quæ medentur nostro timori; quòd, quemadmodum dilexit nos, cùm se ipsum in sacrificium boni odoris obtulit Deo, ita dilexit nos ab initio & diliget in finem usque & habet vitam atque potentiam insuperabilem, imò etiam vivit, ut frater noster, in seculum, habens eandem voluntatem, quam habuit moriens; quodque morte sua potestatem mortis exstinxit & omnem potentiam Diaboli superavit, ut nec infernus corpus nostrum detinere possit, neque Satanæ regnum retineat nos, qui ipsi dati sumus; neque etiam Ecclesia possit vinci à portis inferni & morte secunda. de qua cap. 2: 11. & alibi.

Vers. 19. Verba præparantia ad scriptionem sunt partim mandatum scribendi; partim definitio rerum scribendarum, quas res distinguit secundùm signa & significata. Signa, *quæ vidisti*, h. e. incepisti videre & postmodum videbis. Significata, *quæ sunt & futura sunt post hæc*. Obser-

va,

va, visiones Apocalypticas non tantùm exhibere res, quæ post tempus visionis futuræ erant, sed etiam, quæ jam tum exstabant. Nam, ut exemplo utar, cap. 12. exhibetur Christi adventus & ascensio in cœlum: quæ tunc jam facta erant. Futuras res deducit ex factis, & totum ordinem rerum regni Christi exhibet: quemadmodum, quum quæreret Nabuchodonosor, quid futurum esset imposterum, & Deus id ei vellet ostendere, Dan. 2: 29. vidit imaginem, cujus caput erat ipse. vers. 38. Simul explicat *mysterium septem stellarum* & *candelabrorum aureorum: Stellas* dicens *angelos Ecclesiarum: Candelabra Ecclesias.* Angeli sunt stellæ, φωσῆρες, propter verbum, quod loquuntur; quo illuminantur oculi cæcorum. *Angeli* significantur non singuli singularum Ecclesiarum episcopi, sed omnes habentes donum & officium τοῦ ἀγγέλλειν sive renuntiandi verbum Dei. *Ecclesiæ* significant fidelium multitudinem non tam in distinctis locis, quàm in distinctis temporibus. Id ex prædicatis noscetur cap. 2. & 3. Et verò Christus ambulat inter omnes Ecclesias, non tantùm inter septem Asianas: & habet in manu sua omnes angelos omnium Ecclesiarum. Ergo potior ratio suadet, ut septem Ecclesiæ Asiæ sint figura omnium Ecclesiarum. *Ecclesiæ sunt candelabra aurea.* Nam ἐπέχουσι τὸν λόγον τῆς ζωῆς, *sermonem vitæ præferunt* (sic Arethas) qui est lux, & ita sunt lux mundi. Matth. 5: 14. *Aureæ*, quia ἄμεμπτα, & ἀκέραιοι *puri* & sinceri sunt fideles & apud Deum pretiosi. τὸ δοκίμιον τῆς πίστεως est πολὺ τιμιώτερον χρυσίου. 1 Pet. 1: 6. Arethas: χρυσᾶ δὲ πᾶσαι διὰ τὸ ἀκίβδηλόν τι καὶ τίμιον τῆς ἐν αὐταῖς πίστεως.

CAPUT SECUNDUM.

EPISTOLA PRIMA.

1. Τῷ ἀγγέλῳ τῆς Ἐφεσίνης ἐκκλησίας γράψον· Τάδε λέγει ὁ κρατῶν τοὺς ἑπτὰ ἀστέρας ἐν τῇ δεξιᾷ αὐτοῦ, ὁ περιπατῶν ἐν μέσῳ τῶν ἑπτὰ λυχνιῶν τῶν χρυσῶν.

2. Οἶδα τὰ ἔργα σου, καὶ τὸν κόπον σου, καὶ τὴν ὑπομονήν σου, καὶ ὅτι οὐ δύῃ βαστάσαι κακούς· καὶ ἐπείρασω τοὺς φάσκοντας ἑαυτοὺς ἀποστόλους, καὶ οὐκ εἰσὶ· καὶ εὗρες αὐτοὺς ψευδεῖς.

3. Καὶ ὑπομονὴν ἔχεις, καὶ ὑπομονὴν ἔσχες, καὶ διὰ τὸ ὄνομά μου κεκοπίακας, καὶ οὐ κέκμηκας.

4. Ἀλλ' ἔχω κατὰ σοῦ, ὅτι τὴν ἀγάπην σου τὴν πρώτην ἀφῆκας.

VERS. 1. *Angelo Ephesinæ Ecclesiæ scribe: Hæc dicit, qui tenet septem stellas dextra sua, qui ambulat in medio candelabrorum aureorum.*

2. *Novi opera tua & laborem tuum, & patientiam tuam, & quòd non possis ferre malos: & periculum feceris eorum, qui se dicunt Apostolos & non sunt, & inveneris eos mendaces:*

3. *Et tuleris & patientiam habeas & propter nomen meum laboraveris, & non fis defatigatus.*

4. *Sed habeo contra te, quòd charitatem tuam primam omiseris.*

5. Re-

5. Μνημόνευε οὖν, πόθεν ἐκπέπτωκας, καὶ μετανόησον, καὶ τὰ πρῶτα ἔργα ποίησον· εἰ δὲ μή, ἔρχομαί σοι ταχύ, καὶ κινήσω τὴν λυχνίαν σου ἐκ τοῦ τόπου αὐτῆς, ἐὰν μὴ μετανοήσῃς.

6. Ἀλλὰ τοῦτο ἔχεις, ὅτι μισεῖς τὰ ἔργα τῶν Νικολαϊτῶν, ἃ κἀγὼ μισῶ.

7. Ὁ ἔχων οὖς, ἀκουσάτω, τί τὸ Πνεῦμα λέγει ταῖς ἐκκλησίαις. Τῷ νικῶντι δώσω αὐτῷ φαγεῖν ἐκ τοῦ ξύλου τῆς ζωῆς, ὅ ἐστιν ἐν μέσῳ τοῦ παραδείσου τοῦ Θεοῦ.

5. *Recordare igitur, unde excideris, & resipisce, & priora opera fac: sin verò, venio tibi citò; & movebo candelabrum tuum ex loco suo, nisi resipueris.*

6. *Sed hoc habes, quòd odisti facta Nicolaitarum: qua & ego odi.*

7. *Qui habet aurem, audiat, quid Spiritus dicat Ecclesiis. Vincenti, dabo ei edere ex arbore vitæ, quæ est in medio paradisi Dei.*

IN hoc capite continentur epistolæ quatuor. Prima est ad *Angelum Ecclesiæ Ephesinæ* versibus septem. *Angelus Ecclesiæ Ephesinæ* significat omnem doctorem Ecclesiæ, quæ *Ephesina* nominari commodè potest. Non possumus hîc præterire, quæ Paulus dixit *episcopis* vel *presbyteris* Ecclesiæ Ephesinæ Act. 20:17. 18. 28. imprimis vers. 29. 30. *Ego enim novi hoc, quòd intraturi sint, postquam pervenero* ad terminum meum, *lupi graves in vos, non parcentes gregi. Et ex vobis ipsis surgent viri loquentes distorta, ut abstrahant discipulos post se.* Significat, quum cursum suum absolverit & metam attigerit, Christianam Ecclesiam gravia tempora experturam. Nam intraturos lupos graves. Hoc Apostolus sine dubio non intellexit de sola Ephesina Ecclesia. Ecclesia Ephesina, si qua alia, poterat typum exhibere & instar esse Ecclesiæ omnis, in qua Apostoli docuerant. Quanta cum diligentia & quantum tempus Paulus in ea Ecclesia laboraverit, explicatur Actor. 20: vers. 31. Sed Epistola hæc habet partes tres: subscriptionem, argumentum sive rem epistolicam & clausulam. Subscriptio est vers. 1. Subscribens sive dictator Epistolæ describitur per duo elogia jam in visione exhibita; nempe, *qui tenet septem stellas in dextra sua & ambulat in medio septem candelabrorum aureorum*, h. e. qui præsens adest Ecclesiæ suæ omni tempore, quique illi prospicit de doctoribus & rectoribus, & probos doctores ac rectores tuetur, secundùm id, quod est Matth. 18: 20. *Ubi duo vel tres convenerint in nomine meo, ero in medio eorum.* cap. 28: 20. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad finem seculi.* Hæc descriptio, si intueamur mutationem regiminis & doctrinæ postea factam in mundo, opposita est hominum consilio tum Ecclesiam continendi, tum etiam rectores & doctores coërcendi per auctoritatem humanam: quam minimè esse necessariam, ostendit, quòd Christi illæ partes sunt, atque ipse sufficit ad hanc curam, ut & Ecclesia sit & per verbum veritatis luceat in mundo.

Ipsa Epistola habet laudem vers. 2. 3. & reprehensionem vers. 4. & adhortationem ad pœnitentiam cum suasorio argumento ab incommodo sive

 casti-

castigatione ingruente. Laudat opera, laborem, patientiam, & aversionem à malis fugamque communionis ipsorum ; ac nominatim scrutationem pseudapostolorum, in quo est timor peccati & amor veritatis, & ovium Christi, ne per falsam doctrinam corrumperentur, denique, quòd omnia tulerit, fecerit, & defatigatus non fuerit. Clarum est, hoc competere Christianis primi temporis, qui fuerunt discipuli Apostolorum, aut illis proximi. Notum est etiam, Apostolo Paulo ubique fuisse certamina cum pseudapostolis, qui Euangelium libertatis mutabant & interpolabant. Ephesios, inter quos Apostolus frequentius & diutius docuit, in his præluxisse cæteris, verisimile est.

Vers. 4. Reprehensio est de omissa prima charitate. Dictata est hæc epistola post destructam Hierosolymam, tempore Domitiani, fratris Titi, filii Vespasiani. Non igitur sine causa fuerit, si dicamus reprehensionem hanc in istud tempus maximè quadrasse. Quod si dixerimus, nihilominus manebit, omissionem charitatis primæ altiora potuisse habere initia. Christus Matth. 20: 26. 27. 28. ministris Ecclesiæ dat regulam, secundùm quam possint rectè affectare primatum : nempe si plurimum ministraverint & toleraverint, ut non primi potestate sed utilitate inveniantur. Johannes in tertia epistola conqueritur de Diotrephe φιλοπρωτεύοντι, nec recipiente Johannem & fratres, & volentes recipere impediente & ex Ecclesia ejiciente. Paulus Actor. 20: 28. 29. 30. prædicit Ecclesiis, post ἄφιξιν ipsius ex ipsis surrecturos esse homines loquentes perversa, ut discipulos post se abstrahant. Non potest dubitari, quin hisce testimoniis verificetur reprehensio doctorum & rectorum plerorumque, quòd pristinam charitatem omiserint. Nam ea res paulatim serpsit, donec in Ecclesiam introducta est potestas loco ministerii ; quorum hujus est ædificare per charitatem, illius percutere pugno. Apostolus 1 Cor. 4: 15. dicit: *Si enim infinitos habeatis pædagogos in Christo, tamen non multos patres. Nam in Christo Jesu per Euangelii annunciationem ego vos genui.* Significat, facile esse & paratum habere plurimos *pædagogos in Christo*, sed difficile & rarum, *patres* habere. Apostoli *patres* fuêre. *Gemuerunt* electos *in Christo*, h. e. magno labore & fideli annunciatione atque institutione exacta hoc effecerunt atque assecuti sunt, ut electi fierent filii Dei & Christi imago in ipsis efformaretur. Galat. 4: 19. At *pædagogi* hoc non agunt aut præstant, sed sedent in thronis & pronunciant, quid dicendum faciendumque, quid non dicendum ac faciendum sit, non parentes objurgant, censuris subjiciunt, pudefaciunt. Qui, quando rectè pronunciant, sunt *pædagogi in Christo :* sed eorum, ut studium & labor, ita & charitas minor est. Charitas enim quærit, ut plurimi in Christo gignantur, & formam Christi gestent,

gestent, ad gloriam Dei; & omnia facere ac pati imperat, ut id obtineatur. Pædagogus contentus est, si homines suæ pronuntiationi obtemperent: de cætero fortasse *bene facit sibi.* ut est Psalm. 49: 19. Proclive autem est, ut inter *pædagogos in Christo* consideat affectans dominationem & potestatem. Qui quid facere soleant, Apostolus indicat 2 Cor. 11: 20. *Toleratis, si quis vos in servitutem redigit, si quis comedit, si quis accipit, si quis effertur, si quis vos in faciem cædit.*

Vers. 5. Hortatio ad resipiscentiam, præterquam quod in memoriam revocet statum priorem, & ostendat, illos *excidisse* ex eo, h. e. posteriores non assequi gradum charitatis & studii priorum: (nam *Angelo* tanquam uni attribuitur & laus antecessorum & μίμησις posteriorum; ut solet in Scripturis fieri, ubi est successio, & posteriores veniunt in locum priorum, & idem nomen obtinent) excitat ad eadem opera facienda. Quo docemur, Reformationem non posse fieri nisi secundùm exemplar primæ conversationis Christianorum, cujus typus est in sacris literis: & non omne antiquum debere haberi pro primo; quandoquidem etiam prima Ecclesia increpita est, quod desierit prima opera facere; imprimis *Angeli* primæ Ecclesiæ. Addit etiam comminationem de *candelabro movendo ex loco ipsius. Movere candelabrum ex loco* potest significare vel sublationem Ecclesiæ ex eo populo vel ex eo loco, in quo antea fuerat, scilicet ut ex illo populo fideles non accedant amplius; quemadmodum desierunt ex Judæis fideles accedere ad Ecclesiam; vel ejectionem Ecclesiæ in fugam, ut non possit in loco suo consistere, sed tanquam per desertum in devio, incerta viæ, quærat locum habitationis, ut loquitur Psalm. 107: 4. ad quod alluditur cap. 12: 6. Ita significabuntur hic persecutiones, quæ maximè Christianorum episcopis imminuerunt. Neque tantùm persecutiones gentilium hic intelligi possunt, sed & Arianorum, quæ multas Ecclesias ex locis suis sustulerunt & expulerunt. Deinde Sarracenorum dominatio; imò etiam ipsius Antichristi, quæ effecit, ut Ecclesia, v. g. Romana, amplius Romæ non esset, sed, qui vellent piè vivere, ubique propellerentur, donec invenerunt *locum habitationis* in congregatione & pacificatione Ecclesiæ Reformatæ. Nemo putet absurdum, ea, quæ in singulis epistolis dicuntur, accommodari ad totam Ecclesiam Christianam ejusdem ætatis, &, quæ in iis prædicuntur, porrigi ad posteriora tempora.

Vers. 6. Hic est restrictio quædam reprehensionis per testimonium de odio adversus opera *Nicolaïtarum.* innuit, primitivam Ecclesiam (saltem alicubi) defeciſſe quidem à contentione virium ad exercendam *charitatem* in obitione ministerii; sed tamen non defeciſſe ab amore veritatis & sanctitatis; & eum in detestatione eorum, quæ faciebant *Nicolaitæ,*

spectatum fuisse. *Nicolaïtarum* mentio fit hîc & vers. 15. Veteres, sine dubio occasione hujus loci, per divinationem tradiderunt quasi historiam *Nicolaïtarum*. Irenæus dicit, eos permisisse idolothyta comedere & scortari. Hoc sine dubio sumsit ex vers. 14. Alii *Nicolaïtas* referunt ad *Nicolaum* proselytum Antiochensem Actor. 6: 5. de quo dicunt, quòd, cùm accusatus esset zelotypiæ adversus uxorem formosissimam, voluerit illam deserere, & omnibus prostituere. Itaque ipsum talis profanitatis auctorem fuisse existimant. Alii dicunt, hunc *Nicolaum* fuisse & perseveravisse esse sanctum virum, ipsasque etiam filias ipsius sanctas fuisse; & *Nicolaïtarum* sectæ alium auctorem faciunt, nescio quem. Non est putandum, hæc ita scripta esse, ut intelligi non possint, nisi ex tam incertis relationibus & hariolationibus. Sequendum est nobis aliquid certius & evidentius, atque intra illud subsistendum est. *Nicolaïtam* esse est sectam facere, & nomen hominis nuncupare præter nomen Christi. Quale est id, quod vetat Apostolus 1 Cor. 1: 12. *Quilibet vestrûm dicit: Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego autem Cepha: ego autem Christi.* Nihil mirum est, in visione adhiberi ænigma. ut planè temerarium fuerit dicere, eo tempore exstitisse *Nicolaum* quendam auctorem sectæ certæ in vulgus cognitæ, & ejus sectatores *Nicolaïtas* fuisse nominatos. Papæ posterioribus seculis *Nicolaïtas* vocabant Episcopos, qui ducebant uxores; ut constat ex Sigonio de regno Italiæ. Temerarium hoc quidem, sed tamen, si illis licet ex analogia ficti criminis nomen facere, multò magis nobis licebit ex analogia fidei certam interpretationem quærere. nempe primò constat hinc, post prima tempora (saltem eo tempore, quo charitas ministrorum Ecclesiæ eclipsin passa est) exstitisse homines, qui sectarentur nomen humanum. Certum est autem, id fecisse hæreticos: magis autem certum est, postea exortos esse, qui magis *Petri*, quam *Christi esse* vellent, quique nomen humanum *successorum Petri* facerent principium fidei. certum est, talium *facta* esse non bona. certum est, caput istius sectæ in ænigmate posse nuncupari *Nicolaum*, vel Hebraice נִקְלָע, ut id sit q. בִּיגֵּל עַם; vide vers. 14. quemadmodum princeps locustarum cap. 9: 11. vocatur אֲבַדּוֹן & ἀπολλύων ἀνιγμαλωδῶς: & locus belli sacri cap. 16: 16. ἁρμαγεδδὼν. Jam *Nicolaus* significat ὁ νικῶν τ λαὸν, qui superat populum, tanquam ἥλους: cumque facit subjectum & servum. *Nicolaïtæ* igitur sunt, qui tales *Nicolaos* h. e. *principes populi* sequuntur. Horum *facta odisse* (ut nihil nisi certum dicamus) significat odisse sectationem auctoritatis humanæ, retinere principium fidei & (cùm bestia orta est ex mari & alia ex terra) non recipere ipsius χάραγμα neque imitari illius facta in persecutione sanctorum.

Vers. 7. In subsignatione sive clausula est excitatio ad audiendum ea, quæ

quæ Spiritus dicit ecclesiis, &, quod ex promissione intelligitur, ad certandum, per promissionem communionis fructus arboris vitæ, qui est in paradiso Dei. *Qui habet aurem, audiat.* Præcepta Dei non præsupponunt, hominem peccatorem habere vires obediendi ex se, sed tendunt ad hominis timorem, & non frustrandam gratiam in ipso operantem. Nemo attendit, nisi qui aures habet à Deo perforatas & apertas. Qui ad verum non attendit, ille ne putet se habere *aures ad audiendum*, Deut. 29: 4. Idcoque non confidat sibi, sed potiùs timeat, ut possit scire, se *aures ad audiendum* accepisse. q. d. Nemo putet, se *aures habere ad audiendum*, qui non *audit*, *quod Spiritus dicit Ecclesiis*. Neque enim hoc Spiritus tantùm in hoc loco dicit, sed in omni prophetia. Quæ enim prophetia non loquitur de corruptione Ecclesiæ in regimine & doctrina, & de apostasia & tyrannide; itemque de Ecclesiæ persecutione & jactatione? quæ porrò non loquitur de conservatione fidelium?

Qui vicerit, h. e. permanserit usque ad finem. Matth. 24: 13. & non concesserit in partes *Nicolaitarum*, eorumque *facta* non fecerit.

Dabo ei edere de arbore vitæ. Arbor vitæ est Christus fons vitæ, qui *est in paradiso Dei*, hoc est, in cœlo. In statu rectitudinis *arbor vitæ* significabat Deum vivificantem vel certè *germen Dei vivificans*, h. e. Filium Dei: post lapsum significat distinctè *mediatorem, sermonem Dei, in quo est vita hominis*. Joh. 1: 4.

Edere autem *de arbore vitæ*, est habere Christum in se manentem, ut vitæ & justitiæ datorem, ut suppeditatorem Spiritus, ut corroboratorem, ut conservatorem, & lætificatorem.

EPISTOLA SECUNDA.

8. Καὶ τῷ ἀγγέλῳ τῆς ἐκκλησίας Σμυρναίων γράψον· Τάδε λέγει ὁ πρῶτος καὶ ὁ ἔσχατος, ὃς ἐγένετο νεκρὸς καὶ ἔζησεν·

9. Οἶδά σου τὰ ἔργα καὶ τὴν θλῖψιν καὶ τὴν πτωχείαν, (πλουτεῖς δὲ) καὶ τὴν βλασφημίαν ἐκ τῶν λεγόντων Ἰουδαίους εἶναι ἑαυτοὺς, καὶ οὐκ εἰσὶν, ἀλλὰ συναγωγὴ τοῦ σατανᾶ.

10. Μηδὲν φοβοῦ ἃ μέλλεις πάσχειν· ἰδοὺ, μέλλει βαλεῖν ὁ διάβολος ἐξ ὑμῶν εἰς φυλακὴν, ἵνα πειρασθῆτε· καὶ ἕξετε θλῖψιν ἡμερῶν δέκα· γίνου πιστὸς ἄχρι θανάτου, καὶ δώσω σοι τὸν στέφανον τῆς ζωῆς.

11. Ὁ ἔχων οὖς, ἀκουσάτω τί τὸ Πνεῦμα λέγει ταῖς ἐκκλησίαις. Ὁ νικῶν οὐ μὴ ἀδικηθῇ ἐκ τοῦ θανάτου τοῦ δευτέρου.

VERS. 8. *Et Angelo Ecclesiæ Smyrnæorum scribe: Hæc dicit Primus & Ultimus, qui factus est mortuus & revixit.*

9. *Novi opera tua & afflictionem & egestatem (dives autem es) & blasphemiam eorum, qui dicunt, Judæos esse se, & non sunt, sed congregatio Satanæ.*

10. *Nihil metue, qua passurus es. Ecce futurum est, ut Diabolus ex vobis quosdam conjiciat in carcerem, ut tentemini: & habebitis afflictionem dierum decem. Præsta te fidelem usq; ad mortem & dabo tibi coronam vitæ.*

11. *Qui habet aurem, audiat, quid Spiritus dicat Ecclesiis. Qui vicerit, non ladetur à morte secunda.*

Epistola secunda est ad *Angelum Ecclesiæ Smyrnensis*. Nomen habet allusionem ad σμύρναν, quod est *myrrha*. Cant. 3: 6. Ecclesia dicitur *ascendere ex deserto instar palmarum fumi, perfumigata myrrha atque thure præ omni pulvere seplasiarii*. Ibi significatur patientia fidelium in persecutione & martyria illorum, quæ suum odorem latè spargunt instar nidoris sacrificiorum aut thymiamatum. Et hæc Epistola talem patientiam prædicat. Non à vero igitur absimile est, hac Epistola non tantùm compellari Angelum Ecclesiæ unius oppidi, sed Angelum Ecclesiæ patientis in omni loco. Non est insuetum Spiritui sancto per nomina propria docere. Quid enim sibi vult nomen Abraham, Sara, Isaac, Israël, Immanuel, Magor Missabib, Jesus? nonne ea postulant se ex etymo explicari? ut & ipsum nomen *Jehovah?* Deinde nonne & Johannes cap. 9: 7. τὸ Σιλωὰμ interpretatur ἀπεσταλμένος, innuens, Christum voluisse significare, dum cæcum misit ad Siloæ aquam, quòd sanatio ipsius esset à lavacro, quod parabat is, qui à Deo missus erat. Paulum Gal. 4: 25. non piget observare, regionem montis Sinai etiam nomine Ἄγαρ cum ancilla convenire.

Notanda hîc subscriptio, res epistolica & clausula.

Subscriptio dictantem denominat à vita immortali, morte & resurrectione ad vitam immortalem vers. 8. Apparet, Christum patientibus ad constantiam proponere divinam suam potentiam, sponsionem mediatoriam, & testamentum Dei ante secula factum, intercessionem æternam, meritum mortis, & justificationem sui atque Ecclesiæ factam per resurrectionem, denique vitam & intercessionem perpetuam amoris fraterni immortalis.

Tractatio epistolica habet testimonium & consolationem. Testimonium est de *operibus, afflictione, paupertate*, quo ad seculum hoc; sed *divitiis*, quo ad spiritum & regnum Dei. Hoc testimonium opponit *blasphemiæ eorum, qui sese Judæos vocant & non sunt, sed sunt Synagoga Satanæ*. Testatur res & hic locus, posse aliquos nomen ferre populi Dei, qui non sunt, quale est *Judæus, Israël, Catholicus*: imò posse talia nomina sic usurpatione hominum alienari, ut inserviant denominationi hostium Ecclesiæ: quemadmodum *Judæus* jam factum est nomen apostatæ & infidelis. *Blasphemia Judæorum* est calumnia illa, qua Judæi prisci temporis odiosos fecerunt Christianos apud gentiles. De qua calumnia Justinus Martyr & Eusebius testantur. Quorum verba non semel producta à nobis sunt in Dodecapropheto. Consolatio demit timorem & hortatur ad constantiam usque ad mortem, & promittit coronam vitæ. γίνου πιστὸς, *existe fidelis*; hoc est, præsta te fidelem, sive ostende sinceritatem fidei tuæ. Fideles autem per hanc epistolam ad certamen futurum præparantur, simulque excitantur

ad

ad sperandam liberationem, dum & certamen imminens indicatur & tempus afflictionis determinatur. *Diabolus*, inquit, *ex vobis conjiciet in carcerem, ut tentemini.* Potest hoc intelligi de carceribus magistratuum, vel de morte corporis. Nam & sepulchrum non est nisi carcer diaboli; in quo corpus est ad tempus. Psalm. 107. vers. 10. & sequent. *Qui sedent in tenebris & umbra mortis*, tanquam in carcere, *vincti inopia & ferro.* Ergo vexari, oppimi, dispergi, quæri ad tormenta, spoliari, carceribus includi, denique interfici una voce significantur. Diabolo hoc attribuitur. Ab eo enim est cùm omnis regni Christi & veritatis ac piorum oppugnatio & infestatio; tum etiam mors & abolitio carnis. Ejus est *pulverem comedere.* Tametsi pii requiescunt in suis lectis à suis laboribus, tamen afflictio & mors est consequens peccati, & sic à Diabolo est. Ideò *mors hostis* dicitur, 1 Cor. 15: 26. licèt in morte *spiritus sit vita.* Rom. 8: 10. & per mortem *deponatur corpus peccatorum carnis.* Col. 2: 11. *Aculeus mortis est peccatum, & potentia peccati lex.* 1 Cor. 15: 56. Christus vicit & mortem, sed abolendam suo tempore, quum scil. exspectatio Dei finita erit, & judicium erit agendum. *Et habebitis afflictionem dierum decem.* Hoc habet aliquod ænigma. Possunt enim (ut ex eventu constat) intelligi persecutiones totidem; decem imperatorum, vel postrema Diocletiani, quæ duravit per decem annos. Ita Christiani potuerunt se erigere ad spem liberationis, tum per numerum persequutionum & persecutorum (qui fortasse & per *decem cornua draconis*, cap. 12. vers. 3. significantur) imprimis decimæ persecutionis diuturnitate.

Clausula habet communem omnibus hisce epistolis excitationem ad *audientiam*; & promissionem peculiarem pro *vincente*, nempe, *non lædendum esse à morte secunda.* Similia cap. 20. vers. 6. *Mors secunda* dicitur vel ratione singulorum, vel ratione mundi secundùm maximam partem. *Prima mors* hominis est, in quam incidimus omnes in Adamo, quamque ex utero nobiscum efferimus. Nascimur enim *mortui in peccato. Mors secunda* est defectio ab agnita veritate, postquam *effugerit* homo multa *mundi inquinamenta*, & *viam justitiæ* cum aliquo gaudio *cognoverit.* Hanc mortem innuit Judas vers. 12. cum dicit δὶς ἀποθανόντα, *bis mortuæ* arbores. Ut, si arbor mala sit, & desinat etiam virere. Mundi *mors prima* est gentium prisca ignoratio, cæcitas, error & corruptio. *Secunda mors* mundi consistit in adoratione bestiæ & receptione signaturæ ejus post agnitum Christum, & receptum verbum ejus ac nomen ipsius in externa fidelium communione; qua receptione Christo mentitæ sunt. Quæ mors non opponitur *resurrectioni primæ*, ut termino à quo: sed accedit ad mortem primam. A qua distinguitur, quia intercedit species vitæ & illumina-

tio

tio & cognitio viæ justitiæ, & gustatus virtutum seculi, quod Apostolus vocat *futurum* Heb. 6: 4. 5. Innuit hæc clausula, post finitos decem dies persecutionis, tempus ingruere periculosum, nempe *dominatum mortis secundæ*. De qua Apoc. 6: 8. & 20: 14. Sed munitur spes Ecclesiæ promissione, Christum conservaturum Ecclesiam & eos, qui *vicerint* carnem suam per Spiritum sanctum & fidem suam, (1 Joh. 5: 4. 5. *Quis est, qui vincit mundum, nisi qui credit?*) atque ita Diabolo superiores exstiterint, non esse omittendos, ut mors secunda illis nocere possit. 1 Joh. 4: vers. 3. 4. Alii per *mortem secundam* intelligunt judicium gehennæ. Et notum est, ab Auctore Targum מוֹתָא תִּנְיָנָא *mortem secundam* hac mente dici. Sed, quum sit quædam alia *mors secunda*, nempe ἀποστασία, quæ grassatura erat in mundo, de qua totus hic liber agit, & à qua docet neminem tutum esse, nisi qui *vicerit*, h. e. fidem vincentem habuerit: procul dubio rectè, hanc promissionem eam *mortem* primò spectare, statuimus. Temere enim faceremus, si eam speciem mortis velleimus à significatu hujus vocis excludere. Prædicationem Euangelii comitatur maxima, quæ in hoc seculo dari potest, gratia: sed & maxima ira in ingratos, ut Judæos, ita & gentes. Vide Rom. 1: 18. *Revelatur ira Dei de cælo.* Inter effecta illius iræ etiam est immissio efficaciæ seductionis. Vide 2 Thessal. 2: 9. 10. Seductores apostasiæ auctores designant sequentes Epistolæ. In quibus memoratur thronus Satanæ, tenentes doctrinam Nicolaïtarum, imitantes Bileam, & Jesabel, quæ se dicit prophetissam. Qui habet fidem vincentem, ut non venit in judicium gehennæ, ita etiam in eum potestatem non habet *mors* illa *secunda*, cujus instrumenta sunt seductores. Et ideò vincens fides quærenda est, ut ea mors, quæ præcipitat in gehennam, evitetur.

EPISTOLA TERTIA.

12. Καὶ τῷ ἀγγέλῳ τῆς ἐν Περγάμῳ ἐκκλησίας γράψον· Τάδε λέγει ὁ ἔχων τὴν ῥομφαίαν τὴν δίστομον τὴν ὀξεῖαν·

13. Οἶδα τὰ ἔργα σου, καὶ ποῦ κατοικεῖς, ὅπου ὁ θρόνος τοῦ σατανᾶ· καὶ κρατεῖς τὸ ὄνομά μου, καὶ οὐκ ἠρνήσω τὴν πίστιν μου, καὶ ἐν ταῖς ἡμέραις, ἐν αἷς Ἀντίπας ὁ μάρτυς μου ὁ πιστός, ὃς ἀπεκτάνθη παρ' ὑμῖν, ὅπου κατοικεῖ ὁ σατανᾶς·

14. Ἀλλ' ἔχω κατὰ σοῦ ὀλίγα, ὅτι ἔχεις ἐκεῖ κρατοῦντας τὴν διδαχὴν Βαλαάμ, ὃς ἐδίδασκεν τὸν Βαλὰκ βαλεῖν σκάνδαλον ἐνώπιον

VERS. 12. *Et Angelo Ecclesiæ, quæ est Pergami, scribe: Hæc dicit, qui habet gladium anceps acutum.*

13. *Novi opera tua, & ubi habites; ubi est thronus Satanæ: & tenes nomen meum, & non negasti fidem meam, & in diebus, in quibus Antipas testis meus fidelis, qui interfectus est apud vos, ubi habitat Satanas.*

14. *Sed habeo contra te pauca; quòd habes ibi tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balacum offerre scandalum filiis Israël,*

τῶν εἰδωλόθυτα καὶ πορνεῦσαι.

15. Οὕτως ἔχεις καὶ σὺ κρατοῦντας τὴν διδαχὴν τῶν Νικολαϊτῶν ὁμοίως.

16. Μετανόησον· εἰ δὲ μή, ἔρχομαί σοι ταχύ, καὶ πολεμήσω μετ' αὐτῶν ἐν τῇ ῥομφαίᾳ τοῦ στόματός μου.

17. Ὁ ἔχων οὖς, ἀκουσάτω, τί τὸ Πνεῦμα λέγει ταῖς ἐκκλησίαις· Τῷ νικῶντι δώσω αὐτῷ φαγεῖν ἀπὸ τοῦ μάννα τοῦ κεκρυμμένου, καὶ δώσω αὐτῷ ψῆφον λευκὴν, καὶ ἐπὶ τὴν ψῆφον ὄνομα καινὸν γεγραμμένον, ὃ οὐδεὶς οἶδεν, εἰ μὴ ὁ λαμβάνων.

Israël, ad comedendum idolis immolata & fornicandum.

15. *Sic habes & tu tenentes doctrinam Nicolaïtarum. quod odi.*

16. *Resipisce. Sin, venio tibi citò & præliabor cum ipsis gladio oris mei.*

17. *Qui habet aurem, audiat, quid Spiritus dicat Ecclesiis. Qui vicerit, dabo ei edere de manna occultato, & dabo ei calculum album, & in calculo nomen novum scriptum: quod nemo novit, nisi, qui accipit.*

Tertia Epistola est ad *Angelum Ecclesiæ Pergamensis.* Quum pateat, Apocalypsin per nomina quicquam αἰνίττεσθαι & innuere; quod & in V. Test. crebrò fieri solet (quemadmodum vocabula *Tyrus*, *Ægyptus*, *Edom*, *Assur*, mysticum & occultiorem sensum in illis habent) quumque nihil ferè appareat in historia, quod ad hujus Epistolæ argumentum referri possit; non sine ratione faciemus, si subjectum hujus Epistolæ quæramus in re analoga, quod sustinere omnium dictorum veritatem possit; & quidem secundùm Apocalypseos & reliquæ prophetiæ ductum. Alioquin *Pergama* notant arcem, & urbs eo nomine erat sedes regum Asiæ. Non erit inconveniens intelligere ecclesiam urbis dominantis, & magna potentia circumvallatæ & (quidni enim & hoc addatur?) cujus populus gloriatur auctoribus illis, qui essent ab Asiana, & Trojana, & sic Pergamensi origine. In subscriptione dictator Epistolæ describitur à *gladio ancipiti* & *acuto.* Confer v. 16. & Heb. 4. v. 12. Ego sum is, cujus verbum est vivum & efficax, dividens conscientiæ dictatum à concupiscentiæ ratiociniis; omnia aperiens, quæ in homine sunt; & quod celeres effectus habet in iis, qui ei non obediunt. Opposita hæc verbo, quod homines loquuntur docti humana sapientia. Quod est, ut plumbeus pugio, imò ut palea. Jerem. 23: 28. 29.

In Epistolica re est testimonium vers. 13. redargutio vers. 14. 15. hortatio ad pœnitentiam vers. 16. Testimonium est partim generale, *novi opera tua*: partim speciale, nempe de *retentione nominis Christi*, & *non abnegata fide ejus.* Id illustratur & amplificatur à difficultate, quòd id fecerit in eo loco, *ubi est thronus Satanæ*, &, *ubi habitat Satanas.* Deinde in eo tempore, *quum Antipas, testis Christi fidelis, interfectus fuit.* Non potest fieri, ut *thronus Satanæ* & *habitatio Satanæ* nihil significet præter dominationem gentilium, & Diaboli potestatem illam, quam habet communiter

muniter in mundo, imprimis cùm cap. 13. verſ. 2. dicatur, *draconem thronum ſuum & poteſtatem ſuam dediſſe beſtiæ.* Quo facto, Eccleſia habitavit, *ubi erat thronus Satanæ.* Nam *Beſtia*, ut ſuo loco dicemus, ſignificat multitudinem ſub nomine Chriſtiano animalem, & regnantem in mundo. Hæc cogitatio nos deducit ad *civitatem magnam*, imperium Romanum, in quo Conſtantinus id effecit, ut omnia Chriſtiano nomini ſubderentur. Arethas, ſive Andreas, dicit, apud Pergamenos Antipam quendam occiſum eſſe; ſed valdè verendum, ne is ex ænigmate prophetico fecerit hiſtoriam. Certum eſt, à Conſtantino habitam Synodum Nicænam in Bithynia, ubi aſſertum fuit τὸ ὁμοούσιον τῷ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ. *Antipas* eſt truncatum ex ἀντίπατρος. Hoc ſignificat quaſi ἰσόπατρον, vel ἴσον τῷ πατρὶ, *æqualem patri.* Nequé potuit nomen aptius fieri ad ſignificandos τοῦ ὁμοουσίου aſſertores, quorum eſt filium dicere ἴσον τῷ πατρὶ, Joh. 5: 18. Is autem martyr, ſive omnes hujus doctrinæ aſſertores, tum ſententia jugulati ſunt, tum quidam vexati & interfecti ab Arianis; quorum fautores fuerunt Conſtantius & alii Imperatores Orientis. Sub Juliano etiam ſucceſſore Conſtantii Eccleſia periclitata eſt. Sed nolim hoc μαρτύριον confundere cum eo genere, de quo egit Epiſtola ad Smyrnenſem Angelum.

Redargutio eſt, quòd *habeat ibi tenentes doctrinam Nicolaïtarum*, quos dicit *tenere doctrinam Bileam, qui docuit Balacum ſcandalum objicere filiis Iſraël.* vide Num. 31. verſ. 15. De Bileami ſectatoribus vide Jud. verſ. 11. 2 Pet. 2. verſ. 17. Compara, quæ diximus ad verſ. 6. Apparet, in hac Eccleſia, ſive periodo, non tantùm notari remiſſionem à priſtina charitate in miniſtris Eccleſiæ, ſed & in multis imitationem eorum, qui nomen humanum præferre ſtuderent. Neque poteſt negari, per occaſionem controverſiarum Arianarum Papam Romanum cæpiſſe apud Catholicos eſſe in majori pretio. In Niceno conſilio etiam confirmatus eſt *antiquus mos*, (τὰ ἀρχαῖα ἔθη, ut illi loquuntur) nempe ut Eccleſiæ eſſent ſub ſingulis epiſcopis, epiſcopi ſub metropolitis, & metropolitarum princeps in occidente eſſet Papa Romanus. Ita paulatim majeſtas ejus evecta eſt, donec imperatores Orientis etiam decernerent, ut ejus reſcripta pro lege haberentur. De hac Papæ proceſſione vide excerpta noſtra hiſtorica ad Hoſ. cap. 10. Planè autem eoſdem Bileami diſcipulos hîc intelligimus, quos Petrus & Judas deſcribunt. Nota hîc obiter convenientiam inter vocabulum νικόλαος & *Bileam.* Nam hoc ſonat quaſi בִּלְעָם, hoc eſt ὁ ἔχων τὸν λαὸν vel quaſi ſponſus & caput populi; contra illud, quod eſt Jeſ. 54: 5. ubi in oppoſitione בְּעוּלָה ſive *maritatæ*, quæ fuit in V. Teſt. verſ. 1. dicitur de Eccleſia Novi Teſtamenti, כִּי בֹעֲלַיִךְ עֹשָׂיִךְ יְהוָה צְבָאוֹת שְׁמוֹ *qui habet te*, ſponſam

sam scilicet & uxorem, est *factor tuus*: *Dominus* Deus *exercituum nomen ejus*. Ergo, qui volunt esse alius viri, alium faciunt בְּעַל הָעָם, qui revera populum Dei, tanquam populum suum, habet in potestate & subigit, κρατοῦσι.

Hortatio ad pœnitentiam ducitur à comminatione; quòd *citò ipsi venturus sit, & pugnaturus cum illis gladio oris sui*, hoc est, quòd exciturus sit in Ecclesia multos, qui oppugnent auctoritatem humanam per verbum Dei: unde futurum erat, ut contentiones in Ecclesia orirentur, & Antichristianus dominatus ad summum culmen propelleretur; unde majorem faceret ruinam. Subintelligendum ex antecedentibus, eo tempore *mortem secundam*, h. e. indurationem, post auditum & cum gaudio receptum Euangelium regni, in multos grassari, quippe ubi *bestia* est & *thronus Satanæ*, & persecutio *martyrum*, & *scandala*, & *idolothyta*.

Clausula *vincenti* promittit *manna occultatum* & calculum album, & in eo novum nomen, quod nemo cognoscat, nisi qui accipit. vers. 17. Manna occultatum est panis, qui de cœlo venit Joh. 6. *Occultatus* dicitur, quia mundus eum non novit, & in cœlo asservatur suo tempore manifestandus. Coloss. 3: 3. quemadmodum urnula Mannæ in intimo sanctuario juxta arcam erat reposita. Exod. 16: 33. Heb. 9: 4. Κεκρυμμένον rectiùs vertitur *occultatum*, quàm *occultum*, quod est κρυπτόν. *Albus calculus* est justificatio. *Novum nomen* est nomen filii adoptivi. Id nemo novit, nisi qui accipit: quia fideles soli Deo sunt conspicui, habentes παῤῥησίαν coram Deo in bona conscientia. 1 Joh. 3: 21. Hoc dictum testatur, Ecclesiam non esse habendam instar visibilis in mundo regni, in quo populus duces suos profitetur & in eorum nomen jurat: sed constare ex illis, qui *vincunt*, h. e. qui habent fidem; & habere communionem cum Christo, qui in cœlo est, eumque exspectare; à Deo autem justificari ad ipsorum conscientiam in occulto, neque indigere hominum judicio, neque id metuere.

EPISTOLA QUARTA.

18. Καὶ τῷ ἀγγέλῳ τῆς ἐν Θυατείροις ἐκκλησίας γράψον· Τάδε λέγει ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ, ὁ ἔχων τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτοῦ ὡς φλόγα πυρός, καὶ οἱ πόδες αὐτοῦ ὁμοῖοι χαλκολιβάνῳ·

19. Οἶδά σου τὰ ἔργα, καὶ τὴν ἀγάπην, καὶ τὴν διακονίαν, καὶ τὴν πίστιν, καὶ τὴν ὑπομονήν σου, καὶ τὰ ἔργα σου, καὶ τὰ ἔσχατα πλείονα τῶν πρώτων.

20. Ἀλλ' ἔχω κατὰ σοῦ ὀλίγα, ὅτι ἀφεῖς τὴν γυναῖκα Ἰεζάβελ, τὴν λέγουσαν ἑαυτὴν προ-

VERS. 18. *Et Angelo Ecclesiæ, quæ Thyatiris est, scribe: Hæc dicit Filius Dei, qui habet oculos suos, ut flammam ignis, & pedes ejus similes chalcolibano.*

19. *Novi opera tua, & charitatem, & ministerium, & fidem, & patientiam tuam, & opera tua, & postrema uberiora prioribus.*

20. *Sed habeo contra te pauca, quòd sinis mulierem Izabel, quæ dicit seipsam prophe-*

φῆσι, διδάσκειν καὶ πλανᾶσθαι ἐμοὺς δούλους, πορνεῦσαι καὶ εἰδωλόθυτα φαγεῖν.

21. Καὶ ἔδωκα αὐτῇ χρόνον, ἵνα μετανοήσῃ ἐκ τῆς πορνείας αὐτῆς, καὶ οὐ μετενόησεν.

22 Ἰδοὺ, ἐγὼ βάλλω αὐτὴν εἰς κλίνην, καὶ τοὺς μοιχεύοντας μετ' αὐτῆς εἰς θλῖψιν μεγάλην, ἐὰν μὴ μετανοήσωσιν ἐκ τῶν ἔργων αὐτῶν.

23. Καὶ τὰ τέκνα αὐτῆς ἀποκτενῶ ἐν θανάτῳ· καὶ γνώσονται πᾶσαι αἱ ἐκκλησίαι, ὅτι ἐγώ εἰμι ὁ ἐραυνῶν νεφροὺς καὶ καρδίας καὶ δώσω ὑμῖν ἑκάστῳ κατὰ τὰ ἔργα ὑμῶν.

24. Ὑμῖν δὲ λέγω, καὶ τοῖς λοιποῖς τοῖς ἐν Θυατείροις, ὅσοι οὐκ ἔχουσι τὴν διδαχὴν ταύτην, καὶ οἵτινες οὐκ ἔγνωσαν τὰ βάθη τοῦ Σατανᾶ, ὡς λέγουσιν· οὐ βάλλω ἐφ' ὑμᾶς ἄλλο βάρος.

25. Πλὴν, ὃ ἔχετε, κρατήσατε, ἄχρις οὗ ἂν ἥξω.

26. Καὶ ὁ νικῶν, καὶ ὁ τηρῶν ἄχρι τέλους τὰ ἔργα μου, δώσω αὐτῷ ἐξουσίαν ἐπὶ τῶν ἐθνῶν·

27. Καὶ ποιμανεῖ αὐτοὺς ἐν ῥάβδῳ σιδηρᾷ· ὡς τὰ σκεύη τὰ κεραμικὰ συντρίβεται· ὡς κἀγὼ εἴληφα παρὰ τοῦ πατρός μου·

28. Καὶ δώσω αὐτῷ τὸν ἀστέρα τὸν πρωϊνόν.

29. Ὁ ἔχων οὖς, ἀκουσάτω, τί τὸ Πνεῦμα λέγει ταῖς ἐκκλησίαις.

tissam, docere, & errare meos servos, fornicari & idolis immolata comedere.

21. *Et dedi ei tempus, ut resipisceret à fornicatione sua, & non resipuit.*

22. *Ecce ego conjicio eam in lectum: & qui mœchantur cum ea, in afflictionem magnam: nisi resipiscant ab operibus suis.*

23. *Et filios ejus occidam in morte, & cognoscent omnes Ecclesiæ, quòd ego sim, qui scrutatur renes & corda: & dabo vobis, unicuique secundùm opera vestra.*

24. *Vobis autem dico & reliquis, qui sunt Thyatiris, qui non habent doctrinam hanc, & qui non cognoverunt profunditates Satanæ, ut dicunt: non imponam vobis aliud onus.*

25. *Tantùm, quod habetis, retinete, donec veniam.*

26. *Et, qui vincit & tenet usque ad finem opera mea, dabo ei potestatem in gentes:*

27. *Et pascet eas in virga ferrea; quemadmodum vasa testacea confringuntur: quemadmodum & ego accepi à patre meo;*

28. *Et dabo ei stellam matutinam.*

29. *Qui habet aurem, audiat, quid Spiritus dicat Ecclesiis.*

Quarta Epistola inscribitur *Angelo* Ecclesiæ, quæ est *Thyatiris*. Si nominis ratio habenda est, τὴν θυομένην καὶ τειρομένην, h. e. eam, quæ immolatur & vexatur, cogitabimus. Non clariùs *Bamáh* suo nomine fatetur, quàm vanum sit *Celsum*, Ez. 20:29. quàm hæc Ecclesia se suo nomine patefacit. In subscriptione dictator epistolæ tribus insignibus designatur. 1. *Filius Dei*, cujus est hæreditas & Regnum sine socio, & sacerdotium sine successore. 2. *Habens oculos ut flammam ignis*, h.e. scrutans corda & renes v. 23. & malum non ferens ante oculos suos. 3. *Et pedes ipsius instar chalcolibani*, h. e. instar æris candentis. vide cap. 1. v. 15. Dan. 10. v. 6. Ezech. 1. v. 27. & 8. v. 2. Apoc. 10. v. 1. Quo notatur judicium consequens visitationem ejus. Ubi est & ambulat, ibi exurit omne contrarium.

In tractatione epistolica est *primò* testimonium, *secundò* reprehensio, *tertiò* præceptum. *Testimonium* est rursus tum generale, tum speciale, de dilectione unanimi, de ministerio in bonorum erogatione ad cultum Dei & sustentationem pauperum; de *fide* eorum, qui in maximis tentationi-

bus,

bus, & totius ferè mundi seductione, non passi sint veritatem occultari. Confer cap. 11. vers. 9. Item, de *patientia*. Denique rursus de operibus in genere, & profectu ad meliora & pleniora, vers. 19. In magna tentatione & diluvio corruptionis fidelium sinceritas abundantiùs noscitur, & ad uberiorem fructum exercetur.

Vers. 20. Reprehenditur, quòd *sinat mulierem Iezabel, quæ se ipsa dicit prophetissam, docere, & errare servos Christi, scortari & idolothyta comedere.* Angelus Ephesinus non poterat ferre malos, hic fert, Jesabelem docere. Quis dubitet, nomen *Jezabel* hîc esse ænigmaticum, & significare aliquid analogum, nempe meretricem illam, quæ in Apocalypsi reliqua describitur? atque adeò similiter cetera nomina ænigmatica esse? Apparet in hoc profectus à diminutione *charitatis* primæ ad *opera Nicolaitarum*, & porrò ad introductionem *meretricis, quæ se dicit esse prophetissam*, ut in pace doceat, & *errent Christi servi, fornicentur & idolothyta comedant. Mulier Jezabel* partim significat falsum prophetam; de quo est cap. 13. hoc est, systema falsorum prophetarum, partim illorum omnium caput Anticlristum. *Mulier* dicitur, quæ se exponit hominum libidini & habet relationem ad alios, tanquam *mœchos.* De quibus vers. 22. *Jezabel* dicitur ob analogiam uxoris Achab, quæ fuit gentilis, profana, idolis dedita, persecutrix prophetarum, Achabo consiliaria nequitiæ, quæ fuco corporis etiam conata est Jehu fascinare & illaqueare. Et de cetero quidem per hoc nomen datur occasio cogitandi de aliis, in quibus Jezabel & pseudopropheta communicant; hîc autem per prædicatum, qui pro *Jezabele* haberi debeant, designantur: nempe, *qui se dicunt esse prophetas*, h. e. sibi vendicant infallibilitatem & judicium, quod omnes teneantur sequi, quique *docent scortari & idolothyta comedere*, de quo vers. 14. Est autem scortari alium Deum habere, alium Christum, aliud verbum, aliud fundamentum. *Idolothyta comedere* est ad mensam eandem accedere cum idololatris, & ipsorum factis communicare. Res ipsa ostendit, inter *idola* hîc debere referri imagines, ut in veneratione habitas. de quibus cap. 9. 20.

Cernitur hîc ἐν σωρόφ confusio fidelium cum adorantibus bestiam, sessio Antichristi in templo Dei, ecclesiæ introductio intra portas inferni. Quando enim Angelus ecclesiæ sinit meretricem docere, & ita servos Christi errare, ut Jezabelem non agnoscant; tum sedet meretrix in ecclesia, & ii, qui Christum & verbum ejus & fundamentum in eo traditum tenent (dum in multis errant, parati tamen sunt demonstratæ veritati cedere) miscentur cum iis, qui verum fundamentum ignorant, errores pro fundamento habent, & pro verbis Christi doctrinam hominis recipiunt, tanquam prophetæ missi à Deo ad dicendum, quod antea dictum

non fuerit, quodque non per indubitabile verbum Dei ad omnes pervenerit. In N. Teſt. ſunt etiam prophetæ, qui ex prophetiâ regnum Chriſti demonſtrant; & *prophetant*, qui narrant ea facta, quæ ſunt à Deo prædicta, & demonſtrationi ex prophetiâ aſtipulantur: ſed in N. Teſt. non ſunt *Propheta*, qui dicant aliquid inauditum. Moſes fuit *Propheta* ad tradendam legem & inſtituendum ſacerdotium Aharonicum. Samuel & cæteri Prophetæ paulatim de diebus Chriſti apertiùs ſunt vaticinati, aliquid ſemper de Chriſto dicentes, quod antea vix cogitari potuit. Chriſtus venit ut *Propheta*, qui diceret, ſalutem factam per ſe: quod verbum antea auditum non erat. Sed in Chriſto eſt plenitudo, Deus legem ſuam poſuit in medio, & nemo unus alterum amplius docet, ut *Propheta*, dicens aliquid ad juſtitiam & ſalutem neceſſarium, quod non demonſtret ex verbo Dei jam ſcripto. Igitur *ſe Prophetam dicere* eſt ſubjicere ſibi verbum Dei & ſenſum ejus, auctoritatem ſibi ſumere loquendi ſine demonſtratione, & de fide præcipiendi extra Scripturam.

Præceptio eſt v. 25. *Quod habetis, retinete.* cujus præceptionis ſubjectum eſt v. 24. in cæteris verſibus ſunt argumenta ſuaſoria: nempe à judicio, v. 21. 22. 23. item à clementiâ, v. 24. denique ab adventu ſuo, v. 25.

Judicium concernit *Jezabelem* & *mœchos ejus*, & *filios ejus*. De Jezabele teſtatur *impœnitentiam* in duplici experimento, nempe dati temporis ad reſipiſcendum, verſ. 21. & languoris impoſiti, *ut cubet in lecto*. verſ. 22. Facile eſt illa aptare tempori diuturno, quod Deus indulſit Pſeudoprophetæ: & infirmitati ejuſdem, in quam viſus eſt ſæpe eſſe conjectus. Mihi tamen videtur, ſingulare quippiam ſignificari per hoc, *conjectam eam in lectum*. Nempe, non debuiſſe fideles exſpectare, ut ſtatim aboleatur Antichriſtus; quemadmodum & Apoſtolus 2. ad Theſſal. 2. 8. tria diſtinguit in Judicio Antichriſti, ἀποκάλυψιν, ἀνάλωσιν, καὶ ἐπιφάνειαν, *revelationem*, *conſumtionem*, *abolitionem*. & cap. 18: 7. 8. oſtenditur, imminente ipſius judicio, adhuc meretricem gloriari, quòd ſedeat regina & vidua non ſit futura. Ergo, quando revelatus eſt Antichriſtus, quum ſidus illud cecidit è cœlo in terram cap. 9: 1. quum incepit contemni & oblivioni tradi Tyrus, Eſ. 23: 14. tunc rectè dicemus Jezabelem in lectum eſſe conjectam.

Secundum judicium, quod prædicit, quodque fideles exſpectare jubet, pertinet ad *Jezabelem & adulteros ejus*, qui non poſſunt eſſe alii, quàm quorum reſpectu meretrix magna dicit, *nunquam ero vidua*; nempe *reges & principes terræ*, *qui poteſtatem ſuam tradunt beſtiæ*. cap. 17: 2. & 18: 9. Eſ. 23: 16. Propter quorum potentiam meretrix maximè eſt formidabilis, cap. 17: 13. 17. Ergo ad fidelium confirmationem facit, ut ſciant,

illos

illos non esse timendos; imò magis timendam esse societatem cum ipsis, quàm illorum infestationem. Denunciat enim, *se eos cum meretrice conjecturum in magnam angustiam, nisi resipiscant.* Quod hîc generaliter dicitur, id in sequentibus magis explicatur. Nam cap. 3: 10. loquitur de *tentatione venturâ in totâ habitabili.* Cap. 6: 12. usque ad finem agitur de cœli & terræ commotione. Cap. 17: 14. iterum mentio fit *angustiæ magnæ.* Cap. 16. enumerantur plagæ bestiæ, & cap. 17. & 18. judicium meretricis, & cap. 19. 18 invitantur volucres ad edendas carnes regum. Cap. 20: 9. dicitur, ignem è cœlo descendisse in Gogum & Magogum. Operæ pretium hîc est meminisse omnia, quæ gesta sunt ab initio reformationis, & in quas angustias vel nuper Deus persecutores & Clerum Romanum conjecerit.

Tertius gradus judicii iste est: *occidam filios ipsius in morte.* Confer rursus cap. 18: 7. *luctum non videbo:* nempe tanquam *occisis liberis:* item Es. 14: 21. *parate filiis ipsius mactationem propter pravitatem patrum ipsorum, non surgent & hæreditabunt terram & implebunt orbem habitabilem urbibus.* Cum hac occisione possumus comparare, quæ dicuntur cap. 11: 18. de *perdendis perdentibus terram*, & cap. 19: 20. 21. de *conjectâ bestiâ vivâ in stagnum ignis, & reliquis occisis gladio.*

Consequens hujus judicii, quod est celebratio nominis Christi apud Ecclesiam, dum ipse cognoscetur *is esse, qui scrutatur corda & renes*; habet vim argumenti ad spem judicii hujus confirmandam, quia gloriæ Christi interest, ut ipse caput Ecclesiæ & inspector cordium cognoscatur.

Altera ratio, suadens *retinere quod habent*, ducitur ab ἀνταποδόσει: *Dabo unicuique vestrum secundùm opera sua*, quod & de præmio cœlesti & de fructu fidei atque constantiæ in hoc mundo, quæ est in amplificatione regni Christi, intelligi debet.

Interim pollicetur, se usurum clementiâ adversus ipsos, *neque aliud onus se ipsis impositurum:* nempe, præter certamen cum Antichristo, nullum ipsis aliud onus impositurus erat; & erat eos conservaturus ex tentatione & angustiâ magnâ.

Promittit hoc quibusdam directâ compellatione, *& cæteris, qui sunt Thyatiris, qui hanc doctrinam non habent*, & qui non approbant *profunditates Satanæ, ut dicunt.* Directa compellatio notat fideles δεκίμους jam ad certamen vocatos; *reliqui*, quos cum ipsis conjungit, sunt duûm generum: alii, *qui non tenent illam doctrinam*, h. e. non credunt falsis doctoribus: alii, qui videntur credere, sed nesciunt *profunditates Satanæ*, h. e. nesciunt eorum concatenationem, ut alii in *profunditatibus* scholasticis, quas ipsi jactant (pro quibus per irrisionem dicit *profunditates Satanæ*) magis exercitati, & qui pro simplicibus ovibus habentur ab illis magnis doctoribus.

Qui-

Quidam Codices τὸ δὲ & non habent, ut nec Syrus aut Arabs. Hoc si sequimur, λοιποὶ *reliqui* erunt τὸ καταλλειμμα, *reliquiæ secundùm electionem gratiæ.* Confer Rom. 9:27. 11:5. Nisi profectò, dum dicit, *qui nescient profunditates Satanæ, ut dicunt*, significat, eos, qui eas *profunditates* jactant, suo ore confiteri, eas esse *profunditates Satanæ.* Nam, dum dicunt, se habere verbum, quod non pervenerit ad omnes; ut quod à fidelibus non possit judicari: quid aliud dicunt, quàm, se id non accepisse à Deo? Documentum hoc est, nos posse bene sperare de multis simplicioribus, qui errant & putant, Jezabelem vera dicere, non intelligentes, ejus jactationem & dicta nunquam convenire cum iis, quæ crediderunt. Quorum tamen socordia non potest excusari.

Vers. 25. In præcepto, cùm dicitur: *tantùm, quod habetis, tenete:* notandum est, 1. id præceptum congruere cum eo Apostoli 2. Timot. 3. vers. 14. *Tu autem mane in iis, quæ didicisti, & de quibus fides tibi facta est.* Non *habemus*, quod non *accepimus*, quod non *didicimus*, quod non demonstratum est, quod non docti sumus, cujus Doctor Deus non est. Qui credit, quod non est doctus à Deo, quantumvis id *teneat*, nihil habet; sed tantùm *habere videtur* etiam *illud, quod habet.* Nam, qui alia dogmata admittit, *ne caput quidem tenet.* Coloss. 2:19. *neque verbum Dei habet manens in se*, Joh. 5:38. nec *fundamentum tenet*; quia aliud *principium* seu verbum & *caput* & *fundamentum* tenet. 2. præsupponitur hic, quòd in communione Jezabelis, hoc est, Antichristi necdum manifestati, fuerint, qui tenerent fundamentum. Et certè, si verba fundamenti non fuissent retenta, & doctrina fundamenti non fuisset audita, Antichristus in ecclesiam Dei non venisset, & in illa non sedisset. 3. subinnuitur periculum eorum, qui *profunditates Satanæ quidem ignorabant*, & *Nicolaïtarum doctrinam non tenebant*; ne fortè & ipsi instabiles essent, & aliam doctrinam admitterent. Notum est, quot modis sinceritas Euangelii fuerit tentata, per Anabaptistas, Samosatenianos, Interimistas, Adiaphoristas, & maximè controversias sacramentarias. Quare hoc præcepto commendatur studium conservandæ puritatis Euangelii. Non omnia projicienda sunt, quæ eo tempore, quo Jesabel docuit sine impedimento, fuerunt audita. Nam fuit etiam Angelus illius Ecclesiæ, fuit fides, fuit verbum veritatis. Dum addit, *donec veniam*, significat, non tantùm adventum ad ultimum judicium, sed etiam adventum ad liberationem; de qua in superioribus, & in sequentibus.

Clausula enim vers. 26. 27. 28. *vincenti* h. e. veritatem retinenti, & *servanti usque ad finem opera Christi*, hoc est, charitatem & patientiam; promittit *potestatem in gentes, ut pascat illas sceptro ferreo, quemadmodum vasa testacea confinguntur*; ibi τὸ ποιμαίνει capiendum est pro σωτηρίᾳ, ut non tam spectetur verbum Græcum, quàm id, quod est in fonte Psalm. 2:9.

Pro-

Promissio hæc confirmatur à regno, quod accepit à patre. Communicamus cum Christo in regno, & per fidem verbi ipsius facimus, quod ille facit. Joh. 14. 12. 13. 14. Hæc sunt vera miracula, quæ demonstrant Ecclesiam, & hæc est salutaris fides miraculorum, credendo facere, quod Deus promisit.

Est & alia promissio, *dabo ipsi sidus matutinum.* Id potest intelligi de luce internâ veræ sapientiæ & lætitiæ Spiritus sancti (vide 2. Pet. 1. 19.) sed non minùs debet intelligi de initiis liberationis per eductionem Ecclesiæ ex Babylone, ejusque illustrationem per verbum veritatis & redargutionem falsitatis, variaque in multis charismata, denique ejus defensionem contra furores mundi.

Excitatio ad attentionem est vers. 29. ut in superioribus.

CAPUT TERTIUM.

EPISTOLA QUINTA.

1. Καὶ τῷ ἀγγέλῳ τῆς ἐν Σάρδεσιν ἐκκλησίας γράψον· Τάδε λέγει ὁ ἔχων τὰ ἑπτὰ πνεύματα τοῦ Θεοῦ, καὶ τοὺς ἑπτὰ ἀστέρας· Οἶδά σου τὰ ἔργα, ὅτι τὸ ὄνομα ἔχεις, ὅτι ζῇς, καὶ νεκρὸς εἶ.

2. Γίνου γρηγορῶν, καὶ στήριξον τὰ λοιπὰ, ἃ μέλλει ἀποθανεῖν· οὐ γὰρ εὕρηκά σου τὰ ἔργα πεπληρωμένα ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ.

3. Μνημόνευε οὖν, πῶς εἴληφας καὶ ἤκουσας, καὶ τήρει, καὶ μετανόησον. Ἐὰν οὖν μὴ γρηγορήσῃς, ἥξω ἐπί σε, ὡς κλέπτης, καὶ οὐ μὴ γνῷς, ποίαν ὥραν ἥξω ἐπί σε.

4. Ἔχεις ὀλίγα ὀνόματα καὶ ἐν Σάρδεσιν, ἃ οὐκ ἐμόλυναν τὰ ἱμάτια αὐτῶν, καὶ περιπατήσουσι μετ' ἐμοῦ ἐν λευκοῖς· ὅτι ἄξιοί εἰσιν.

5. Ὁ νικῶν, οὗτος περιβαλεῖται ἐν ἱματίοις λευκοῖς· καὶ οὐ μὴ ἐξαλείψω τὸ ὄνομα αὐτοῦ ἐκ τῆς βίβλου τῆς ζωῆς, καὶ ἐξομολογήσομαι τὸ ὄνομα αὐτοῦ ἐνώπιον τοῦ πατρός μου, καὶ ἐνώπιον τῶν ἀγγέλων αὐτοῦ.

6. Ὁ ἔχων οὖς, ἀκουσάτω, τί τὸ Πνεῦμα λέγει ταῖς ἐκκλησίαις.

VERS. 1. *Et Angelo Ecclesiæ, quæ Sardibus est, scribe: Hæc dicit, qui habet septem Spiritus Dei, & septem stellas: Novi tua opera: quòd nomen habeas, quòd vivas, & mortuus sis.*

2. *Existe vigilans, & statumina reliqua, quæ moritura sunt. Non enim inveni opera tua plena coram Deo.*

3. *Memento igitur, quomodo acceperis & audiveris, & serva, & resipisce. Si igitur non vigilaveris, veniam super te, ut fur; & non scies, qualem horam venturus sim in te.*

4. *Habes pauca nomina etiam Sardibus, quæ non inquinarunt vestimenta sua: & ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt.*

5. *Qui vincit, hic amicietur vestibus albis, & non delebo nomen ejus ex libro vitæ, & confitebor nomen ejus coram Patre meo, & coram Angelis ejus.*

6. *Qui habet aurem, audiat, quid Spiritus dicat Ecclesiis.*

QUinta epistola est ad *Angelum Sardensem*, h. e. ad doctores ecclesiæ, quæ ob certam analogiam & rationem *Sardensis* vocari potest. Lydo-

rum ea metropolis erat, Cræsi regia. Fortè & ad שַׂר *princeps*, aut שָׂרִיד *amussis* aut שָׂרִיד *superstes* alluditur, aut fuerit illo tempore aliquid in Sardensi ecclesiâ respondens verbis epistolæ, propter quod ad ænigma propheticum hæc ecclesia particularis fuerit assumta. Dictator epistolæ se denominat *habentem septem Dei spiritus, & septem stellas.* Nosci vult se caput ecclesiæ, suppeditatorem Spiritus sancti, & datorem ministrorum Ecclesiæ.

Testimonium est valde jejunum, *novi tua opera, quòd nomen habeas, quòd vivas.* Hoc non est laudis, sed convictionis. Sunt *opera*, ut ejus, qui nomen habet, quòd vivat, hoc est, qui respiscens ab erroribus & peccatis, primæ resurrectionis particeps, veritatis assertor, egressus ex regno bestiæ reputatur & nominatur. *Vivere* is dicitur, qui credit in Christum, & Deum amat ac timet. Nam ea est ἐνέργεια homine digna, recta & justa, in qua est similitudo Dei, & bona conscientia, ac spes viva. Contra *mortuus* est, qui non novit veritatem & eam non amat; neque proinde bonæ conscientiæ jucunditate fruitur. De talibus est Es. 26. 14. *Mortui non revivi-scunt. Nomen viventis habet*, qui videtur vivere, propter quædam opera, quæ viventes faciunt, vel propter relicta quædam opera mortuorum & societatem ipsorum: qui nomen dat Christo, & in catalogo eorum, qui volunt præcepta ejus facere, id sua quasi manu scribit. ut Esaias cap. 44: vers. 5. vacicinatur, multos voce & manu se filiis Jacobi adjuncturos & signaturos Deo Israëlis.

Reprehensio est, *mortuus es*, h.e. fide & charitate cares; ita potest videri resurrexisse, & opera quædam resuscitati facere, qui tamen mortuus est. Multi à cœtu Jesabel recesserunt, non amore veritatis, sed pudore convictæ falsitatis; iique potuerunt multa dicere ac scribere, & zelum pro veritate ostendere, quum tamen amor veritatis in ipsis non esset. In Phrasi convenit cap. 20: 5. *Reliqui mortuorum non revixerunt.*

Ipsum illud, *nomen habere, quòd vivat*, quando dicitur de Angelo alicujus Ecclesiæ, significat statum illius Ecclesiæ; sine quo statu nomen resuscitati gerere non posset, nempe statum separationis à societate Jesabelis sive magnæ meretricis.

Admonitio est, ut vigilet & reliqua moribunda confirmet, *Memor eorum, quæ accepit, & ea conservet* &c. Hæc respondent cap. 2. vers. 25. Clarè enim dicitur, plerosque doctores ecclesiæ se opponentes Jesabelis doctrinæ non retinuisse, quod acceperant & audiverant, sed addidisse novas adinventiones; quale est dogma novum ubiquitatis, quod turbavit ecclesiam. Sunt alia istiusmodi Synergistarum, & sententiæ novæ de justificatione; sed hoc loco contenti esse debemus generali interpretatione, quam dedimus.

Com-

Comminatur, *si non evigilet, se venturum instar furis inopinatò.* h. e. venturam tentationem & afflictionem, & eam venturam inopinatò & imparatum occupaturam. Vide & cap. 16: 15.

Interim testatur vers. 4. *etiam Sardibus haberi pauca nomina, quæ non inquinaverint vestes suas*, nempe per odium fratrum & novas doctrinas & scandalum moribundis datum. Illis promittit, quòd *cum ipsosint ambulaturi in albis*, h. e. quòd propter ipsos Ecclesiæ suæ daturus sit pacem ad justificationem causæ ipsorum. Confer cap. 6: 11. Pax illa quidem data est primò in Germania, deinde in aliis etiam partibus, & data est omnibus, qui habuerunt nomen viventium; sed non omnes ambularunt in albis, nisi qui cum Christo ambularunt. Christi enim causa justificata est: adeoque non sunt justificati apud mundum per hanc pacis dationem, nisi qui in doctrina Christi permanserunt. *Quia digni sunt*, h. e. quia me dignum est & me decet hisce attestari, ut meis, per hoc beneficium. Pulchrum mihi est illis stolas albas dare. Ita pulchra est filio hæreditas. Psalm. 16: 6. De hac *dignitate* egimus in Summa de Fœdere § 210. Subinnuit, alioqui Angelum Sardensem indignum esse.

Clausula vers. 5. promittit *vincenti vestes albas.* Confer Hos. 6: 3. & Es. 58: 8. Item promittit, *se non deletuum nomen ejus ex libro vitæ, sed illud confessurum coram Patre & Angelis ejus.* Subinnuit, quosdam delendos esse, ut, postquam seipsos scripserint inter viventes, aut ab aliis habiti fuerint, *inter justos non scribantur*, Psalm. 69: 29. imò *nomen viventium amittant:* sed tamen, *qui vincunt*, hoc est, verè reviviscunt, non *deleri.* Qui professionem faciunt nominis sui inter vivos, in libro vitæ continentur, in illo inscripti propriâ ipsorum manu; Es. 44: 5. Qui nomen habent, quòd vivant, & mortui sunt, quando ab agnitâ veritate deficiunt, & ipsi nomen suum scriptum in albo viventium expungunt, & Christus id delet. Fidelium nomina non expunguntur: quia Deo auctore scripta sunt, & ab æterno in testamento Dei hæredes scripti sunt. Excitatio est vers. 6. ut supra.

Hæc epistola digna est, quæ consideretur, tum ab omnibus, qui *effugerunt eos, qui in errore versantur*, ut loquitur Petrus 2. Epist. cap. 2: 18. tum etiam ab iis, qui errant adhuc & audiunt Jesabelem prophetissam, h. e. multitudinem ac cœtum hominum, qui se dicunt prophetas, aliter, quàm omnes prophetant, qui verbum Dei audiunt. Nam & hi intelligent, ad sui excusationem nihil facere, si in iis, qui errores & *inquinamenta mundi* reliquerunt, videant defectum & scandala, &, quæ ea comitari solent, divinas castigationes: & illi, qui, ut dixi, *effugerunt eos, qui in errore versantur*, non blandientur sibi eo ipso, quasi propterea possint gaudere, ut *vita* in Christo participes facti. Non enim in eo tantùm consistit vita, ut

errantes redarguamus, aut etiam irrideamus, & ad eos non accedamus. Quemadmodum profectò primis Ecclesiæ temporibus non ii veri Christiani fuerunt, qui reliquerunt Judæos aut gentium idololatriam, & Jesum quoquomodo dixerunt Christum. Quod & pseudapostoli faciebant. Novit Diabolus se multis & miris modis præconem justitiæ simulare, ut homines decipiat. Esaias cap. 35. loquens de regno Christi, ut satis clarum est, dicit vers. 8. *Et erit ibi agger & via, quæ via sancta nuncupabitur, quam non transibit impurus: & is agger ipsis erit; qui viâ incedit & stulti non oberrabunt.* Quibus verbis significatur, non tantùm *incedentes viâ*, sed etiam *stultos* quosdam *viam sanctitatis* agnituros, ut non aberrent & recedant ad errantes. Quemadmodum & Petrus 2. Epist. cap. 2: 21. innuit, quosdam *effugisse versantes in errore & mundi inquinamenta*, & *viam justitiæ* aliquatenus *cognovisse*, qui tamen postea *à tradito sibi sancto præcepto recedant.* Quod est stultorum, levium & non habentium radicem. Esaias cap. 58. & 59. satis apertè increpat eos, qui videbantur tanquam populus Dei ad verbum ejus audiendum accedere. Christus Matth. 24: 12. prænunciat, *propter abundantiam ἀνομίας* h. e. defectionis & receſſionis à lege Dei, *multorum charitatem frigidiorem fore.* Solent enim ex corruptione doctrinæ multa mala existere: suspiciones malæ, calumniæ, rixæ, studium colligendorum discipulorum, zeli, susurri, & similia, etiam inter eos, qui depravata corrigere volunt videri. Hoc enim non faciunt omnes pari sinceritate & fide. Quod non debet mirum videri: quum ipsum Euangelium primo tempore non ab omnibus fuerit prædicatum purè, sincerè, castè. Quod testatur epistola Pauli ad Philippenses. Quæ quum ita sint, & inter eos, qui Jesabelem sive in errore versantes pariter reliquerunt, mala istiusmodi affatim exstiterint, & propterea negari non possit, epistolam hanc pertinere ad doctores eorum; non quidem nostrum putabimus notare hos aut illos, qui videantur in hujus epistolæ censuram incidisse; sed potiùs id facere, ad quod excitamur per hanc epistolam, quodque in ea laudatur. Laudantur, *qui non inquinarunt vestes suas.* Christum induerunt fideles. Vestis igitur fidelium est Christus. Continentur à Christo & in eo censentur; sed & in eo noscuntur. Nam nemo Christianus in se cognoscitur, sed, quatenus verbo Christi nominatur frater fidelium & Christi imaginem habet. Christus priùs cognoscitur, quàm is, qui est Christi. Ergo maculat vestes suas, qui, quum in Christum baptizatus est & Christum induisse visus est, ea dicit & facit, quæ in Christianum non cadunt, & fidem excludunt. Non ignorantia omnis, non error omnis maculat vestem (nam Christus ipse testatur, se nosse suorum infirmitatem & imperfectionem, & jubet peccata sua & defectus con-

confiteri) sed ignorantia Christi, error, qui non potest conjungi cum cognitione Christi, ἀγνωσία θεῦ, & collocatio alius fundamenti. Quare illi censendi sunt *non maculare vestes suas*, qui confessione sua & vita sua ostendunt, se Christum nosse & amare, & Christum non habent in verbo ipsius testantem contra ipsos ut non suos; etiamsi fortè eum habeant redarguentem, monentem, castigantem. Quorum est *retinere sermonem Dei & testimonium Jesu*, & nec doctorem alium vel verbum aliud, nec fundamentum aliud admittere, & bonæ conscientiæ studium demonstrare. Excitamur autem, ut *vigilemus*, h. e. ad nos ipsos & alios homines attendamus, Actor. 20: 28. 31. ut scil. consideremus nos ipsos, an verè in Christo *vivamus*; tum, in quo periculo constituti sint, &, qui in errore versantur, &, qui ignorant profunditates Satanæ, &, qui idolothyta comedunt & fornicantur, &, qui videbantur recessisse ab eis, qui in errore versantur, & moribundi sunt; ne coganur pro ipsorum sanguine respondere, imò ut eos confirmemus & salvemus. Ut utrumque obtineamus, necesse erit, *retinere nos, quod accepimus & audivimus.* Non, quod *accepimus* ab hominibus, & non *audivimus* ex verbo Dei; sed, quod & *accepimus* & *audivimus*, h. e. ita accepimus & ita ad nos pervenit, ut id etiam per scripturam doceamur. Nihil porrò convellamus per nostra dogmata, ad quod Ecclesia pervenit. Pro exemplo sit: *Accepimus & audivimus*, quis sit Deus, qui Christus, quod nomen Dei, quæ obedientia Christi & sacrificium ipsius, quæ justitia Dei, quod fœdus, quæ Dei dilectio in Christo, quæ causa & sanctificationis & justificationis, quæ veræ fidei natura, quæ matrix charitatis, quæ bona opera, quæ eorum perfectio, quæ necessitas studii bonorum operum, quæ certitudo fidei, quæ spes & ejus confirmatio, &c. Hæc non sunt convellenda & neganda, ut dicamus, Deum non esse Patrem, Filium & Spiritum sanctum: non esse hanc Dei justitiam, ut non possit habere communionem cum peccatore: non esse Legem Dei immutabilem: non esse Christum redemtorem per veram satisfactionem: non esse testamentum, quo Deus dederit Filio hæreditatem: non esse promissionem seminis Abrahamo dandi, aut, Deum non dare Abrahamo semen: non emisse sibi Christum Ecclesiam sanguine suo: non opus esse potentia Dei excitante ex morte peccati: fidem non esse donum Dei: posse hominem, qui credit, gloriari, quòd viribus, quas habuerit communes cum omnibus, qui sunt mortui in præputio carnis, se ipse vivificaverit: hominem justum esse coram Deo per opera sua: Christi justitiam non imputari membris Christi: qui crediderint, non conservari, ut non deficiant: igitur non esse spem vitæ æternæ, quæ non confundit. Item *accepimus & audivimus*, Christum in cœlo esse & non esse in terra corpore suo, sed suo tempore *venturum cum nubibus*

cœli; nos in Christo esse per spiritum ipsius, qui est spiritus fidei, & in eo justos esse. Hoc qui *retinent*, non dicunt, aliquid deesse illis, qui credunt in Christum, ut sint in ipso, & Christus sit in ipsis; nempe ut corpus ipsius per os ipsorum intret in ventrem ipsorum; quod tamen etiam possit contingere infidelibus: &, qui hoc non crediderit, non esse pro fideli habendum, licèt esuriat & sitiat justitiam & ad Christum confugiat & in eo glorietur, ut justitia sua. Sint illa pro exemplo satis. Certè, *qui retinet, quod accepit & audivit*, is *retinet sermonem Dei & testimonium Jesu*, & consequenter *prophetat secundùm analogiam fidei*, h. e. nihil audet docere, quod non superædificet fundamento, &, quæ superædificare fundamento potest, ea studiosè meditatur & quærit in verbo Dei, operam dans, ut nulla in parte damnum patiatur, sive minùs doceatur, quàm Deus in scriptura docet, & ea, in quibus proficit, fideliter communicat cum iis, qui Deum & veritatem amant, &, quantum potest, *confirmat eos, qui morituri sunt*, ne fiat reus sanguinis ipsorum. *Moribundi* autem, &, qui *confirmatione* indigent, sunt illi, qui, quum audiverint *sermonem Dei & testimonium Jesu*, & de ejus veritate convicti sint, & nihilominus sint ἀσθενικοὶ, si inter errantes vivunt, possunt impelli à Diabolo, ut legem Bestiæ recipiant & in ejus amplexatione indurentur; si verò eos effugerint, possunt impelli, ut ad eos redeant, aut in alios noxios errores incidant. Quorum interitus reos facit, qui eos non *confirmant*, h. e. ipsis non explicant & demonstrant fundamentum & fœdus Dei, & omnem veritatem, ut per ejus cognitionem possint evadere sapientes & prudentes: sed potiùs eos offendunt doctrinis & sermonibus sive modis loquendi auctoritate verbi divini destitutis & litibus ac jurgiis & humanæ conjecturæ ratiocinationibus & quæstionibus inutilibus, immodestis atque indisciplinatis; vel etiam ad amorem Dei in Christo non adducunt, loquentes tantùm ea, quæ & Judæi & Gentes, &, qui in errore versantur, loqui possunt.

Quod attinet adjunctam comminationem, *veniam super te, ut fur*: id sine dubio significat, 1. eum, qui non vigilat, etiam non attendere vel ad verbum Dei vel ad opera Dei, ut sciat, quid Deus fecerit, & quid instet atque exspectandum sit imposterum, ad quod necesse sit se parare. Quæ securitas est & stulta socordia. Qua qui tenetur, ei necesse est tentationem omnem imparato & præter opinionem evenire; quemadmodum fur supervenit patrifamilias dormienti, & eripiuntur vestes suæ nudo. Vide cap. 16: 15. 2. tentationem venturam fuisse liberatis à consortio Jesabelis, non tantùm, quia convenit sapientiæ Dei exercere fidem, & utile est fidelibus, ut capiant δοκιμὴν *experimentum*, & *pacifico fructu justitiæ fruantur*; sed etiam occasione *Angeli non vigilantis* & *nomen habentis, quòd vivat*,

vivat, quum mortuus sit. 3. ejus tentationis effectum futurum fuisse, ut *deleantur mortuorum nomina de libro vitæ,* h. e. ut multi ab agnita veritate ad pristinos errores redeant, & nolint inter non errantes (qui *vivunt*) censeri, quærentes etiam indurationem & pristinam ignorantiam, luce veritatis offensi. Quanquam etiam illo modo deleantur de libro vitæ, qui non vivunt, quando illos, qui non maculant vestes suas, à se repellunt, & in verba erroris confœderantur. Tunc enim efficiunt ipsi, ut non possint nominari viventes, h. e. errorum desertores & osores, veritatisque amatores & veritatem amantium fratres.

EPISTOLA SEXTA.

7. Καὶ τῷ ἀγγέλῳ τῆς ἐν Φιλαδελφείᾳ ἐκκλησίας γράψον· Τάδε λέγει ὁ ἅγιος, ὁ ἀληθινός, ὁ ἔχων τὴν κλεῖδα τοῦ Δαυίδ· ὁ ἀνοίγων, καὶ οὐδεὶς κλείσει· καὶ κλείων, καὶ οὐδεὶς ἀνοίγει·

8. Οἶδά σου τὰ ἔργα· ἰδοὺ δέδωκα ἐνώπιόν σου θύραν ἀνεῳγμένην, καὶ οὐδεὶς δύναται κλεῖσαι αὐτήν· ὅτι μικρὰν ἔχεις δύναμιν, καὶ ἐτήρησάς μου τὸν λόγον, καὶ οὐκ ἠρνήσω τὸ ὄνομά μου.

9. Ἰδοὺ, δίδωμι ἐκ τῆς συναγωγῆς τοῦ σατανᾶ τῶν λεγόντων ἑαυτοὺς Ἰουδαίους εἶναι, καὶ οὐκ εἰσὶν, ἀλλὰ ψεύδονται· ἰδοὺ, ποιήσω αὐτοὺς ἵνα ἥξουσι καὶ προσκυνήσουσιν ἐνώπιον τῶν ποδῶν σου, καὶ γνῶσιν, ὅτι ἐγὼ ἠγάπησά σε·

10. Ὅτι ἐτήρησας τὸν λόγον τῆς ὑπομονῆς μου, κἀγώ σε τηρήσω ἐκ τῆς ὥρας τοῦ πειρασμοῦ τῆς μελλούσης ἔρχεσθαι ἐπὶ τῆς οἰκουμένης ὅλης, πειράσαι τοὺς κατοικοῦντας ἐπὶ τῆς γῆς.

11. Ἰδοὺ, ἔρχομαι ταχύ· κράτει, ὃ ἔχεις, ἵνα μηδεὶς λάβῃ τὸν στέφανόν σου.

12. Ὁ νικῶν, ποιήσω αὐτὸν στῦλον ἐν τῷ ναῷ τοῦ Θεοῦ μου, καὶ ἔξω οὐ μὴ ἐξέλθῃ ἔτι· καὶ γράψω ἐπ' αὐτὸν τὸ ὄνομα τοῦ Θεοῦ μου, καὶ τὸ ὄνομα τῆς πόλεως τοῦ Θεοῦ μου τῆς καινῆς Ἰερουσαλήμ, ἡ καταβαίνει ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ἀπὸ τοῦ Θεοῦ μου, καὶ τὸ ὄνομά μου τὸ καινόν·

13. Ὁ ἔχων οὖς, ἀκουσάτω, τί τὸ Πνεῦμα λέγει ταῖς ἐκκλησίαις.

VERS. 7. *Et Angelo Ecclesiæ, quæ est Philadelphia, scribe: Hæc dicit Sanctus, verax, qui habet clavem Davidis; qui aperit & nemo claudit, claudit, & nemo aperit.*

8. *Novi opera tua. Ecce dedi coram te ostium apertum & nemo poterit id claudere: quia parvam habes potentiam & servasti sermonem meum, & non negasti nomen meum.*

9. *Ecce, do quosdam ex Synagoga Satanæ, iis, qui dicunt se esse Judæos, & non sunt, sed mentiuntur. ecce faciam eos, ut veniant & adorent coram pedibus tuis, & cognoscant, quòd ego dilexerim te.*

10. *Quia servasti sermonem patientiæ meæ, etiam ego te servabo ex hora tentationis, quæ venit in totam habitabilem, ad tentandum eos, qui habitant in terra.*

11. *Ecce, venio citò. Tene, quod habes, ut nemo capiat coronam tuam.*

12. *Qui vincit, faciam eum columnam in populo Dei mei, & extra non egredietur amplius, & scribam super eum nomen Dei mei & nomen civitatis Dei mei novæ Ierusalem; quæ descendit ex cœlo à Deo meo; & nomen meum novum.*

13. *Qui habet aurem, audiat, quid Spiritus dicat Ecclesiis.*

Sexta epistola est scripta ad Angelum Ecclesiæ Philadelphensis. In vocabuli ænigmate continetur character veræ Ecclesiæ, qui est φιλαδελφία *dilectio fratrum.* Ea ut facit, fratres in Christo sibi invicem esse suaves & jucundos

jucundos & inter se communionem habere bonorum & malorum, ita importat fugam non fratrum, ad evitationem schismatis & falsæ doctrinæ. Rom. 16: 17. 1. Cor. 5: 11.

Dictator epistolæ se nuncupat 1. *sanctum illum.* Sine dubio, quòd is se tempore hujus ecclesiæ ostensurus esset *sanctum* & immaculatum, secretum ab omni impuritate & vilitate, & qui non habeat communionem ac fœdus cum illis, qui peccant & manent in peccatis suis; quique non dissimulet contemtum oblati fœderis & blasphemationem nominis sui. Igitur, quemadmodum aliâs patientiæ, ita hîc zeli specimina exspectanda sunt. 2. *verum illum.* Hæc opponitur fictitio capiti & mendaci; item non servanti promissiones. Quemadmodum Joh. 3: 33. *obsignare, quòd Deus sit verus*, significat confiteri, quòd Deus promissionem impleverit; ita hîc *verus ille* notat facientem ea, quæ promisit. Nec tantùm, sed etiam notatur, nomen, quo appellatur in Scripturâ, ipsi in veritate & perfectione competere. Confer 1. Joh. 5: 20. Hæc omnia pertinent ad ostendendam illam Ecclesiam, ad quam hæc epistola scripta est. Ea enim sine dubio est illa, quæ hoc audit & credit, ac confitetur contra adversarios. 3. *eum, qui habet clavem Davidis, qui aperit & nemo claudit, qui claudit & nemo aperit.* Hæc appropriant Christo potestatem tum adducendi ad ecclesiam per illuminationem spiritus, & per indurationem alios excludendi: tum etiam docendi & legem ferendi: nempe ut, qui ipsius verba tenet, sit filius Dei; qui non tenet, sit filius Diaboli, ita ut nulla alia creatura quidquam dicere possit præterea, aut de dictis detrahere, quo quisquam admittatur vel arceatur: denique potestatem judicandi. Appropriat, inquam, non tantùm *dum dicit, qui habet*, quod valet, *qui solus habet*; sed etiam, quia se opponit aliis claudentibus & aperientibus. *Nemo claudit, nemo aperit. Clavem Davidis* vocat, quia est regia clavis, & is tempore ministerii sui clausit & aperuit, typum Christi gerens (vide Psalm. 101.) & est clavis promissa Davidi (atque omnibus fidem Davidis habentibus) danda semini Davidis ad salutem & hæreditatem mundi. Quin & promissum est ipsis regnare cum Christo; & aperire ac claudere. Matth. 16: 19. 18: 18. Luc. 22: 29.

Vers. 8. Cum testificatione miscetur promissio remunerationis. Laudat *servationem sermonis Christi*, h. e. quòd non corruperint verbum ipsius mala interpretatione, neque reliquerint, ut discederent ad aliud verbum. Id illustrat 1. ab adjuncto, nempe à *parvitate virium, quas habuerit.* 2. per negationem oppositi, *non abnegasti nomen meum.* Facile est, comparatis hisce cum superioribus, qualitatem temporis reperire, cui hæc epistola propriè convenit. Nempe, postquam *pauca illa nomina in Sardibus cum Christo*

Christo ambulaverint in albis, sive causa Ecclesiæ per pacificationem fuerit justificata, innuitur, venturum esse tempus, quo probi habeant *parvam potentiam*, & *tententur* cum multis aliis, & conserventur in veritate, dum plurimi vel ab agnitâ veritate in totum recedunt, & sic Christi nomen amittunt & ipsorum nomina ex libro vitæ delentur; vel etiam aliqui nomen viventium habentes, & doctrinas scandalosas proponentes, veram ecclesiam partim turbant aut produnt, partim infestant. Quales describuntur vers. 9. 3. illustrat in specie exprimendo sermonis Christi ab ipsis servati genium. Est λόγος ὑπομονῆς Χριστοῦ. per Hebraismum hoc dicitur *sermo Christi*, qui est *sermo patientiæ*. Ita appellatur, 1. quia exigit patientiam. Servat igitur sermonem patientiæ, qui patitur. 2. Quia est sermo, qui solus est accommodatus ad excitandam in homine fidem & sic charitatem & porrò patientiam. Κριτήριον veritatis est, si sermo, qui amorem efficit, est *sermo patientiæ*. *Sermo* autem *patientiæ* est sermo Christi. Atqui sola doctrina de gratiosa electione & justificatione, & certitudine spei justificatorum, est doctrina amoris Dei & gratiarum actionis & sic patientiæ, & sic sermo *Christi*.

Promittit 1. quòd *nemo sit clausurus ostium, quod coram ipso aperuerat.* Confer phrasin Coloss. 4: 3. 1. Corint. 16: 9. Et subinnuitur, hanc ecclesiam infestatum iri undiquaque, ut claudatur ipsi ostium verbi & lucrifactionis hominum.

2. Quòd *daturus sit quosdam ex Synagoga Satanæ, qui se dicunt Judæos esse & non sunt, ut veniant ad pedes ipsius & cognoscant, quòd Christus ipsum dilexerit.* Quis dubitet, si quis videat populum, oppugnatum diuturno bello occasione Euangelicæ doctrinæ, contra totius mundi spem eousque procedere, ut potentissimi Monarchæ, *qui se dicunt esse Judæos*, h. e. verum populum Dei, qui afflictorum domini exstiterant, cogantur pacem cum illis facere, abdicato omni jure suo, imò etiam verbis profiteri, quòd Deus ipsorum ipsos juverit, illum populum posse hæc verba de se usurpare, dummodo in illo populo *sermo patientiæ Christi* retineatur? Sed & is populus scire debet, quod hîc dicitur, dici ad *Angelum Philadelphiensis Ecclesiæ*, h. e. omnes professores veritatis, & *humiliationem* hanc coram illis esse factam. Non enim ea est gloria populi, sed Ecclesiæ, quæ est in populo, cui patrocinatur populus: quæ est pars Ecclesiæ universalis. Cui hic honor datus est in sui parte. Nam, quando Deus dedit pacem Ecclesiæ in aliquo loco, dedit reliquis perfugium, & spem liberationis fecit.

3. Quòd ipsum sit conservaturus *ex tentatione ventura in totam habitabilem.* An illa tentatio sit unius modi, an verò differens, & quibus partibus gradibusque constet, & quo tempore ventura sit, nostrum non est definire, nisi quòd simile huic est Es. 33: 18. 19. *cor tuum meditabitur ter-*

rorem &c. populum fortem & robuſtum non videbis &c. Item Danielis cap. 11: 44. 45. & cap. 12: 1. 7. Qui diligenter alias rimabitur prophetias, & reliquas Apocalypſis partes huic periodo reſpondentes, ut ea, quæ ſunt Sigilli ſexti, & dicuntur in Tuba ſeptimâ, & cap. 20: 11. & quæ ſunt in fine cap. 7. is fortaſſe amplius de hac *tentatione* intelliget. Tantùm obſervetur admonitio, quæ eſt verſ. 11. qua, adventum ſuum celerem futurum ſignificans, ſuadet, *ut hic angelus, quod habet, retineat, ne alius ipſius coronam auferat*, h. e. nequis impediat ipſius coronationem & eum privet coronâ, vel, ne alii, & non ipſe, coronentur. Dabitur enim corona, h. e. victoria & laus, & fructus lætitiæ ex regni Chriſti evectione & gentium ſubjectione; (vide Apoc. 7: 9. 10. 13. 14. 15. 16. 17.) ſed *retinenti, quod habet. Quod habet*, quod revera, ut verum, ut bonum, ut laudem, aſſecutus eſt; non verò, quod *putat ſe habere*, Luc. 8: 18. & *non habet.* Matth. 13: 12.

Verſ. 12. *Vincenti* promittit 1. quòd eum ſit *facturus columnam in populo ſuo, ut non egrediatur foras*, h. e. quòd is, qui fidem, quæ vincit mundum, habet, ſit futurus ipſius gratia & virtute in populo Dei ſive vera Eccleſia fundatus, radicatus, fixus, permanens ac perſeverans. Confer Prov. 10: 25. *Juſtus eſt fundamentum æternum.* Pſal. 15: 5. *Faciens illa non vacillabit unquam.*

11. Quòd illum ſit, ut *columnam*, ornaturus *nomine Dei ſui & nomine civitatis Dei, novæ Hieroſolymæ, quæ deſcendit ex cœlo*, h. e. quòd ſit ei daturus inter homines nomen bonum, ut cognoſcant, eum eſſe fundatum, erectum ac firmatum in populo ſuo à Deo, Patre & *Deo Chriſti*, (qui ex fœdere dat Filio mercedem obedientiæ ſuæ populum propriùm) & eum eſſe in Eccleſia Novi Teſtamenti, quæ communionem habet cum cœleſtibus in terra ſecundùm ſalutem factam, juſtitiam & libertatem. *Nova Hieroſolyma* eſt *Civitas Dei, quæ deſcendit ex cœlo*, h. e. ex cœlo in terram extenditur, ita ut David, Prophetæ, ſancti veteris Teſtamenti, cum Patribus ſuis, & ii, qui in terra ſunt, & idem cor habentes, ſint una civitas communem quandam conſummationem, in juſtitia, & libertate & lætitiâ, habens; cujus Rex eſt ſolus Deus, in Chriſto manifeſtatus, nullus rex vicarius, nullus ſacerdos, nullus teſtis & doctor extra Chriſtum. Confer Epheſ. 1: 10. Galat. 4: 26. 2. Corint. 5: 2. Hebr. 12: 22. 23. Subinnuitur ablatio *nominum blaſphemiæ* & auctoritatis ac poteſtatis humanæ ab Eccleſia.

111. Quòd in ipſo ſcripturus ſit *nomen ſuum novum.* Confer cap. 19: 16. Mutat Chriſtus nomen ſuum, quando ex pugnante fit vincens, & *Deus totius terræ* incipit *vocari.* Confer Zach. 14: 9. Inſcribitur autem hoc

nomen,

nomen, quando quis comperitur in veritate se servum Dei appellare. Confer promissionem, quæ est Es. 59: 21.

EPISTOLA SEPTIMA.

14. Καὶ τῷ ἀγγέλῳ τῆς ἐκκλησίας Λαοδικείων γράψον· Τάδε λέγει ὁ Ἀμήν, ὁ μάρτυς ὁ πιστὸς καὶ ἀληθινός, ἡ ἀρχὴ τῆς κτίσεως τοῦ Θεοῦ·

15. Οἶδά σου τὰ ἔργα, ὅτι οὔτε ψυχρὸς εἶ, οὔτε ζεστός· ὄφελον ψυχρὸς ἦης ἢ ζεστός·

16. Οὕτως, ὅτι χλιαρὸς εἶ, καὶ οὔτε ψυχρὸς οὔτε ζεστός, μέλλω σε ἐμέσαι ἐκ τοῦ στόματός μου·

17. Ὅτι λέγεις· Ὅτι πλούσιός εἰμι, καὶ πεπλούτηκα, καὶ οὐδενὸς χρείαν ἔχω. Καὶ οὐκ οἶδας, ὅτι σὺ εἶ ὁ ταλαίπωρος, καὶ ἐλεεινός, καὶ πτωχός, καὶ τυφλός, καὶ γυμνός.

18. Συμβουλεύω σοι ἀγοράσαι παρ' ἐμοῦ χρυσίον πεπυρωμένον ἐκ πυρός, ἵνα πλουτήσῃς· καὶ ἱμάτια λευκὰ, ἵνα περιβάλῃ, καὶ μὴ φανερωθῇ ἡ αἰσχύνη τῆς γυμνότητός σου· καὶ κολλούριον ἐγχρῖσαι τοὺς ὀφθαλμούς σου, ἵνα βλέπῃς.

19. Ἐγὼ, ὅσους ἐὰν φιλῶ, ἐλέγχω καὶ παιδεύω· ζήλωσον οὖν καὶ μετανόησον.

20. Ἰδοὺ, ἕστηκα ἐπὶ τὴν θύραν, καὶ κρούω· ἐάν τις ἀκούσῃ τῆς φωνῆς μου, καὶ ἀνοίξῃ τὴν θύραν, εἰσελεύσομαι πρὸς αὐτὸν, καὶ δειπνήσω μετ' αὐτοῦ· καὶ αὐτὸς μετ' ἐμοῦ.

21. Ὁ νικῶν, δώσω αὐτῷ καθίσαι μετ' ἐμοῦ ἐν τῷ θρόνῳ μου, ὡς κἀγὼ ἐνίκησα, καὶ ἐκάθισα μετὰ τοῦ πατρός μου ἐν τῷ θρόνῳ αὐτοῦ.

22. Ὁ ἔχων οὖς, ἀκουσάτω, τί τὸ Πνεῦμα λέγει ταῖς ἐκκλησίαις.

VERS. 14. *Et Angelo Ecclesiæ Laodicensium, scribe: Hæc dicit ille Amen, testis ille fidelis & verus, princeps condationis Dei.*

15. *Novi tua opera, quòd non sis frigidus neque fervens. Vtinam frigidus esses aut fervens!*

16. *Ita, quia tepidus es & nec frigidus nec fervens, futurum est, ut te evomam ex ore meo.*

17. *Quia dicis: Dives sum & ditatus sum, & nulla re opus habeo: & nescis, te esse illum miserum & miserabilem & egenum & cæcum & nudum.*

18. *Consulo tibi, ut emas à me aurum excoctum ex igne, ut dives sias & vestimenta alba, ut amiciaris, & non fiat manifestum dedecus nuditatis tuæ, & collyrium inunge oculis tuis, ut videas.*

19. *Ego, quoscunque dilige, redarguo & castigo. Zelato igitur & resipiscito.*

20. *Ecce ste ad ostium & pulso. Si quis audiat vocem meam & aperuerit ostium, ingrediar ad eum & cœnabo cum eo & ipse mecum.*

21. *Qui vincit, dabo ei sedere mecum in throno meo, quemadmodum & ego vici & consedi cum patre meo in throno ipsius.*

22. *Qui habet aurem, audiat, quid Spiritus dicat Ecclesiis.*

Epistola septima scripta est ad *Angelum Ecclesiæ Laodicenæ*. Si potestatem vocabuli sequimur, intelligetur Ecclesia illius temporis, quo Deus judicium aget inter populos. De quo judicio est cap. 11: 18. 19: 2. 20: 12.

Dictator tribus se nominat nominibus.

1. Ὁ ἀμήν. Confer Es. 65: 16. *Qui sibi benedicet in terra, sibi benedicet in Deo Amen, &, qui jurabit in terra, jurabit in Deo Amen.* Ille dicitur ὁ ἀμήν, cui adjuranti respondetur ἀμήν h. e. γένοιτο, *fiat*. Ei autem respondetur *amen*, qui in suo & Dei nomine postulat gratiarum actionem & glorificationem, & timorem judicii sui. Nam *amen* respondere est dicere,

cere, *ita fiat.* Christo adjuranti respondemus, *Amen*, dicendo, tu dignus es fide, gloria & gratiarum actione, & judicium tuum metuendum est &c. Vide Apocal. 5: 12. 13. 14. Ita, quòd benedicimus nobis, id est dicere Christo *amen*, tanquam postulanti gloriam hanc, ut eum agnoscamus salvatorem perfectum. Cùm juramus, profitemur, nos exspectare Christum judicem, atque ita eum dignum esse, qui timeatur. In Christo factæ sunt promissiones Dei omnes Næ & Amen. 2. Cor. 1: 20. h. e. dignæ confessione & glorificatione. Quando evenerint, quæ in prophetis dicta sunt, & instabit novissimus dies, magis etiam Christus erit ὁ Ἀμήν.

2. *Testis ille fidelis & verus. Fidelis*, 1. quia non est mentitus. Nam *testatus est, qua vidit & audivit.* Joh. 3: 32. 2. quia omnem voluntatem Patris aperuit, nihilque reticuit, quod nos scire oporteret. Quòd si enim reticuisset quidquam, non fuisset testis fidelis, sed fefellisset nos. Ita τὸ πιστὸς oppositum est τῷ כזב *mentientis* (quod est omnis hominis Psalm. 116: 11.) & τῷ בגד h. e. *fallacis.* Ἀληθινὸς, quia etiam promissa justis temporibus implet. Hoc est ultimorum temporum. Vide cap. 10: 6. 7.

3. Ἡ ἀρχὴ τῆς κτίσεως θεοῦ, h. e. ὁ ἄρχων. Confer cap. 11: 15. 19: 16. Sic ἀρχὴ pro ἄρχοντι est Col: 1: 16. 2: 10. 15. Eph. 3: 10. De ipso Christo Col. 1: 18. Aliud est in Prov. 8: 22. *Dominus habuit me* (genitam) *principium viæ suæ.* ἀρχὴν ὁδοῦ αὐτοῦ. Prima progressio Patris est generatio Filii, quæ antecedit etiam decreta, ordine non tempore; quia non sine Filio fecit propositum. Eph. 3: 11.

Vers. 15. Angelo Laodicensium non attestatur magna bona, sed, *quòd neque calidus, neque frigidus sit, verùm tepidus.* Notatur, circa ultima tempora, repertum iri eminentes quosdam doctores Ecclesiæ, qui non habeant hoc, quod Ephesinus habuit, nempe ut *malos ferre non possint*; quique studiosè velint *retinere, quod habebant.* Negat, *esse frigidos*, quia non accedunt apertè ad cœtum adversarium. Negat, esse *calidos*, quia non *tenent, quod habent*, sed & profitentur, se omnes velle ferre, præter eos, qui malos non possunt ferre. Ut 1. Reg. 18: 21. Israël claudicabat & nesciebat, velletne Jehovæ an Baali servire: ita hi ἀδιάφοροι sunt, & nesciunt, cui Deo, cui Christo credant, & quid de Deo, de Christo dicatur vel non dicatur, glorificetur, nec ne, perinde habent. Zach. 14: 2. dicitur fore, ut capiatur civitas & mulieres vitientur, & dimidium populi in exilium eat. Mulieres, quæ vitiantur, sunt apostatæ: populus, qui in exilium it, sunt quidam medii, qui neque apud suos domi sunt, neque apud extraneos. Videntur pro exemplo esse posse ii, de quibus est 2. Pet. 2: 19. 20. qui carnalibus spondentes *libertatem* implicant eos erroribus, in quibus qui versantur, eos effugerant. Nescio etiam, an non ii, qui voluerunt religiones

giones conciliare, exemplum hujus teporis esse possint. Videant illi, qui se *Episcopos* nominant, & potestatem assumunt presbyteris majorem, quam rationem reddituri sint Deo, & quomodo se ζεσούς, & non *tepidos* sint probaturi. Nam, quod Angelo Ecclesiæ ultimi temporis dicitur, cui potiùs dictum videri debet, quàm iis, qui se episcopos præcipuè nominant, quique ex his ipsis epistolis concludunt, in Ecclesiis singulis singulos debere esse episcopos, ut ipsi sunt? Videant, inquam, ne evomantur ex ore Dei. Comminatur enim, vers. 16. se illum *vomiturum ex ore suo*, h. e. abnegaturum. Ita Psal. 16: 4. dicit, *non sumam in os nomen illorum, qui alium dotant*. Mallet, *frigidum esse*. Minùs enim noceret, & minus peccatum haberet, & faciliùs converteretur. Vide Gal. 5: 12. 2 Pet. 2. 21. Joh. 9: 41.

Vers. 17. Justificat hoc judicium ab opinione *divitiarum*, quasi *nulla re* amplius *indigeat*, cùm tamen sit *æruminosus*, *miser*, *pauper*, *cæcus*, *nudus*. Grave est, se ita gerere, atque si non esset proficiendum, tum in cognitione tum in novitate spiritus. Propiùs intuenti verba hujus versus liquebit, eum pertinere ad genus doctrinæ. Ut, si quis dicat, 1. se habere vires sufficientes ad bonum. 2. se perveniisse ad perfectionem. 3. se non habere opus gratia potenti ad sanctificationem, aut perfectam justitiam attigisse: is profectò videtur dixisse, 1. *ego dives sum*. 2. *ditatus sum*. 3. *nullo indigeo*. Convenit antithesis veritatis in verbis Christi. *Tu es* 1. *ille æruminosus* q. d. defectus viribus. 2. *miserabilis*, h. e. non laudè, sed misericordia dignus. 3. *pauper*, h. e. nihil habens, quod habere oportet, nempe aurum Christi. 4. *cæcus*, quippe ignorans propriam & impotentiam & veram justitiam, & 5. *nudus*, h. e. expers communionis Christi.

Vers. 18. Est excitatio & instigatio ad pœnitentiam sive mutationem sui in melius; & quidem cum *zelo*. Modum autem resipiscentiæ indicat, *ut ab ipso emat aurum, quo ditescat*, hoc est, relictis omnibus, Christi communionem quærat, *& vestimenta alba*, ut non appareat pudor nuditatis ejus, hoc est justitiam donatam; & *collyrium illinat oculis ut videat*, hoc est, per Spiritum sanctum & scripturam lemas oculorum & erronea præjudicia tollat. Συμβουλεύω dicit, *consulo*, *suadeo*. Christi præceptum est *consilium*, quia est indicatio rei utilis. Sed est consilium obligans, cujus aspernatio parit vindictam. Prov. 1: 25. Addit motivum, dum jubet considerare, quomodo dilectos suos *reprehendat & castiget*, quasi dicat; cernis me meos redarguere & castigare, ideoque noli eis insultare, & eos contemnere, sed potiùs in tempore resipisce, ne in graviores incidas pœnas.

Post verbum dictum *Angelo Ecclesiæ Laodicenæ*, succedit verbum dictum omnibus. vers. 20. Quo testatur, se *ad fores stare, & pulsare ostium*. Quod significat, se jam non amplius subducere sese ab hominum aspectu, sed

nunc magis, quàm antea, vim facere & introitum in corda publica & universali verbi prædicatione quasi moliri. Invitat autem omnes ad *apertionem* cordis, promittens, *se ad apertentem ingressurum, & cum ipso convivaturum*, hoc est, se eum *justitia* & lætitia repleturum, atque ita se cum ipso exhilaraturum, eique suam lætitiam demonstraturum, ut in convivio amici se invicem oblectant. Vide Joh. 14: 22. 23. Matth. 26: 29. Non tribuit homini facultatem aperiendi cor, sine gratia & effectione Spiritus sancti; sed bonum communionis suæ proponit, ut medium regenerationis, ut rationem amandi sui, ut objectum famis atque sitis. *Aperit ostium*, qui audit, considerat, desiderat, quærit, amat. *Vincenti* vers. 21. promittit regnum. Omnis quidem vincens omni tempore regnat cum Christo, etiam tum, quando sancti videntur vinci. cap. 13: 7. & 20: 4. Sed hîc regni modus illustrior sine dubio intelligitur, quum Christo omnes populi subjicientur & Ecclesiæ servient, & eam cum Christo regnare, fatebuntur.

CAPUT QUARTUM.

1. Μετὰ ταῦτα εἶδον, καὶ ἰδοὺ, θύρα ἠνεῳγμένη ἐν τῷ οὐρανῷ, καὶ ἡ φωνὴ ἡ πρώτη, ἣν ἤκουσα ὡς σάλπιγγος λαλούσης μετ' ἐμοῦ, λέγουσα· Ἀνάβα ὧδε, καὶ δείξω σοι, ἃ δεῖ γενέσθαι μετὰ ταῦτα.

2. Καὶ εὐθέως ἐγενόμην ἐν πνεύματι· καὶ ἰδοὺ, θρόνος ἔκειτο ἐν τῷ οὐρανῷ, καὶ ἐπὶ τὸν θρόνον καθήμενος.

3. Καὶ ὁ καθήμενος ἦν ὅμοιος ὁράσει λίθῳ ἰάσπιδι καὶ σαρδίνῳ· καὶ ἶρις κυκλόθεν τοῦ θρόνου ὁμοία ὁράσει σμαραγδίνῳ.

4. Καὶ κυκλόθεν τοῦ θρόνου θρόνοι εἴκοσι τέσσαρες· καὶ ἐπὶ τοὺς θρόνους εἶδον τοὺς εἴκοσι καὶ τέσσαρας πρεσβυτέρους καθημένους, περιβεβλημένους ἐν ἱματίοις λευκοῖς· καὶ ἐχον ἐπὶ τὰς κεφαλὰς αὐτῶν στεφάνους χρυσοῦς.

5. Καὶ ἐκ τοῦ θρόνου ἐκπορεύονται ἀστραπαὶ καὶ βρονταὶ καὶ φωναί· καὶ ἑπτὰ λαμπάδες πυρὸς καιόμεναι ἐνώπιον τοῦ θρόνου, αἵ εἰσι τὰ ἑπτὰ πνεύματα τοῦ Θεοῦ.

6. Καὶ ἐνώπιον τοῦ θρόνου θάλασσα ὑαλίνη, ὁμοία κρυστάλλῳ· καὶ ἐν μέσῳ τοῦ θρόνου καὶ κύκλῳ τοῦ θρόνου τέσσαρα ζῶα γέμοντα ὀφθαλμῶν ἔμπροσθεν καὶ ὄπισθεν.

6. Καὶ τὸ ζῶον τὸ πρῶτον ὅμοιον λέοντι, καὶ τὸ δεύτερον ζῶον ὅμοιον μόσχῳ, καὶ τὸ τρίτον ζῶον ἔχει τὸ πρόσωπον ὡς ἄνθρωπος,

VERS. 1. *Postea vidi, & ecce ostium erat apertum in cœlo, & vox illa prima, quam audivi, ut tuba loquentis mecum, dicens: Ascende huc, & monstrabo tibi, quæ oportet fieri post hæc.*

2. *Et statim cœpi esse in spiritu: & ecce, thronus positus erat in cœlo & in throno sedens:*

3. *Et, qui sedebat, erat similis aspectu jaspidi & sardio: & iris circa thronum similis aspectu smaragdo.*

4. *Et circa thronum throni viginti quatuor, & in thronis vidi viginti illos & quatuor Seniores sedentes, amictos vestibus albis: & habebant in capitibus suis coronas aureas.*

5. *Et ex throno exeunt fulgura & fulmina & voces: & septem lampades ignis ardentes coram throno: quæ sunt septem illi spiritus Dei.*

6. *Et coram throno mare vitreum simile crystallo: & in medio throni & eorum, quæ circa thronum, quatuor animalia plena oculis antè & postè.*

7. *Et animal primum simile leoni, & secundum animal simile vitulo, & tertium animal habens faciem, ut homo, & quartum*

καὶ τὸ τέταρτον ζῶον ὅμοιον ἀετῷ πετομένῳ.

8. Καὶ τέσσαρα ζῶα, ἓν καθ' ἑαυτὸ, εἶχον ἀνὰ πτέρυγας ἓξ κυκλόθεν, καὶ ὕσθεν γέμοντα ὀφθαλμῶν· καὶ ἀνάπαυσιν οὐκ ἔχουσιν ἡμέρας καὶ νυκτὸς, λέγοντα· Ἅγιος, ἅγιος, ἅγιος Κύριος ὁ Θεὸς ὁ παντοκράτωρ, ὁ ἦν καὶ ὁ ὢν καὶ ὁ ἐρχόμενος.

9. Καὶ ὅταν δώσουσι τὰ ζῶα δόξαν καὶ τιμὴν καὶ εὐχαριστίαν τῷ καθημένῳ ἐπὶ τῷ θρόνῳ, τῷ ζῶντι εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων,

10. Πεσοῦνται οἱ εἴκοσι καὶ τέσσαρες πρεσβύτεροι ἐνώπιον τοῦ καθημένου ἐπὶ τοῦ θρόνου, καὶ προσκυνήσουσι τῷ ζῶντι εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, καὶ βαλοῦσι τοὺς στεφάνους αὐτῶν ἐνώπιον τοῦ θρόνου, λέγοντες·

11. Ἄξιος εἶ, Κύριε, λαβεῖν τὴν δόξαν καὶ τὴν τιμὴν καὶ τὴν δύναμιν· ὅτι σὺ ἔκτισας πάντα, καὶ διὰ τὸ θέλημά σου εἰσὶ, καὶ ἐκτίσθησαν.

quartum animal simile aquilæ volanti.

8. *Et quatuor animalia singula pro se habebant alas sex circumquaque, & introrsum plena oculis, & requiem non habent die & nocte, dicentia: Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat & est & venit.*

9. *Et quum dant animalia gloriam & honorem & gratiarum actionem sedenti in throno, viventi in secula seculorum,*

10. *Cadunt viginti & quatuor illi seniores coram sedente in throno, & adorant viventem in secula seculorum, & proiiciunt coronas suas coram throno, dicentes:*

11. *Dignus es, Domine, accipere gloriam & honorem & potentiam. Quia tu condidisti omnia, & propter voluntatem tuam sunt & condita sunt.*

VISIO SECUNDA de throno, agno, libro, & sigillorum ejus apertione agit cap. 4, 5, 6, 7. & 8: 1. Occurrit ab initio transitio, qua Johannes præparatur ad visionem; dum, januâ in cœlo apertâ, jubetur ascendere, ut ipsi ostendantur, *quæ futura sunt post hæc.* Viderat Christum in terris ambulantem inter candelabra & audiverat vocem ejus admonentis Ecclesias. Videndus erat etiam in regno & ut traditam habens potestatem omnem in cœlo & in terra ad exequenda decreta Dei, non tantùm in Ecclesia, sed etiam in toto mundo, in Angelis & hominibus. Videndæ etiam erant res *in futurum gerendæ. Post hæc*, hoc est, post illa, quæ jam *sunt*. Jam in epistolis, ut etiam illi, qui dubitat, an septem Ecclesiæ significent Ecclesiæ statum in septem temporis periodis, apertum esse potest, continentur futura: qualia sunt motio candelabri, incarceratio sanctorum per dies decem, conservatio à morte secunda, conjectio Jesabelis in lectum, datio phosphori, quorundam ambulatio in stolis albis, tentatio magna veniens in orbem habitabilem &c. Deinde in his, quæ sequuntur, continentur quædam facta ante exilium Johannis: ut, quòd agno datur liber aperiendus cap. 5. item, quòd mulieri nascitur filius, quem Draco studet devorare, & is rapitur ad thronum Dei. cap. 12. Non igitur est putandum, cap. 2. & 3. explicari exstantia, & in sequentibus nihil nisi, quod nondum extabat, significari. Sed alia ratio est repetendæ propositionis hujus libri, quæ est cap. 1: 1. nempe cap. 2. & 3. sunt verba ad Ecclesias, correptiones, mandata, comminationes, consolationes; non tamen sine indicatione futurorum: in sequentibus est monstratio

rerum

rerum futurarum, & quidem ut exſtantibus connexarum; quæ tamen ipſa q. exhibitio ad vivendum interpolata eſt admonitionibus. Res in mundo gerendæ exponuntur deinceps, ut in picturis luculentis: epiſtolarum verba audita ſunt. Igitur, quæ ſequuntur, eò faciunt, ut intelligatur, quænam dicatur Eccleſia Epheſina, Smyrnenſis, Pergamenſis &c. & quæ ſit qualitas temporis, in quo quælibet Eccleſia futura erat. Quanquam etiam viceverſa Epiſtolæ ad ſeptem Eccleſias ſcriptæ, ſi comparentur cum illis, quæ ſequuntur, ea mirum in modum illuſtrent. Omninò ſic cenſendum eſt, ſi ſeptem Epiſtolæ, Sigilla, Tubæ ita inter ſe conveniant, ut ordine hiſtoriam ejuſdem temporis deſcribant, h. e. ſi reperiatur hiſtoria, quam illæ viſiones ita ordine ſine difficultate & contorſione liquidò ſignificare poſſint, dubitari non debere, quin hactenus mentem Spiritus ſancti deprehenderimus.

In cœlo, tanquam apud thronum Dei, ea ipſi oſtenduntur. Et nobis per prophetias & per aſcenſionem Chriſti in cœlum aperta eſt in cœlo janua, per quam intremus & videamus Chriſti regnum & poteſtatem, quæque is fecit, facit, faciet in terra. *ἃ δεῖ γενέσθαι*, *quæ oportet fieri.* Nempe propter decretum 1. Cor. 11: 19. Luc. 17: 1.

Et ſtatim factus ſum in ſpiritu, verſ. 2. parte prima: hoc eſt, non vidi amplius oculis corporis, ſed oculis animæ vidi, tanquam in cœlum ſublatus: quæ partim ut cœleſtia partim ut terreſtria mihi ſunt monſtrata. Confer 2. Cor. 12: 3. 4. Ezech. 1: 1. *Aperti ſunt cœli & vidi in viſionibus Dei.* Vidit autem quatuor animalia & thronum, ut & Johannes.

Viſio ipſa poteſt diſtribui in tria membra. 1. thronum & ejus circumſtantias, cap. 4. 2. libri traditionem in manum agni, cap. 5. 3. apertionem ſigillorum ejus in reliquis. Thronus habuit ſeſſorem, qui deſcribitur, quod fuerit *ſimilis aſpectu lapidi Jaſpidi & Sardino.* Non poteſt aliter hoc concipi, quàm forma hominis viſum fuiſſe ſedentem in throno. Ita Deus viſus erat Moſi & ſenioribus Exod. 24: 10. & Eſ. 6: 1. Ezech. 1: 26. Non poſſum adduci, ut credam, Deo conſentaneum eſſe ſe manifeſtare in forma humana, niſi propter *φανέρωσιν ἐν σαρκὶ*, *apparitionem in carne.* 1. Tim. 3: 16. Ita Abraham quoque Gen. 18. cum *tres viros vidit*, dicitur *Dominum* vidiſſe. Et nihil vetat tres viros tres perſonas indicare. Licèt enim propter ſalutem noſtram ſolus Filius incarnatus ſit, tamen & Pater & Spiritus ſanctus, qui ſunt in Filio, in templo carnis ipſius habitant, & in Chriſto conſpiciuntur. Quare & Ambroſius atque Auguſtinus non dubitarunt *tres viros* unum *Jehovam* interpretari. Vide Forbeſii Inſtr. hiſt. Theol. lib. 1. c. 14. Significat igitur *ſedens in throno* Deum habitantem in carne noſtra, & in ea regnantem: *Agnus*, Chriſtum patientem, & peccatum

peccatum noſtro loco factum. De aſpectu ut duarum gemmarum hoc habeo, Deum eſſe lucem & charitatem. *Sardius* colorem habet unguis carni ſuperpoſiti. In quo nitor & rubor ſubalbicans. Intellige innocentiam; fulgorem; & viſcera miſericordiæ erga carnem noſtram ut ſuam. *Jaſpis* vario invenitur colore, rubra, purpurea, viridis, alba &c. Rubra imprimis mirè ſanguinem ſiſtit, ut Boëtius affirmat ſibi compertum. Smaragdus virentium gemmarum elegantiſſima habetur, pellucida. Sunt, qui per tres gemmas putent notari tres, qui in cœlo teſtantur. Licet hæc nobis, donec aliquid exactius nobis detur cognoſcendum, paulò rudiùs, imperitiùs ac παχυλότερον intelligere (ut rem clariſſimam velut Solem carbone depictam putemus) Deum, qui in throno ſedet ſe cognoſcendum nobis præbere in ſua vita, potentia, juſtitia, miſericordia, ut amabiliſſimum, & quidem in intimis ſuis ſine omni fuco aut recondita diverſitate talem penitus cognoſci: non aliter, quàm *Smaragdus*, gemma amæniſſima, tota ſui ſimilis pervidetur & pellucet.

Circa thronum viſa eſt *iris*. Figura iridis fortè immenſitatem continentem omnia; vel certè memoriam gratiæ notat. Vide Gen. 9: 16. 17. In iride lux, rubor, viror, quid niſi ſanctitatem & iram philanthropia temperatam indicat, per quam ipſa ſit jucunda, quæ per ſe peccatori terribilis eſt?

Verſ. 4. Vidit *circa thronum* alios *viginti quatuor thronos, & in iis ſedentes viginti quatuor ſeniores indutos albis, & coronatos coronis aureis.* Nemo dubitaverit, quin hoc ſit emblema ſanctorum, qui de duodecim tribubus Iſraëlis partim in Veteri Teſtamento loquuti ſunt verba Moſis; partim in Novo Teſtamento loquuti ſunt verba Chriſti. Utroſque vidit congregatos in unum, & *corona juſtitiæ* (2. Tim. 4. verſ. 8.) ornatos. Vidit *egredi ex throno fulgetra, fulmina & voces*, hoc eſt, lucem ad illuminandum mundum, vim & potentiam efficacem in cordibus, verbum per orbem multiplicatum. Poſſumus & hæc referre ad ſententias Dei ac judicia in mundo.

Vidit *ſeptem faces coram throno* quas explicat *ſeptem Spiritus Dei*. Confer cap. 5: 6. Eccleſiæ ſunt *candelabra*, Spiritus *lampas*. *Septem Spiritus*. Secundùm *ſeptem candelabra* id dicitur. Unus Spiritus ſeptem eccleſiis præſens & diſtribuens in ſeptem temporibus gratias ſuas. Quemadmodum dicitur Spiritus fidei, prophetiæ, Spiritus Moſis, Joſuæ, Eliæ, Eliſæi, &c. Ita & Spiritus prophetarum dicuntur, quia ſinguli prophetæ habent Spiritum & ſingulæ gratiæ ſunt à Spiritu. Confer cap. 1. verſ. 4. Ante thronum vidit Spiritum, ut paracletum. Nam ὑπερεντυγχάνῃ ὑπὲρ τῶν ἁγίων, *interpellat pro ſanctis*. Rom. 8: 26. hoc eſt, habet, ut donatus fidelibus, φρόνημα & *ſtudium* pro illis & petit ipſorum ſalutem & bonum.

Ante thronum vidit *mare vitreum, ſimile glaciei*. Confer Ezech. 1: 22.

Nam hîc ad *mare æneum*, quod erat in templo Salomonis non est respectum. *Mare vitreum* est quasi mare consistens. Consistentia maris significat pacem mundi. Regnum Christi est regnum pacis, quia gentes adunat. Secundò, quia ecclesiam tranquillat, tùm quoad conscientiam, tum sæpe quoad statum externum. Tertiò quia omnia subjicit. Qui status mundi subjecti Ecclesiæ similiter per *mare vitreum figuratur* capite 15. vers. 2.

Inter thronum & ea, quæ circa thronum (in Græco est Hebraismus omisso articulo ἢ ante κύκλῳ) vidit *quatuor animalia*. In quibus vidit 1. *oculos omni ex parte*, hoc est, fidem & spem; ut quasi fides significetur per oculos retrospicientes, spes per oculos antrorsum spectantes. Nam quasi in via sunt fideles. Quæ præterita sunt, recordantes & quasi ponè relinquentes proficiscuntur ad illa, quæ in futurum ipsis parata sunt, quæ quasi ante ipsos posita sunt. Hac figura loquendi utitur & Paulus Phil. 3: 14. Quòd autem oculi in omnibus membris sunt, significat, omnia membra à fide & spe gubernari. 2. *Vultum leonis, vituli, hominis, aquilæ & quidem volantis.* Significatur emblemate *Leonis* fiducia & magnus animus: *Vituli*, labor ac patientia: *Hominis*, τὸ λογικὸν & sapientia; *Aquilæ*, appetitio cœlestium & Christi, *cadaveris* quidem facti, sed cibi manentis ad vitam æternam. *Volatus* significat extensionem sui ad scopum, ἑτοιμασίαν: item migrationem per mundum & ex mundo. Clarum est, Johannem hîc alludere ad animalia Ezechieli visa; quæ is vocat *Cherubim*. Olim imagines illorum animalium in sancto sanctorum apud arcam erant. Eæ symbola erant spirituum, qui erant in cœlo, videntes gloriam Dei. Nunc in Novo Testamento sancti, qui in terra sunt, habent accessum ad illos & cum illis unum sunt. Tertiò *alas sex*, ipsas quoque *plenas oculis*. Si alæ partim ad volandum, partim ad tegendum faciem ac pedes, ut Es. 6: 2. significatur, non tantùm incitatio charitatis, sed & modestia non affectandi alta, sive oculos attollendi ad Sanctum Israëlis (confer phrasin Es. 37: 23. Psalm. 131: 5.) & pudor, sive abnegatio propriæ justitiæ. Quartò vidit indesinenter vociferantes: *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, ex Es. 6: 3. Ita audivit Esaias clamantes *Seraphim*, h. e. corpora ignita, quæ vidit, quando vidit Dominum sedentem in throno celso, cujus fimbriæ implebant templum. Nempe in manifestatione Christi *per justitiam* ipsius *sanctificatur Deus ille sanctus*, Es. 5: 16. atque ita occasio & causa est prædicandi *gloriam* Dei in toto mundo, (de qua glorificatione & Esaias loquitur & statim Johannes) ut omnes familiæ terræ cum lætitia & exaltatione agnoscant Deum & sanctum ac justum, qui non dissimulat peccatum, neque utitur ἀδικίᾳ, non exercendo judicium; & simul misericordem

dem ac condonantem peccata : ut est Exod. 34. vers. 6. 7. quum alioqui contra indolem peccatoris sit, delectari Dei puritate & justo judicio. Cæterum, qui clamant *Deum sanctum*, eumque agnoscunt τὸν Κύριον, *Dominum*, (qui est *Adonai*, habens populum peculiarem & proprium in mundo, quem velut hæreditatem & partem suam vult habere & conservare, & in quo vult mirabilis fieri: & *Jehovah*, qui sit, quod est. Nam utrique voci Hebraicæ τὸ Κύριος respondet) eumque *omnipotentem*, qui omnia sibi subjicere potest, &, quemadmodum confitentur, eum & semper *fuisse*, atque anterioribus temporibus se manifestasse verbo ac opere, & nunc *esse*, ut cujus nullum verbum, nulla promissio ceciderit in terram; ita *exspectant* porrò adventum & consummationem regni ejus: hi sunt, qui Deum glorificant, & in quibus est vita Dei; & ii accedunt ad Deum. Contra autem, qui sanctitatem Dei & potentiam & veritatem abnegant & non amant, ii procul ab ipso remoti sunt: quia *sanctus* est, & non potest voluptatem habere in iis, qui eum non amant & in deliciis habent. Ergo prædicatio gratiæ Dei est & prædicatio sanctitatis Dei, & eam docet amare, & ejus iram revereri.

Vers. 9. Præterea, quintò, animadvertit de animalibus, ea *gloriam & honorem & gratiarum actionem dare sedenti in throno* &c. hoc est, celebrare Dei supereminentiam, & quidem maximè divitias gratiæ, sive sufficientiam ad justificandum hominem peccatorem cum laude, & ita quidem, ut hoc Deo proprium sit, & in ea re nulla creatura quidquam cum ipso habeat commune: deinde dignitatem, ut adoretur & omni obsequio colatur; denique ipsius beneficium, qui, ut potuit & voluit & promisit, ita fecit.

Vers. 10. Connexum hujus celebrationis animalium est *seniorum* προσκύνησις, *adoratio*, cum depositione coronarum; & v. 11. confessio: *Dignus es, Domine, accipere gloriam, & honorem & potentiam. Quia tu condidisti omnia, & propter voluntatem tuam sunt & condita sunt.* Dum Ecclesia (nam ea significatur per quatuor animalia. Vide cap. 5: 9. 10.) Deum glorificat, glorificatur etiam Deus à sanctis, qui sunt in cœlo. Ephes. 3. vers. 10. Quatenus in regno sunt, gestant *coronas* & *sedent in thronis*. Quatenus Deum glorificant, dicuntur procidere in genua & coronas deponere. *Accipere gloriam* est glorificari; *honorem*, est honorari cultu atque obsequio. *Accipere potentiam* est celebrari & fiduciam hominum fieri propter potentiam. *Potentia* demonstratur duobus modis. 1. Quia omnia, quæ sunt, Dei opus sunt. 2. Quia propter voluntatem Dei sunt, hoc est, solo momento voluntatis, & quasi vocatione, adducta sunt. Omnia hæc possunt intelligi universaliter sive respectu totius temporis seculorum præcedentium. Nam, quæ sequuntur, specialiùs ordinem rerum in mundo gestarum ab initio Novi

Teſtamenti uſque ad mundi ſubjectionem (quam per *vitreum mare* ſignificari diximus) aperiunt. Ejuſdem eſt nova facere, qui & vetera fecit. Non alius regnat in regno Dei aut ſedet in throno Dei ad dextram ejus, quàm cujus thronus eſt ab olim. Pſalm. 93: 2. Ideò & Chriſto attribuitur Col. 1: 16. quòd omnia fecerit, inter cætera *thronos* & *dominationes*, *viſibilia & inviſibilia*. Vide etiam Epheſ. 3: 9. Et Eſaias cap. 41: 2. 3. 4. quando introducit Chriſtum diſceptantem, audientibus inſulis, h. e. gentibus occidentis, cum nationibus, h. e. Judæis; docet, eum, qui miſit Apoſtolos ab Oriente, quibus juſtitia ipſius quaſi obvia fuit, ut ipſis aperiret portas urbium & cordium, quique eis ſubjecit mundum, ita ut populi innumeri pro eorum doctrina & fidelibus, qui eam ſuſceperunt, arma ſumerent adverſus hoſtes eorum, eſſe eundem, qui id & *decrevit* & *fecit*, *& vocavit ætates ab initio*, *Jehovam* nimirum, *qui eſt primus & idem cum ultimis*. Hactenus non viderat Johannes *Agnum*: ſed vidit in *throno*, quem poſtea vidit, ut *Agnum*. Ita & Ezechiel primò videt thronum & ſedentem ſuper eo, cap. 1: 26. deinde cap. 10: 4. videt *gloriam Jehovæ deſcendentem deſuper Cherub ad limen domûs*. Glorificatio Agni, quæ eſt cap. 5: 12. 13. oſtendit, cap. 4. Agnum glorificari in ſedente in throno. Neque enim poteſt in Eccleſia glorificatio alienari, vel ei dari, qui non eſt primus & à primo alius aut diverſus eſt.

CAPUT QUINTUM.

1. Καὶ εἶδον ἐπὶ τὴν δεξιὰν τοῦ καθημένου ἐπὶ τοῦ θρόνου βιβλίον γεγραμμένον ἔσωθεν καὶ ὄπισθεν, κατεσφραγισμένον σφραγῖσιν ἑπτά.

2. Καὶ εἶδον ἄγγελον ἰσχυρὸν κηρύσσοντα φωνῇ μεγάλῃ· Τίς ἐστιν ἄξιος ἀνοῖξαι τὸ βιβλίον, καὶ λῦσαι τὰς σφραγῖδας αὐτοῦ;

3. Καὶ οὐδεὶς ἐδύνατο ἐν τῷ οὐρανῷ, οὐδὲ ἐπὶ τῆς γῆς, οὐδὲ ὑποκάτω τῆς γῆς, ἀνοῖξαι τὸ βιβλίον, οὐδὲ βλέπειν αὐτό.

4. Καὶ ἐγὼ ἔκλαιον πολλά, ὅτι οὐδεὶς ἄξιος εὑρέθη ἀνοῖξαι καὶ ἀναγνῶναι τὸ βιβλίον, οὔτε βλέπων αὐτό.

VERS. 1. *Et vidi in dextra Sedentis in throno librum conſcriptum intus & retrò, obſignatum ſigillis ſeptem.*

2. *Et vidi angelum robuſtum præconium facientem voce magna: Quis eſt dignus aperire librum? & ſolvere ſigilla ejus?*

3. *Et nemo poterat in cœlo nec in terra, neque ſub terra, aperire librum aut eum videre.*

4. *Et ego plorabam multum, quòd nemo dignus repertus eſſet aperire & legere librum, nec videre eum.*

IN hoc capite prodocitur Agnus ad apertionem Libri. Tria membra hujus capitis ſunt. I. Provocatio creaturarum ad aperiendum librum. Verſ. 1. 2. 3. 4. II. Exhibitio agni, ut digni accipere librum; & illius acceptio verſ. 5. 6. 7. III. Conſecuta glorificatio. verſ. 8—14. Vidit *librum in manu Sedentis in throno ſcriptum utrimque & ſeptem ſigillis obſignatum.*

Hic

Hic est liber Prophetiæ, & liber divinorum decretorum, quæ, quantum opus fuit, in Prophetia sunt revelata. Is liber dicitur visus *in dextra Sedentis in throno:* quia Deus sua consilia & decreta non vult differre, quæ ad gloriam suam fecit in Christo, sed paratus est ea facere, & ei, quem destinavit hæredem & dominum omnium, potestatem omnem tradere; atque etiam sanctis suis dedit potestatem ac jus eorum exsecutionem & ἀποκαλύψιν sive *repræsentationem* petendi ac postulandi, ac studio suo & amore regni diem operum Dei accelerandi & appellendi. 2. Pet. 3: 12. Quemadmodum hic liber dicitur conscriptus intus & à tergo, ita Ezech. 2: 10. volumen, quod oblatum Ezechieli deglutiendum, dicitur *scriptum antè & retro.* Alluditur sine dubio ad id, quod legitur Deut. 32: 34. *Annon illud pugillo inclusum est apud me, obsignatum in thesauris meis?* Scripsit Deus q. librum memorialem. ut est Malach. 3: 16. Scripsit autem bis, in fronte & à tergo, idem: ut qui sibi velit in promtu esse & statim occurrere oculis, quod scripsit. Potest & significari τὸ πολύθυρον sive multitudo inscriptorum libro. Olim tantùm in adversa tabula scribebant. Hinc Juvenalis. *Scriptus & in tergo nec dum finitus Orestes. Septem sigilla* dicitur habere hic liber, quia septem temporum res sub Novo Testamento agendæ. Antequam illæ actæ sint, is liber non est totus liber apertus: ut intelligi possit, quemadmodum ipsæ res extantes cerni & narrari possunt. Omnis enim prophetia, ante rem factam, visam, narratam, habet aliquid obscuritatis. Deus enim & tempora posuit in sua potestate, neque ea ita numeravit, ut homo legens prophetias exactè initium, medium, finem temporis prædicere possit: deinde & personæ, loci, qualitates temporum, indefinitè & generaliùs sæpe indicantur; & quædam circumstantiæ occultantur. Hæc autem omnia clarè, distinctèque & perfectè cognoscuntur in ipsa re. Quando res accedit ad prophetiam, prophetia non est obsignata, sed resignata, reserata, aperta. Nempe, quando acta sunt, quæ de prima parte temporis dicta sunt à prophetis, patet, quid Deus de ea decreverit & prophetæ significaverint. Ex eo auditor prophetiæ exspectat eventum eorum, quæ sunt secundæ partis temporis, &, quæ videt, refert ad divina oracula, donec videat eam rem, cui verba prophetiæ de ea parte temporis loquentis accuratè quadrent. Quum ea fit, aperitur Sigillum aliud. Et sic porrò, donec omnia completa efficiunt, ut legatur prophetia non in sola mentis visione aut meditatione, sed ut historia cum intuitu oculorum aut memoria ac fama rerum jam transactarum. Hoc innuitur, quum cap. 10: 1. profertur *liber apertus.* Ergo prophetia de sigillis septem complectitur totum tempus. Nam, quando omnis prophetia patet, tum prophetia omnis completa est. Atqui, sigillo

septimo soluto, patet omnis prophetia & liber decretorum Dei. Ergo nihil in prophetia de regno Christi est, quod non ad septem sigillorum apertionem pertineat. Hoc pertinet ad noscendam methodum Apocalypseos. Errant enim, qui putant, omnia effecta sigillorum priora esse omnibus effectibus tubarum. Quòd autem vidit eum librum *in manu dextra sedentis in throno*, eo significatur, Deum ab omni ævo ostendisse, se habere decretum de regno suo erigendo & tanquam Testamentum de eo fecisse, ideòque velle id exspectari, neque velle aliter cognosci, quam ut eum, qui terram fundaverit non in vanum, sed ad habitandum, & ad gloriam suam in tota terra patefaciendam. De quo & paulò ante diximus.

Angelus fortis provocat omnes, *si quis sit dignus aperire librum & solvere sigilla ejus.* Ipsa promissio & prophetia, quæ exstat in Vetere Testamento, & mora impletionis, est quasi provocatio, non tam excitans ad conatum, quam cogens confiteri, neminem esse in omni creatura, qui dignus sit accipere potestatem, ordine illa faciendi, & repræsentandi, quæ in libro Dei scripta sunt. Nam *solvere sigilla libri* est decreta Dei & promissa præstare, ut ex visis, quod promissum & prædictum est, cognoscatur.

Vers. 3. Testatur, neminem ab omni ævo repertum esse, qui plene promissa ea explicare, aut sistere posset. 1. Cor. 2. v. 8. 9. Ubi Apostolus docet, ea, quæ in Christo & in regno ejus conspiciuntur, superare cogitationem hominum ea secundùm promissionem exspectantium: idque docet verbis Esaiæ, quæ exstant cap. 64: 9. Quòd nemo fuerit, qui promissionem salutis & benedictionis gentium atque ita hæreditatis mundi, quam promissionem accepit Abraham, potuerit exhibere, ipsa Lex ostendit; secundùm quam homines peccatores sacrificia pro se & populo obtulerunt, qui coacti sunt per totam vitam accedere ad altare ante tabernaculum positum & ibi victimas offerre & denuò quotannis cum alieno sanguine in sanctuarium terrestre intrare ad id purificandum à fœditatibus Israëlis: nec habuerunt viam ad cœleste sacrarium manifestatam. Hebr. 7: 19. 28. 9: 8. 10: 3.

Vers. 4. Hic Johannes induit personam alicujus fidelium sub Vetere Testamento, dum *flet*, dolens, neminem repertum esse, qui *aperiat*, imò vel *legat* vel *videat*. Per hæc significatur, fideles in Vetere Testamento non intellexisse prophetias, quemadmodum dignum erat ipsis rebus, imò, ut homines erant, multa fuisse opinatos, quæ per rem ipsam non approbabantur. Quibus experimentis in longo illo tractu temporum didicerunt, se dignos non esse habitos, qui legerent librum. Erat certè sanctorum Veteris Testamenti desiderare adventum ejus, cujus erat Regnum & Judicium:

cium : quemadmodum Psal. 72: 1. orat Ecclesia, *Justitiam tuam Regi da & judicium tuum filio regis.* Qui eo tempore putarunt, se per Legem & Principes illius seculi & Sacerdotes ac Levitas & ministerium eorum posse pervenire ad Regnum & hæreditatem mundi, illorum non est hic fletus, qui videnti attribuitur; sed illorum, qui intellexerunt, neminem in terris esse idoneum ad Regnum accipiendum & dandum. Quamvis enim fideles scirent, Deum admensum esse certos dies, sub quorum finem Filius Dei esset venturus in mundum ; quamdiu tamen exspectabant & desiderabant adventum ejus, & longa mora fatigabantur, atque onus legis ac timor mortis constringens ad servitutem ipsis incumbebat, & præterea multis modis onerabantur, non poterant non lugere. Atque ita Christus eos, ad quorum tranquillationem se venisse testatur Matth. 11: 28. vocat κοπιῶντας καὶ πεφορτισμένους *laborantes* sive delassatos & *oneratos*, & Esaias cap. 61: 1. ostendit, Christum esse mittendum ad obligandum fractos corde, & consolandum lugentes, ad captivis prædicandam libertatem, & vinctis acutum visum, &c. Ex eadem causa est, quòd, qui sub Vetere Testamento exspectabant Christum, dicuntur vincti in fovea aquam non habente, qua scil. sitim suam restinguere possent. Zach. 9: 11.

5. Καὶ εἷς ἐκ τῶν πρεσβυτέρων λέγει μοι· Μὴ κλαῖε· ἰδοὺ ἐνίκησεν ὁ λέων ὁ ὢν ἐκ τῆς φυλῆς Ἰούδα, ἡ ῥίζα Δαυΐδ, ἀνοῖξαι τὸ βιβλίον, καὶ λῦσαι τὰς ἑπτὰ σφραγῖδας αὐτοῦ.

6. Καὶ εἶδον, καὶ ἰδοὺ ἐν μέσῳ τοῦ θρόνου καὶ τῶν τεσσάρων ζώων, καὶ ἐν μέσῳ τῶν πρεσβυτέρων, ἀρνίον ἑστηκὸς, ὡς ἐσφαγμένον, ἔχον κέρατα ἑπτὰ, καὶ ὀφθαλμοὺς ἑπτὰ· οἵ εἰσι τὰ ἑπτὰ τοῦ Θεοῦ πνεύματα τὰ ἀπεσταλμένα εἰς πᾶσαν τὴν γῆν.

7. Καὶ ἦλθε καὶ εἴληφε τὸ βιβλίον ἐκ τῆς δεξιᾶς τοῦ καθημένου ἐπὶ τοῦ θρόνου.

VERS. 5. *Et unus ex senioribus dicebat mihi: Ne plores. Ecce vicit Leo ille, qui est ex tribu Juda, radix Davidis, ut aperiat librum & solvat septem ejus sigilla.*

6. *Et vidi, & ecce in medio throni & quatuor animalium & in medio Seniorum Agnus stans, ut mactatus, habens cornua septem & oculos septem. Qui sunt septem illi Spiritus Dei, qui missi sunt in omnem terram.*

7. *Et venit & accepit librum ex dextera Sedentis in throno.*

Agnus, cujus erat librum aperire, ostenditur partim indicatione presbyteri, partim ipsius exhibitione in visione. *Unus presbyterorum dixit mihi: ne fleas: ecce vicit &c.* Significatur vox Apostolorum ad Ecclesiam, testantium resurrectionem Christi, & ascensionem in cœlos. *Ecce vicit Leo de tribu Juda.* Genes. 49: 9. Si Juda est, ut Leo, quando fortes reges habet; multò magis ipse Dominus, cui est obedientia populorum, est *Leo ex tribu Juda.* Animus magnus, & רוּחַ יְשׁוּעָה *spiritus alacritatis*, & potentia invicta atque omnia subjiciens hac parabola notatur. *De tribu Juda exortus* est. Hebr. 7: 14. *Tribus Juda* habet promissionem regni & dominii,

minii, vel potiùs *Domini*, cujus est regnum, non tribus Levi. Si inter homines fuissent, qui possent decreta Dei exhibere & Prophetiæ ac Promissioni benedictionis satisfacere, non demum ex Juda fuisset exspectanda salus & regnum in gentibus. Toto tempore Veteris Testamenti, quod maximum agi ab hominibus potuit, Levitis comminsum fuit; nimirum oblatio pro peccatis, & purificatio populi & sanctuarii, in quo Deus dicebatur habitare. Neque Angeli potuerunt librum ex manu Dei accipere & promissa Dei præstare & facere, ut ea essent *Ne & Amen.* Nam alioqui filio Judæ non promissum esset regnum. Quod & Apostolus ex Psalmo octavo probat Hebr. 2: 5. 6. 7. 8. *Non enim angelis subjecit orbem habitabilem futurum, de quo loquimur*, h. e. regnum in gentibus non dedit angelis. *Testificatus autem est quidam, dicens: Quid est homo?* &c. *Minorasti eum paulisper præ angelis — omnia subjecisti pedibus ejus.* Igitur *filio hominis* omnia sunt subjicienda, non angelis. Nam per *justitiam* regnum erat parandum: per subjectionem sub legem, & præceptum amoris fratrum. Quod hominis est. Cum hisce convenit, quòd & prophetæ, per quos Deus locutus est, scrutati dicuntur, in quod & quale tempus Deus destinasset Christi passiones & sequentes glorias; de quibus ipsi loquebantur, scientes, se ea nobis administrare: & angeli dicuntur quærere in ea introspicere, 1. Pet. 1: 10. 11. 12. & Eph. 3: 10. nunc per Ecclesiam innotescere principatibus & potestatibus in cœlis multiplicem sapientiam Dei. *Radix Davidis*, confer Es. 11: 10. & Apoc. 22: 16. in quibus locis Christus *radix Jesse & Davidis*, dicitur; quia Jesse & David ex ipso, & proinde Christus Dominus Davidis est. Psalm. 110: 1. Matth. 22: 43. 44. 45. Quemadmodum necesse fuit, Christum esse hominem, ut esset sub præcepto dilectionis fratrum; quod innuitur per hoc, quòd ex tribu Juda dicitur esse, & quidem ex Davide: ita, quum dicitur *Radix Jesse ac Davidis*, significatur, eum esse majorem hominibus omnibus & Dominum Davidis & patrum omnium. Talis enim nos decebat Pontifex, qui esset cœlis altior. Non nisi in Jehovah est justitia: non in alio, præter Jehovam, gloriandum est: non alii convenit regnum. Vide cap. 4: 9. 11. Es. 45: 23. 24. 25. *Vicit*, nempe execrationem, & ejus valorem ad accusandum peccatum & ad detinendum gentes in servitute Satanæ. Vicit autem per passionem, & passionem per potentiam suam & sufficientiam meriti sui sive jus suum, ut resuscitatus ex mortuis accipiat potestatem *aperiendi librum & solvendi septem sigilla.* hoc est, omnia faciendi, quæ sunt Novi Testamenti: quod quandiu in Deo fuit reconditum & sola promissione ac figuris fuit significatum, meritò comparatur libro clauso & obsignato. Quemadmodum & Apostolus id vocat μυστήριον

σιωγη-

σεσιγημένον χρόνοις αἰωνίοις, *mysterium tacitum temporibus secularibus.* Rom. 16: 25.

Vers. 6. Secundùm demonstrationem presbyteri, testatur se *vidisse agnum, tanquam mactatum, stantem in medio throni, animalium & presbyterorum.* non simul mactatum & stantem, sed stantem à mactatione. Hîc non introducitur nova persona, sed novum Dei opus, & functio officii mediatorii, quod gerit Filius. Nam mediatorii officii respectu dicitur *stans inter thronum ac animalia & presbyteros.* Mediator enim stat inter Deum & homines ei reconciliandos, facit pacem, accedit & adducit. Visus est in ænigmate *agni*, non tantùm propter patientiam, sed etiam propter *injectionem peccati nostri in ipsum*, ut *fieret peccatum* sive tanquam peccator tractaretur. Nam in *agno* est significatio utriusque; patientiæ, quia silens vellitur & necatur; *peccati*, quia, nisi custodiatur, aberrat à pastore. Es. 53: 4. 1. Pet. 2: 25. ideò & in figura *serpentis* prophetatus est Num. 21: 8. Joh. 3: 14. Sponsor personam sustinet ejus, cujus loco se ad solvendum offert. Cui hæreditas data est ex hominibus, qui datus est hominibus caput, is hominum peccata sua vocat. Ita Psalmo 40: 13. *Assequuntur me pravitates meæ, & non possum videre, numerosiores sunt capillis capitis mei, & cor meum reliquit me.* Loquitur ille, qui dicit, *de se in volumine libri scriptum esse; se venisse ad faciendam voluntatem Dei*, & ad *prædicandum justitiam ac salutem Dei.* Ergo personam agni aberrantis suscipit, quia pro ovibus aberrantibus se sistit: hirci, quia pro hircis petulantibus: serpentis nomen & schema induit, quia pro semine serpentum intercedit, ejus causam suscipit, ut id faciat semen Dei. *Mactatio* significat mortem; quòd *stetit* à mactatione, resurrectionem ex mortuis: quòd *stetit coram throno*, notat, illum ascendisse in cœlum, & ἐμφανίζεσθαι τῷ Θεῷ, apparere coram Deo & sedere ad dexteram ejus, & intercedere pro nobis, h. e. habere voluntatem cùm æterni spiritus, tum assumtæ naturæ humanæ; quæ voluntas est amor, in quo amore est *postulatio hæreditatis.* Psalm. 2: 8. & sic regni, sive potestatis decreta Dei de salute Ecclesiæ exsequendi.

Visus est agnus *cum cornibus septem & oculis septem. Cornua* significant πᾶσαν δύναμιν sive *omnem potentiam* ad faciendum omnia, quæ ipsi demandanda erant. *Oculi septem* significant omniscientiam. Johannes interpretatur *septem spiritus missos in totam terram.* Unus is spiritus est, sed in septem temporibus operans. Is notatur per *oculos*, vel, quia Christi intuitus est intuitus amoris; amor autem est in missione spiritus: vel, quia Christus omnia novit in *spiritu æterno*, in quo ipse præsens est suo corpori: vel quia in Spiritu sancto ad nos misso est lux, per quam vide-

mus ipsum & oculos ipsius, quibus nos aspicit. Zach. 3: 8. ostenditur *lapis* propositus Josuæ, super quo dicuntur esse *septem oculi*, h. e. qui non tantùm Josuæ ad aspiciendum fuit propositus, sed omnibus gentibus, quæ in septem temporibus eum aspicient, ut rupem salutis, ut lapidem fundamenti & anguli. De quo loco plura dicimus in Commentario nostro & in Ultimis Mosis § 831.

Vers. 7. Agnus visus est *venire & accipere librum ex manu sedentis in throno*, h. e. habere ex voluntate Dei potestatem & jus, tanquam omnibus requisitis jam existantibus, & ipsa gloria imò justitia Dei flagitante, jam sine morâ faciendi omnia, quæ scripta sunt de Novo Testamento, & voluntatem Dei & promissionem ac prophetiam in aperto constituendi, sive in opere exhibendi.

8. Καὶ, ὅτε ἔλαβε τὸ βιβλίον, τὰ τέσσαρα ζῶα καὶ οἱ εἴκοσι τέσσαρες πρεσβύτεροι ἔπεσον ἐνώπιον τοῦ ἀρνίου, ἔχοντες ἕκαστος κιθάρας καὶ φιάλας χρυσᾶς, γεμούσας θυμιαμάτων, αἵ εἰσιν αἱ προσευχαὶ τῶν ἁγίων.

9. Καὶ ᾄδουσιν ᾠδὴν καινὴν, λέγοντες· Ἄξιος εἶ λαβεῖν τὸ βιβλίον, καὶ ἀνοῖξαι τὰς σφραγῖδας αὐτοῦ, ὅτι ἐσφάγης, καὶ ἠγόρασας τῷ Θεῷ ἡμᾶς ἐν τῷ αἵματί σου ἐκ πάσης φυλῆς καὶ γλώσσης καὶ λαοῦ καὶ ἔθνους·

10. Καὶ ἐποίησας ἡμᾶς τῷ Θεῷ ἡμῶν βασιλεῖς καὶ ἱερεῖς· καὶ βασιλεύσομεν ἐπὶ τῆς γῆς.

11. Καὶ εἶδον, καὶ ἤκουσα φωνὴν ἀγγέλων πολλῶν κυκλόθεν τοῦ θρόνου καὶ τῶν ζώων καὶ τῶν πρεσβυτέρων· καὶ ἦν ὁ ἀριθμὸς αὐτῶν μυριάδες μυριάδων, καὶ χιλιάδες χιλιάδων·

12. Λέγοντες φωνῇ μεγάλῃ· Ἄξιόν ἐστι τὸ ἀρνίον τὸ ἐσφαγμένον λαβεῖν τὴν δύναμιν καὶ πλοῦτον καὶ σοφίαν καὶ ἰσχὺν καὶ τιμὴν καὶ δόξαν καὶ εὐλογίαν.

13. Καὶ πᾶν κτίσμα, ὃ ἐστιν ἐν τῷ οὐρανῷ, καὶ ἐπὶ τῆς γῆς, καὶ ὑποκάτω τῆς γῆς, καὶ ἐπὶ τῆς θαλάσσης ἅ ἐστι, καὶ τὰ ἐν αὐτοῖς πάντα, ἤκουσα λέγοντας· Τῷ καθημένῳ ἐπὶ τῷ θρόνῳ καὶ τῷ ἀρνίῳ ἡ εὐλογία καὶ ἡ τιμὴ καὶ ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων.

14. Καὶ τὰ τέσσαρα ζῶα ἔλεγον· Ἀμήν· καὶ οἱ εἰκοσιτέσσαρες πρεσβύτεροι ἔπεσον, καὶ προσεκύνησαν τῷ ζῶντι εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων.

VERS. 8. *Et, quum accepisset librum, quatuor animalia & viginti quatuor presbyteri ceciderunt coram Agno, habentes singuli citharas & phialas aureas refertas suffimentis; quæ sunt orationes sanctorum.*

9. *Et canebant canticum novum, dicentes: Dignus es accipere librum & aperire sigilla ejus: quia mactatus es & emisti Deo nos in sanguine tuo ex omni tribu & lingua & populo & gente;*

10. *Et fecisti nos Deo nostro reges & sacerdotes: & regnabimus in terra.*

11. *Et vidi, & audivi vocem angelorum multorum circa thronum & animalia & presbyteros. Et erat numerus eorum myriades myriadum & chiliades chiliadum.*

12. *Dicentes voce magna: Dignus est Agnus, qui mactatus est, ut accipiat potentiam & vires & honorem & gloriam & benedictionem.*

13. *Et omnis creatura (quæ est in cœlo & in terra & sub terra, & in mari quæ sunt, & quæ in illis sunt, omnia) audivi dicentes: Sedenti in throno & agno benedictio & honor & gloria & imperium in secula seculorum.*

14. *Et quatuor animalia dicebant: Amen. Et viginti quatuor Presbyteri illi ceciderunt & adorarunt viventem in secula seculorum.*

De-

Dehinc narrantur gratiarum actiones & δοξολογίαι, sive *glorificationes.* nempe 1. quòd *quatuor animalia & viginti quatuor presbyteri*, h. e. omnes sancti in cœlo & in terrâ, habentes singuli *Citharas* & *phialas aureas plenas suffitibus (quæ sunt sanctorum preces) prociderint:* hoc est, se humiliaverint coram Agno. Tribuuntur eis *citharæ* ad canendum sive gratias agendum cum actu: & *phialæ aureæ plenæ suffitibus*, h. e. preces in Christo. Narratur, quòd *cecinerint novum Canticum*, h. e. tales gratias Deo dixerint, quales nunquam reddiderint Deo, & cum tali lætitiâ, qualis nunquam fuerit; propterea, quia tùm primum agnus ad opus regni exercendum accingebatur. *Carmen* est vers. 9. 10. in quo 1. asseritur dignitas agni ad accipiendam potestatem, sive jus ipsius; & quidem ex causâ istius juris, quæ est passio, & per passionem emtio peculii. Dicunt, *emisti nos Deo*, h. e. fecisti, ut Deus in nobis vivere possit, & ut ipsum deceret nos habere ad vivendum in nobis, & jam nos non posset omittere & non suos vindicare, quia tu precium pro nobis exponens nos secundùm Testamentum Patris postulasti hæreditatem tibi dari. Quando autem illinc deducit jus agni, significat, nos non posse esse hæreditatem Dei, ut non simus agni; quemadmodum agnus, dum nos emit, Deo emit, ita, dum Deus nos suos vendicat, tradit agno. Ergo *agnus* & *pater* unum sunt. 11. Agnoscitur beneficium sive fructus redemtionis, quòd *fecerit* ipsos *reges & sacerdotes Deo.* Confer cap. 1: 6. Sacerdotium suum exercent, offerentes thymiamata in phialis aureis. Dicunt *Deo nostro*, quòd includit & Christum. 111. Spondent sibi *regnum in terra* ex regno Christi. Hoc *regnum* habent sancti 1. quando filios gignunt Deo per exemplum fidei, professione & operibus manifestatæ. Ita & Abraham est pater multarum gentium & hæres mundi, quia exemplum credendi atque etiam justificationis fidei factus est, hoc assecutus, ut, qui sibi benedicunt, benedicant ipsi, & sibi benedicant cum ipso, & in ipso sive propter ipsum, ut exemplum. Præterquam quòd ratam faciant promissionem fide sua. Deus enim exspectantes se non potest fallere & frustrari. 2. Quando Deus operatur in gentibus, ut amplificetur regnum Christi, & ipsorum hæreditas. Ita promissum in Psalmo 45: 16. *Pro patribus tuis erunt filii tui. Pones eos principes in tota terra.* Es. 60: 22. *Parvus erit in mille & exiguus in gentem numerosam.* 3. Quando liberi sunt ab omni jugo. Regnant enim, qui non sunt servi, non sub jugo. 4. Quando gentes mentiuntur Christo & ipsis. 5. Quando omnia regna fiunt Dei & Christi. Apoc. 11: 15. Dan. 7. 27. *Et regnum & potestas & amplitudo regnorum, quæ sunt sub cœlo, data est populo sanctorum celsorum: regnum ejus regnum seculorum & omnes potestatem habentes ei servient & obedient.* Hoc regnum negat Apostolus 1. Corint. 4. vers. 8. Corinthios

jam tum obtinuisse: docet autem per afflictiones obtinendum, Actor. 14. vers. 22.

Vers. 11. 12. Animalibus & Presbyteris adjunguntur *myriades & chiliades multiplicatæ angelorum circumdantium thronum, animalia, presbyteros.* h. e. Ecclesiam, in qua Deus regnat & præsidet undique circumvallantium (agnus enim princeps angelorum est & *metatur castra circa pios*, Psalm. 34: 8.) quorum præconium est vers. 12. *Dignitatem agni mactati* asserens, nempè *ut accipiat*, h. e. recognoscatur & credatur, cum digno honore & aspectu, habens *potentiam*, h. e. efficaciam virtutis & imperii independentis; *divitias* nempè gratiæ, confer Rom. 11: 33. Ephes. 1: 7. 2: 4. *sapientiam* in consilio; *vim* in subjectione omnium, Philip. 3: 21. Ephes. 1: 19. jureque suo postulans *honorem* in obedientiâ; *gloriam* in exaltatione supraomnia; *benedictionem* in gratiarum actione. Omnes Angeli testes fiunt magnitudinis Christi. Nam & illorum sermo perscriptus est in sacris literis, &, quocunque mittuntur, loquuntur de gloria Christi; denique prædicationem dignitatis Christi adjuvant & contra Diaboli astus tuentur & ejus stratagemata aperiunt & eludunt ac disturbant; Dan. 10: 13. 20. & adsunt electis eisque suggerunt hasce cogitationes. Etiam Angeli adorant Christum, & mittuntur ad ministerium hæredum salutis, & colligunt electos ex omnibus mundi plagis, & zizania ex regno Christi ejiciunt. 1. Pet. 3: 22. Hebr. 1: 14. Matth. 24: 31. & cap. 13: 41. Ita cœli *dant magnitudinem Deo Israëlis rupi salutis.* Deut. 32: 3. 4. 15.

Vers. 13. Vocem angelorum præconiantium Christi *dignitatem* sequitur confessio *omnis creaturæ in cœlo, in terrâ, sub terrâ, super mari, & eorum, quæ in illis sunt.* Illa confessio est partim creaturarum mutarum, quatenus divinæ gloriæ inservire & eam manifestare debent; partim hominum ratione utentium, & tum per conversionem & agnitionem Deo & Christo gloriam reddentium tum in judicio fateri eam coactorum. In his continentur & Judæi. Facilè intelligitur, hoc agere *animalia & presbyteros* & angelos interim, dum Sigilla libri Agno traditi ab ipso aperiuntur: atque adeò fructum apertionis sigillorum esse universalem confessionem. Quare etiam hinc apparet, sigilla totum tempus Novi Testamenti complecti.

Vers. 14. Claudit scenam obsignatio *quatuor animalium, & presbyterorum adoratio.*

CA-

CAPUT SEXTUM.

SIGILLUM PRIMUM.

1. Καὶ εἶδον, ὅτι ἤνοιξε τὸ ἀρνίον μίαν ἐκ τῶν σφραγίδων, καὶ ἤκουσα ἑνὸς ἐκ τῶν τεσσάρων ζώων λέγοντος, ὡς φωνῆς βροντῆς. Ἔρχου καὶ βλέπε.

2. Καὶ εἶδον, καὶ ἰδοὺ ἵππος λευκός· καὶ ὁ καθήμενος ἐπ' αὐτῷ ἔχων τόξον· καὶ ἐδόθη αὐτῷ στέφανος, καὶ ἐξῆλθε νικῶν, καὶ ἵνα νικήσῃ.

VERS. 1. *Et vidi, quando aperuit Agnus unum de sigillis, & audivi unum ex quatuor animalibus dicens, tanquam vocem tonitrui: Veni & vide.*

2. *Et vidi; & ecce equus albus; & qui sedebat in eo, habens arcum; & data est ei corona, & exivit vincens, & ut vinceret.*

INterim, dum Angeli gloriam agni prædicant, & paulatim eò proceditur, ut omnis creatura prædicationi astipuletur, aperiuntur sigilla, h. e. paulatim mysteria prophetiæ implentur, & per singulas partes implementi expectatio victoriæ Christi, & confessionis omnis creaturæ, confirmatur, excitatur & quasi appellitur, ut, ex proximiori, Ecclesia eam exspectet.

Vers. 1. Apertio sigilli primi connectenda est cum acceptione libri. Neque enim agnus cessavit, postquam accepit potestatem, &, quæ statim ab ascensione Christi in cœlum gesta sunt, non possunt non pertinere ad reserationem prophetiæ.

Hic est *vox primi animalis*, h. e. Leonis, jubentis *venire & videre*; & visio effecti. Semper ecclesia vigilat, & alii alios vigilare jubent in ecclesiâ, ad observandum opera Dei. Primitiva autem ecclesia proponitur in emblemate *Leonis* ob animositatem. Quo referre licet, quod in epistola prima dicitur, cap. 2: 2. *novi laborem tuum, & patientiam tuam, & quod non potes ferre malos.*

Vers. 2. Effectus est *equus albus* & *sessor* illius *habens arcum, cui data est corona, quique exiit vincens & ut vinceret.* Color *albus* significat pacem, lucem & amabilitatem. Prima Euangelii prædicatio facta est in pace mundi, &, quanquam non defuerint exercitia patientiæ, ut in persecutione Stephani, & aliis, quæ commemorantur in actis, tamen in plerisque locis ecclesia habuit pacem. Per *equos* significari possunt ipsi fideles, qui reguntur & habent promtitudinem ad progrediendum. Confer Zach. 10: 5. *Posuit illos ut equum majestatis suæ in bello.* Et Cantic. 1: 10. *Equitio juncto curribus Pharaonis assimulavi te.* Sed tamen possunt omnes nomen Christi professi hîc intelligi, idque ut significatio *Leonis* & *equi* distincta sit, &

id, quod *auditur* & *videtur*, non confundamus. Vigilantia cognita per verba, *veni* & *vide*, est fidelium: *videri* ut *candidum equum* est totius multitudinis Christi nomen profitentis. Cuncti enim habent idem verbum, idem nomen præferunt, & eundem Spiritum habere reputari debent: quatenus Christum dicunt Dominum, & schisma non faciunt præter doctrinam, quam acceperunt. *Sessor* significat doctores & rectores. *Arcus* significat instrumentum potens ad subjiciendum omnia, nempe verbum Dei. Non enim arma militiæ Christi sunt carnalia sed spiritualia, & valida Deo ad destructionem munitionum & ad captivandum omnem mentem in obedientiam Christi. 2 Cor. 10: 4. 5. *Corona* significat laudem certaminis rectè peracti. 2. Timot. 4: 7. *Egressio* significat progressionem ad prædicandum Euangelium in mundo. *Victoria parta* significat Euangelii βεβαίωσιν, *confirmationem* inter Judæos vel ut conversos vel ut convictos. *Victoria paranda* significat finem missi Euangelii ad gentes, ut totus mundus Christo subjiciatur.

SIGILLUM SECUNDUM.

3. Καὶ, ὅτε ἤνοιξε τὴν δευτέραν σφραγῖδα, ἤκουσα τοῦ δευτέρου ζώου λέγοντος· Ἔρχου καὶ βλέπε.

4. Καὶ ἐξῆλθεν ἄλλος ἵππος πυρρός· καὶ τῷ καθημένῳ ἐπ' αὐτῷ ἐδόθη αὐτῷ λαβεῖν τὴν εἰρήνην ἀπὸ τῆς γῆς, καὶ ἵνα ἀλλήλους σφάξωσι· καὶ ἐδόθη αὐτῷ μάχαιρα μεγάλη.

VERS. 3. *Et, quum aperuit secundum sigillum, audivi secundum animal dicens: Veni & vide.*

4. *Et exivit alius equus rufus: & sedenti in eo datum est ei auferre pacem à terra, & ut se invicem macta rent. Et data est ei machæra magna.*

Vers. 3. Cum apertione sigilli secundi est vox *secundi animalis*, nempe *vituli*, i. e. ecclesiæ in passionibus quotidianis exercitatæ; cui conveniunt, quæ sunt in epistola secunda. cap. 2: 9. 10.

Vers. 4. Effectus est, quòd *exivit alius equus rufus*. Hîc possunt intelligi passiones Christianorum, quæ fuerunt in propatulo. *Sessori* datum est *auferre pacem à terra*. Ne hoc quidem negaverimus convenire rectoribus ecclesiæ. Quanquam illi gladium non sumserint, tamen ad verbum illorum juxta comminationes illorum, & vi precum ipsorum, *ablata est pax à terrâ*, h. e. à populo Judaico, per Gessium Florum procuratorem Cæsaris Neronis, primum belli Judaïci incendiarium. Hæc *ablatio pacis à terrâ* prædicitur à Zachariâ, cap. 11: 10. *Et accepi virgam meam Clementiam, & incidi eam, ad irritum faciendum fœdus meum, quod pepigeram cum omnibus populis.* Pax, quæ ablata fuit, prædicta fuit à Daniele cap. 9: 27. *Et faciet prævalere fœdus propter multos.* Ex quo apparet *alborem* in equo primo signifi-

gnificare pacatam conditionem. Christus etiam Matth. 24: 8. diligenter vult notari concitationem gentis contra gentem tanquam ἀρχὼ ὠδίνων, *principium partitudinum.* Quod initium vers. 15. definit; *cùm viderint abominabile desolationis stare in loco sancto.* Apud Lucam verò cap. 21: 20. etiam explicatiùs dicitur, *Hierosolyma ab exercitibus cincta.* & hìc, *ut se mutuò interficerent.* Hoc, ni fallor, potest dici illud *abominabile, quod stetit in loco sancto*, nempe exercitus Idumæorum, Johannis, Eleasari, & Simonis, & Zelotæ. Sunt revera *ala abominationum*, h. e. defensores abominabiles; quibus nihil potest fingi immanius: qui & in populum & in se ipsos omni sævitiâ grassati sunt. *Et datus est ipsi gladius magnus.* Coactus est magnus ille gladius Romanorum inservire ecclesiæ & regno Christi, ad judicandum hostes ejus. Hæc est illa *securis*, quam Baptista dicit *positam esse ad omnem radicem arboris.* Matth. 3: 10. suppar magnæ isti *securi*, de qua est Es. 10: 33. 34.

SIGILLUM TERTIUM.

5. Καὶ, ὅτε ἤνοιξε τὸν τρίτον σφραγῖδα, ἤκουσα τοῦ τρίτου ζώου λέγοντος· Ἔρχου καὶ βλέπε. Καὶ εἶδον, καὶ ἰδοὺ, ἵππος μέλας, καὶ ὁ καθήμενος ἐπ' αὐτῷ ἔχων ζυγὸν ἐν τῇ χειρὶ αὐτοῦ.

6. Καὶ ἤκουσα φωνὴν ἐν μέσῳ τῶν τεσσάρων ζώων λέγουσαν· Χοῖνιξ σίτου δηναρίου, καὶ τρεῖς χοίνικες κριθῆς δηναρίου· καὶ τὸ ἔλαιον καὶ τὸν οἶνον μὴ ἀδικήσῃς.

VERS. 5. *Et, quando aperuit tertium sigillum, audivi tertium animal dicens: Veni & vide. Et vidi, & ecce equus niger, & sedens in eo habens trutinam in manu sua.*

6. *Et audivi vocem in medio quatuor animalium dicentem: Chœnix tritici denario, & tres chœnices hordei denario; & oleum ac vinum ne læseris.*

Vers. 5. Apertio tertii sigilli habet vocem *tertii animalis*, h. e. hominis, cujus est λόγος, h. e. recta ratio & eloquentia. Effectus est, quòd visus est *equus niger cum sessore habente trutinam in manu.* Nigredo notat famem & maculam, qualis macula est habere doctrinam Balaam cap. 2: 14. Fames ex iis, quæ dicuntur, intelligi potest. *Sessor tenens trutinam in manu* non tam significat examinantem & judicantem controversias (quanquam & hoc significat) quam καπηλον *institorem* vendentem cibos & corrumpentem per injustitiam. Ita Hos. 12: 7. notatur *institor, in cujus manu erat bilanx injusta.* Trutinam habet ad examinandum & ponderandum argentum. De quo vers. 6. Injustitia significatur, quia vetatur *oleum & vinum ladere*, sive cauponando corrumpere. Ergo habet animum & conatum corrumpendi.

Vers. 6. *Vox audita est ex medio animalium quatuor*, jubens pro mercede definita certam mensuram *tritici* & *hordei* repræsentare; & vetatur *oleum*

oleum & vinum lædere. Hæc verba ſeſſorem equi oſtendunt avarum & injuſtum: avarum in appetenda mercede commodi temporalis; injuſtum in judicio. *Vox ex medio animalium audita* eſt vox Eccleſiæ, poſtulantis pro *denario* (quem dat homini mercenario) *chœnicem tritici & tres hordei. Chœnix*, ut Caſaubonus ex Diogene Laërtio ad Athenæum monet, eſt cibi diurni menſura. Ideò Alexarchus χόινιξ nominavit ἡμεροτροφίδα. Athenæus l. 3. p 98. Quemadmodum *denarius* eſt operæ diurnæ merces, Matth. 20: 2. Poſtulat eccleſia pro beneficiis epiſcopo impenſis laborem & fructum, nempe *triticum* & *hordeum*; ſed hoc triplâ quantitate. *Triticum* hominis cibus eſt, *hordeum* magis ἀλεκτοριδῶν τροφὴ *gallinarum cibus*, ut Athenæus dicit lib. 6. p. 214. Tamen etiam hominis cibus eſſe poteſt, licèt aſperior. Zach. 10: 2. in Emblemate *frumenti* ſignificatur, quinam poſſint in fraternitatem aſſumi tanquam in corpore uno. Ii autem ſunt partim δόκιμοι *probi ac recti* ſeu τέλειοι *adulti*, πνευματικοὶ *ſpirituales*, quaſi *triticum*; partim νήπιοι ἐν Χριστῷ, *pueri in Chriſto*, pluſculum carnales, velut *hordeum*. Eodem modo Pſalm. 4: 8. *frumentum* & *muſtum* licet accipere. Item Pſalm. 72: 15. ſic Eſ. 5: 4. cap. 44: 4. Notatur per hæc multiplicatio Chriſtianorum ſub epiſcopis mercenariis & mundanam poteſtatem certatim affectantibus: quod ſtudium Eſaias cap. 56. v. 10. 11. taxat; item Habaccuk cap. 2. v. 9. Talis erat Bileam 2. Pet. 2. 15. Ex eo ordine ſunt, qui propter hanc *mercedem injuſtitiæ*, h. e. ut epiſcopatus & archiepiſcopatus obtinere poſſint, ſe ſubjiciunt falſo capiti & ſe jactant ipſius collegas in prophetando: de quibus legimus Zach. 13. v. 4. 5. Vox Eccleſiæ ad epiſcopos ſignificat fidem in Eccleſiâ hactenus incorruptam, ut non potuerit falſa doctrina obtinere; ſed illa audiretur doctrina, per quam eccleſia poſſet locupletari acceſſione recipientium illam. Similis allegoria eſt Cant. 8. v. 11. *vineam dedit cuſtodibus: quiſque pro fructu ipſius reditum habuit mille argenteos*, h. e. cuſtodes fructus omnia in rem ſuam verterunt, atque etiam pro dominis fidei voluerunt haberi; quod ſoli Chriſto competit, ut oſtendit verſ. 12. *mille tibi ſint, ô Salomo, ducenti ſint cuſtodibus fructus ejus.* Vox Eccleſiæ etiam aliquid Epiſcopis injungit & judici, *ne ladat vinum & oleum*, h. e. damnet doctrinam veritatis, & illos, in quibus eſt donum ſpiritus ad exhilarandum, ſanandum, vegetandum alios, perſequatur. Hoc enim poſteris temporibus futurum erat, ut, *qui vellent piè vivere, perſecutionem paterentur*, 2. Timot. 3. v. 12. Sed ſub apertione ſigilli tertii Deus hoc epiſcopis non permiſit, & in Eccleſia eam vocem audiri fecit, per quam impedirentur, ne id facerent. Ita Bileam coactus eſt benedicere populo, ad quem maledicendum conducebatur. *Denarium* ille corruptor præbere incepit maximè, quando reditus fanorum ceſſit adminiſtra-

miniſtrationi Epiſcopali. Unde illud fertur, Sylveſtri Papæ temporibus auditam fuiſſe vocem, *hodie venenum effuſum eſt in Eccleſiam.*

SIGILLUM QUARTUM.

7. Καὶ, ὅτε ἤνοιξε τὴν σφραγῖδα τὴν τετάρτην, ἤκουσα φωνὴν τοῦ τετάρτου ζώου λέγουσαν· Ἔρχου καὶ βλέπε.

8. Καὶ εἶδον, καὶ ἰδοὺ ἵππος χλωρὸς, καὶ ὁ καθήμενος ἐπάνω αὐτοῦ ὄνομα αὐτῷ ὁ Θάνατος· καὶ ὁ ᾅδης ἀκολουθεῖ μετ' αὐτοῦ· καὶ ἐδόθη αὐτοῖς ἐξουσία ἐπὶ τὸ τέταρτον τῆς γῆς, ἀποκτεῖναι ἐν ῥομφαίᾳ καὶ ἐν λιμῷ καὶ ἐν θανάτῳ, καὶ ὑπὸ τῶν θηρίων τῆς γῆς.

VERS. 7. *Et, quum aperuit ſigillum quartum, audivi vocem quarti animalis, dicentem: Veni & vide.*

8. *Et vidi, & ecce equus pallidus, &, qui ſedebat ſuper ipſo, nomen ei mors: & Infernus ſequitur eum eo. Et data eſt eis poteſtas occidere quartam partem terræ gladio, & fame & morte, & à feris terræ.*

Verſ. 7. 8. Cum apertione ſigilli quarti eſt citatio quarti animalis: quo emblemate notantur ii, qui in epiſtola ad Thyatirenſes laudantur cap. 2. 19. Apparet equus *pallidus, cum ſeſſore, cujus nomen eſt mors, & ſecutore, cujus nomen eſt infernus.* Quidni *mors* ſignificet *Jeſabelem, quæ dicit ſe prophetiſſam*, cap. 2: 20. habens doctrinam letiferam, occidens homines *morte ſecundâ*, de qua cap. 2: 11. h. e. ſeducens, poſt aſſumtum nomen Chriſti, & veritatem Scripturæ & verba fundamenti agnita, ad aliud fundamentum & principium. *Infernus* autem nihil poteſt ſignificare meliùs, quàm *adulteros Jeſabeli*, h. e. reges & principes *tradentes meretrici poteſtatem ſuam*, ad populos in errore, tanquam *morte ſecunda*, continendum. Ut enim ᾅδης *Infernus* (quod notat *inferiora terræ*) recipit cadavera & reviviſcere non ſinit; ita hæc poteſtas politica populos conſtringit ad ſeductores audiendum, & mendacium dicendum ac faciendum. Quod eſt φθείρειν *corrumpi, deſtrui.* Solet Scriptura conſociare שָׁחַת & שְׁאוֹל, *mortem & infernum.* Et dubitari non poteſt, quin alicubi duo hæc conjungantur, ubi ſignificatur *ſeductio* & *vis* excludens ab aſpectu lucis & à vita ſpirituali. Nominatim in Pſalm. 6: 6. locus eſt huic metaphoræ. Quod in libris prophcticis aliquando tectiùs dicitur, id libri Apoſtolici ſæpe explicant, ſic uſurpantes vocabula prophetiæ, ut pateat, ea habere ænigma. Nam hîc ſanè mors equitans ſive ſubjiciens Eccleſiam & occidens aliquam hominum partem, ut planum eſt, notat auctorem mortis, quæ eſt contraria vitæ in Chriſto. Et ita ſequens infernus parabolicè notat aliquid analogum cap. 20: 14. In hac ſocietate *mortis & inferni* exhibetur veritas ænigmatis Danielici cap. 2. nempe *mixturæ luti & ferri in tibiis & pedibus coloſſi*, h. e. duplicis regni in uno regno. Hinc igitur *equus*, h. e. multitudo, quæ ſubjicitur, *pallet*, h. e. plus mortis, quàm vitæ exhibet. Poteſtas mortis reſtringitur

ad *quartam partem terræ*. Deus scil. novit, quousque ea strages grassata fuerit. Instrumenta mortis sunt *gladius*, quo etiam sancti mactati sunt, deinde *fames*, h. e. carentia cibi spiritualis & consolationis, & *mors*, h. e. pestilentia (ex Chaldæo, cui מותא, *mors* est *lues*) & *bestiæ terræ*, de quibus cap. 13.

SIGILLUM QUINTUM.

9. Καὶ, ὅτε ἤνοιξε τὴν πέμπτην σφραγῖδα, εἶδον ὑποκάτω τοῦ θυσιαστηρίου τὰς ψυχὰς τῶν ἐσφαγμένων διὰ τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ, καὶ διὰ τὴν μαρτυρίαν, ἣν εἶχον·

10. Καὶ ἔκραζον φωνῇ μεγάλῃ, λέγοντες· Ἕως πότε, ὁ δεσπότης ὁ ἅγιος καὶ ἀληθινός, οὐ κρίνεις καὶ ἐκδικεῖς τὸ αἷμα ἡμῶν ἀπὸ τῶν κατοικούντων ἐπὶ τῆς γῆς;

11. Καὶ ἐδόθησαν ἑκάστοις στολὴ λευκή, καὶ ἐρρέθη αὐτοῖς, ἵνα ἀναπαύσωνται ἔτι χρόνον μικρὸν, ἕως πληρωθῶσι καὶ οἱ σύνδουλοι αὐτῶν καὶ οἱ ἀδελφοὶ αὐτῶν, οἱ μέλλοντες ἀποκτείνεσθαι, ὡς καὶ αὐτοί.

VERS. 9. *Et, quum aperuit quintum sigillum, vidi sub altari animas mactatorum propter sermonem Dei & propter testimonium, quod habebant.*

10. *Et clamabant voce magna, dicentes: Quousque, ô qui es dominus sanctus & verax, non vindicas sanguinem nostrum ab iis, qui habitant in terra?*

11. *Et datæ sunt singulis stola albæ, & dictum est eis, ut quiescerent adhuc tempus parvum, donec plenè accedant etiam conservi eorum & fratres eorum, qui futurum est ut occidantur, ut & ipsi.*

Vers. 9. 10. 11. Cum apertione sigilli quinti apparent *animæ mactatorum propter sermonem Dei & testimonium*, *quod habebant*, h. e. quia adhærescebant soli verbo Dei, & ex verbo Dei fundamentum demonstrabant: apparent, inquam, *sub altari*, sive in genibus jacentes coram *altari*, h. e. adorantes Deum in Christo.

Hinc intelligitur, ante apertionem sigilli quinti multos mactatos esse *propter sermonem Dei*, h. e. propter confessionem fidei verbi Dei, quod in mundo est & ad omnes Christianos pervenit, & ab omnibus receptum est pro verbo Dei, cujus solius vocibus voluerint erudiri & obedire, neque admittere alium sermonem tanquam auctoritate munitum: & *propter testimonium*, quod in sermone Dei continetur, quodque ex eo didicerant & receperant. Confer cap. 20: 4. & supra cap. 1: 2. & 9. Intelligitur porrò, sanguinem quoque fusum esse *ab habitantibus in terra*. Videlicet à Bestiæ adoratoribus; qui dicuntur *habitantes terram*. Apoc. 13: 8. Dicuntur autem *habitantes in terra*, qui non habent partem in *Hierosolyma*, *quæ descendit de cœlo*, & tamen non in *deserto*, sed in *terra*, h. e. loco Ecclesiæ & in medio Ecclesiæ *habitant*. Deinde, ante apertionem sigilli quinti *non fuisse vindicatum sanguinem ipsorum ab habitantibus in terra*, sed *habitantes in terra* impunè sanguinem illorum effudisse. Unde perspicuum est, hîc non agi de vindicando sanguine fidelium effuso per Judæos. Nam, dum aperitur secun-

secundum sigillum, fit mactatio præcipuè Judæorum. Gentium autem coërcitio, ut suos enses in ligones & cuspides in falces cuderent, facta jam erat, antequam educeretur Rector cum Trutina, & ille, cui nomen *Mors*, quem sequitur *Infernus*.

Animarum oratio est postulatio vindictæ sanguinis sui ab *habitantibus in terra* sumendæ. Dicuntur *clamasse voce magna*, quia in omnium hominum conscientiis excitatum est illud judicium, non posse Deum non ulcisci istum sanguinem. Quod dicunt, *quousque?* eo notatur longum tempus, quo illi occisi sunt, Deo connivente. Confer cap. 2: 21. *dedi ipsi tempus, ut resipisceret.* Datæ sunt ipsis pro tempore *stolæ albæ*, h. e. justificata est ipsorum causa in mundo per repressionem persecutorum, ut cogerentur *Deo gloriam dare*, cap. 11: 13. & Ecclesiæ pacem concedere. Confer cap. 3: 4. Nam epistola quinta ad Sardensem Angelum scripta promittit, futurum, ut quidam, qui vestes suas non maculaverant, ambulent cum Christo in albis. Quare, si hîc intelligatur pacificatio religionis prima post bellum à Carolo V. in Germania gestum, ordo historiæ prophetiæ tum Epistolarum tum sigillorum probè conveniet.

Dictum ipsis est ut *requiescerent ad tempus, donec etiam implerent*, nempe suum agonem, vel, *se plenè associarent* (quia legitur συμπλήρωσις in forma, quæ solet habere reciprocum significatum) *ipsorum conservi, qui similiter atque ipsi interficiendi erant.* Verba hæc portendunt, nondum completum esse omne certamen, & imposterum fore, qui similiter ac primi propter sermonem Dei & testimonium, quod habebunt, interficiantur, & omnibus injuriis vexentur. Quum numerus illorum completus fuerit (nam Deum illos numerasse, qui pro sermone suo & testimonio debeant pati & mori: quemadmodum etiam fidelium capitis capillos numeravit, & eorum gemitus & jactationes in rationes suas retulit, & lacrymas in utrem suum collegit. Matth. 10: 30. Psalm. 56: 9.) quum, inquam, martyres ad numerum in theatrum producti fuerint (quod subinnuitur brevi futurum) tum Deum etiam sanguinem de manibus habitantium in terra repetiturum. Quare & sequenti tempore mactatum iri fideles, & fortasse pleno numero, conjectare licet.

SIGILLUM SEXTUM.

12. Καὶ εἶδον, ὅτε ἤνοιξε τὴν σφραγῖδα τὴν ἕκτην, καὶ ἰδοὺ σεισμὸς μέγας ἐγένετο· καὶ ὁ ἥλιος ἐγένετο μέλας ὡς σάκκος τρίχινος, καὶ ἡ σελήνη ἐγένετο ὡς αἷμα·

13. Καὶ οἱ ἀστέρες τοῦ οὐρανοῦ ἔπεσον εἰς τὴν γῆν, ὡς συκῆ βάλλει τοὺς ὀλύνθους αὐτῆς, ὑπὸ μεγάλου ἀνέμου σειομένη.

14. Καὶ οὐρανὸς ἀπεχωρίσθη ὡς βιβλίον εἱλισσόμενον, καὶ πᾶν ὄρος καὶ νῆσος ἐκ τῶν τόπων αὐτῶν ἐκινήθησαν·

15. Καὶ οἱ βασιλεῖς τῆς γῆς, καὶ οἱ μεγιστᾶνες, καὶ οἱ πλούσιοι, καὶ οἱ χιλίαρχοι, καὶ οἱ δυνατοὶ, καὶ πᾶς δοῦλος καὶ πᾶς ἐλεύθερος ἔκρυψαν ἑαυτοὺς εἰς τὰ σπήλαια καὶ εἰς τὰς πέτρας τῶν ὀρέων·

16. Καὶ λέγουσι τοῖς ὄρεσι καὶ ταῖς πέτραις· Πέσετε ἐφ' ἡμᾶς, καὶ κρύψατε ἡμᾶς ἀπὸ προσώπου τοῦ καθημένου ἐπὶ τοῦ θρόνου, καὶ ἀπὸ τῆς ὀργῆς τοῦ ἀρνίου·

17. Ὅτι ἦλθεν ἡ ἡμέρα ἡ μεγάλη τῆς ὀργῆς αὐτοῦ· καὶ τίς δύναται σταθῆναι;

VERS. 12. *Et vidi, quum aperuit sigillum sextum; & ecce terra motus magnus factus est, & sol factus est niger, ut saccus ex pilis, & luna facta est ut sanguis.*

13. *Et stellæ cœli ceciderunt in terram, ut ficus abjicit grossos suos à magno vento agitata.*

14. *Et cœlum amotum est, ut liber, qui convolvitur, & omnis mons & insula ex loco suo moti sunt.*

15. *Et reges terræ & magnates & divites & tribuni, & potentes, & omnis servus & omnis liber absconderunt se in speluncas & in rupes montium.*

16. *Et dicunt montibus & petris: Cadite in nos & occultate nos à facie ejus, qui sedet in throno & ab ira agni.*

17. *Quia venit dies magna iræ ejus, & quis potest consistere?*

Vers. 12. — 17. Aperitur sigillum sextum, quum fit *magnus terræ motus:* nempe, postquam animabus interfectorum propter sermonem Dei & testimonium, quod habebant, datæ essent stolæ albæ. Hic est effectus proprius & immediatus hujus sigilli aperti. *Terræ motus* autem significat commotionem populorum & regnorum. Fit mentio terræ motus & cap. 11: 13. 16: 18. Sunt autem illi duo distincti σεισμοί. Consequentia autem indicant, eum, qui hic dicitur, dici etiam cap. 16: 18. quod ostendit collatio versus 14. hîc, cum versu 20. ibi. Nam, ut ibi subjicitur, fugisse montes & insulas, ita & hîc.

Quæ sequuntur, possumus dicere esse terminum, in quo desinit operatio sigilli sexti. Ita mollius erit ὕστερον πρότερον, si quod est in prophetia. Primò enim initium & finis conjunguntur. Deinde cap. 7. & 8: 1. ea dicuntur, quæ possunt videri intercedere inter prima & ultima. Quæ quem ordinem habeant in serie prophetiæ suis notis cognoscendum est. Ita Christus Matth. 24. vers. 29. dicit, *post afflictionem sive angustiam dierum illorum, sol & luna obscurabuntur*, &c. Ergo præcedit θλῖψις, sequetur *obscuratio solis & lunæ.* Hoc certum est, primam commotionem & concussionem regnorum post pacem Ecclesiæ concessam esse apertionem

sigilli

sigilli sexti. Qui terræ motus satis magnus exstitit in bello Cæsaris Ferdinandi secundi contra principes Germaniæ, regem Bohemiæ, Daniæ, Sueciæ, Galliæ; regis Hispaniæ contra Belgas & Gallos; ipsius regis Galliæ contra Reformatos &c. *Solis & lunæ obscuratio* non significat hîc naturales Eclipses (quæ nulla ratione possunt dici hoc aut illud portendere, & de quibus cautum est, ne ad talia signa attendamus, quippe regulæ de illarum significatione sunt vanitates gentium, Jerem. 10: 2. 3.) neque debemus tantùm intelligere magnam tristitiam, quæ videtur etiam oculorum lucem obtenebrare, quasi sol & luna non lucerent: sed, quemadmodum *Sol* & *Luna*, cap. 12: 1. hieroglyphicè aut symbolicè sive in parabola certas res significant, & hoc loco *astra & cœlum convolvendum* spiritualem, h. e. parabolicum sensum habent; ita & *Sol* ac *Luna*. Sic Es. 24: 23. *compungetur luna & pudesiet sol.* Ibi *sol* & *luna* opponitur *Domino regi* & *senioribus ejus.* Est enim aliquis adulterinus Sol, qui, quum deberet lucere in Ecclesia, ut alius doctor, se pro capite ac propheta venditat, quasi ipse esset lux, & nulla lux sine ipso haberi posset. De eo igitur dicit, *fore illum nigrum instar cilicii*, h. e. fore illum planè horribilem, & oforem lucis, & doctorem falsitatis meræ. Nam *sessor equi nigri cum trutina* in manu inhibitus fuit, ne *læderet vinum & oleum*, & jussus fuit repræsentare *triticum & hordeum: sessor equi pallidi* est quidem *mors*; quia ille *venit in operatione Satanæ in omni deceptione*, & errores paulatim seminat, qui in ignorantibus fundamentum & illos pro fundamento habentibus letiferi sunt: tamen illa *Jesabel* adhuc cohabitat *servis Dei, illam doctrinam non tenentibus, ignorantibus profunditates Satanæ*, & errantibus præter voluntatem. Aliquid adhuc boni est, etiam post segregationem (etiamsi per anathematisinum veritatis & propositionem nominis Antichristi tanquam certi doctoris Ecclesiæ in Concilio Tridentino factam incepisset Sol esse niger) quando Ecclesia pacata est, &, qui scortantur cum meretrice, illam non turbant. Quando verò doctrina falsitatis ita omnibus suis partibus est concinnata & composita, & ita omnibus sophisinatis munita, ut salutare verum excludat, & ipsa veritas ingenti mole ratiocinationum est involuta, & vix remedium amplius est ad sanationem, ac præterea, qui veritatem loquebantur & defendebant, exscinduntur & non amplius loqui ac lucere in suis Ecclesiis tanquam candelabris possunt; tum sol revera totus est tenebræ. *Luna* significat amœnitatem politici regiminis in nocte hujus mundi. Quando Principes politici nihil nisi sanguinem fundere student, quid hoc est, nisi *luna conversa in sanguinem?*

Vers. 13. Sidera de cœlo cadentia in terram significant usurpatæ in

Ecclesia auctoritatis abolitionem. Confer Es. 24: 22. Matth. 24: 29. In tuba quinta cap. 9: 1. aliqua stella videtur lapsa de cœlo in terram. Cap. 11: 11. est abolitio χιλιάδων septem. Hæc non sunt eadem cum hoc casu stellarum. Satis autem est in hoc versu 13. nostri capitis intelligi stellarum quarundam casum de cœlo : q. d. *stellæ cœli cœperunt cadere in terram.* Notum est, belli Germanici exitum fuisse, ut in Germania multi Episcopatus abolerentur & fierent ducatus politici. Post deinde secuta est Episcoporum in Anglia, Scotia & Hibernia abolitio. Sed ii post tempus *visitati sunt.* Es. 24: 22. Initium autem *casus stellarum*, vers. 13. intelligi, inde patet, quia versus 14. sequens prædicit *abolitionem cœli*, & ejus *convolutionem ut libri.* Quod procul dubio abolitionem dominationis in Ecclesia notat. Quòd autem vers. 14. dicuntur *cœli convoluti*, cum eo convenit, quod Esaias dicit cap. 24: 23. *Luna pudefiet, quum Dominus factus fuerit rex in monte Sion & Hierosolymis.* & deinde plenius cap. 25: 7. 8. *Et abolebit in monte hoc faciem tegminis injecti omnibus populis, & velut superfusi omnibus gentibus. Abolebit Mortem etiam atque etiam.* Item cap. 65: 17. *Ecce ego creo cœlum novum.* Quod repetit Apocalypsis cap. 21: 1. *Et vidi cœlum novum & terram novam.* Quicquid hîc aliquis reluctetur, non potest fieri, ut non per hæc abolitio hierarchiæ significetur. Apocalypsis *Angelos Ecclesiarum* vocat *stellas. Stellas* autem *tenet* Christus *in dextera sua.* Ex dextra Christi non cadunt *stellæ.* Sed, quando ii, qui debebant *Angeli* sive מַלְאָכִים *nuncii* & εὐαγγελισταὶ esse & lucere, ut φωστῆρες, volunt esse *domini* & ἀρχαὶ καὶ ἐξουσίαι, nominantur quidem *Stellæ*, quia ad hoc dati sunt & vocati, ut luceant, sed, quum alio igne ad tempus fulserint, denique cadunt in terram, ut *coram Senioribus Domini sit gloria.* Non potest cogitari, *stellas cadere de cœlo*, nisi *stellæ* hæ si extulerint, & desierint sincera luce lucere, & sua auctoritate, nomine, potestate atque imperio voluerint esse clari.

Vers. 14. *Cœli convolutio instar voluminis* respondet analogicè amotioni cœli illius, sub quo fuerant Israëlitæ. De qua est Es. 34: 4. *Et convolventur, ut liber, cœli & omnis exercitus eorum marcescet & cadet, quemadmodum marcescit pampinus de vite & marcida de ficu.* Hagg. 2: 7. *Adhuc semel movebo cœlum & terram.* Hebr. 12: 26. Christus dicit, *virtutes cœlorum concutientur.* Apoc. 21: 1. *Primum cœlum & prima terra præterierat.* Volutio cœli tanquam voluminis videtur notare abolitionem, quæ paulatim fiat. Nempe ut in Ecclesia, quæ à Jesabele separata est, desinat omnis species dominationis : deinde ad eam multi accedant. Quousque autem id procedere debeat ad abolitionem regni contrarii, ex aliis prophetiis aut partibus Apocalypseos discendum est.

Montes

Montes & *insulæ motæ ex loco suo* possunt notare concussionem multorum regnorum & populorum & civitatum, tum in continenti, tum in insulis. Præcipuè, si egrediantur homines sedibus suis ad bellum aliis inferendum & illatum propulsandum, aut etiam, si transeant in aliorum potestatem, vel novæ fiant respublicæ, vel imperium, quod maximum fuit ac præcipuum, significatum per infimam partem colossi Nabochodonosaris & quartum animal Dan. 2. & 7. dissolvatur & labefactetur. Cap. 16: 20. dicitur, *Et omnis insula fugit & montes non sunt inventi.* Rursus cap. 20: 11. *Et vidi thronum candidum magnum & eum, qui sedebat in eo: à cujus facie fugit terra & cœlum, & locus non est inventus eis.* Qui loci inter se comparati ostendunt, visiones illas in hoc articulo concurrere & συγχρονίζειν. In cap. 20: v. 1. dicitur, *mare non est amplius*, quia nempe non erit locus, qui careat cultura, ut sit ἁλς ἀτρύγετος. cap. 15. v. 2. *victores stant super mari vitreo.* Quod diximus significare mundi consistentiam in pace. Ut fiat *unum mare vitreum*, necesse est *montes & insulas abire.* Fortasse igitur hæc idem significant.

Fuga regum ad speluncas significat horribilia judicia in magnates & principes, ut non habeant, ubi consistere possint.

Imploratio *montium & petrarum, ut cadant super ipsos* (sumtum hoc ex Hosea cap. 10: 8.) significat implorationem auxilii à regibus, populis, rebus publicis, ut ab illis defendantur aut restituantur. Ergo hoc fiet, antequam *fugerint montes & insulæ*, saltem omnes. Nempe sic ista accipere possumus: Fore ut moveantur montes & insulæ, & reges ac duces ejecti, vel periclitantes, confugiant ad alios montes & petras, donec & illi moveantur. Quando populi & reges fœdera passim & identidem faciunt inter se, stipulantes mutuam defensionem, videtur id fieri, ut implorent montes ac petras & protegi se petant.

Verba ista, *occultate nos ab ira agni*, non sunt mimesis, sed interpretatio eorum, quæ ipsi dicunt. Dum enim fatentur, se stare non posse absque auxilio, fatentur Dei judicium & iram agni.

CAPUT SEPTIMUM.

1. Καὶ μετὰ ταῦτα εἶδον τέσσαρας ἀγγέλους ἑστῶτας ἐπὶ τοὺς τέσσαρας γωνίας τῆς γῆς, κρατοῦντας τοὺς τέσσαρας ἀνέμους τῆς γῆς, ἵνα μὴ πνέῃ ἄνεμος ἐπὶ τῆς γῆς, μήτε ἐπὶ τῆς θαλάσσης, μήτε ἐπὶ παν δένδρον.

2. Καὶ εἶδον ἄλλον ἄγγελον ἀναβαίνοντα ἀπὸ ἀνατολῆς ἡλίου, ἔχοντα σφραγῖδα θεοῦ ζῶντος·

VERS. 1. *Et post hæc vidi quatuor Angelos stantes ad quatuor angulos terræ, qui tenebant quatuor ventos terræ, ne flaret ventus in terra neque in mari, neque in omnem arborem.*

2. *Et vidi alium angelum, qui ascendebat ab ortu solis, qui habebat sigillum Dei vivi.*

καὶ ἔκραξε φωνῇ μεγάλῃ τοῖς τέσσαρσιν ἀγγέλοις, οἷς ἐδόθη αὐτοῖς ἀδικῆσαι τὴν γῆν καὶ τὴν θάλασσαν,

3. λέγων· Μὴ ἀδικήσητε τὴν γῆν, μήτε τὴν θάλασσαν, μήτε τὰ δένδρα, ἄχρις οὗ σφραγίσωμεν τοὺς δούλους τοῦ Θεοῦ ἡμῶν ἐπὶ τῶν μετώπων αὐτῶν.

4. Καὶ ἤκουσα τὸν ἀριθμὸν τῶν ἐσφραγισμένων· ἑκατὸν τεσσαρακοντατέσσαρες χιλιάδες ἐσφραγισμένοι ἐκ πάσης φυλῆς υἱῶν Ἰσραήλ.

5. Ἐκ φυλῆς Ἰούδα δώδεκα χιλιάδες ἐσφραγισμένοι· ἐκ φυλῆς Ῥουβὴν δώδεκα χιλιάδες ἐσφραγισμένοι· ἐκ φυλῆς Γὰδ δώδεκα χιλιάδες ἐσφραγισμένοι·

6. Ἐκ φυλῆς Ἀσὴρ δώδεκα χιλιάδες ἐσφραγισμένοι· ἐκ φυλῆς Νεφθαλεὶμ δώδεκα χιλιάδες ἐσφραγισμένοι· ἐκ φυλῆς Μανασσῆ δώδεκα χιλιάδες ἐσφραγισμένοι·

7. Ἐκ φυλῆς Συμεὼν δώδεκα χιλιάδες ἐσφραγισμένοι· ἐκ φυλῆς Λευὶ δώδεκα χιλιάδες ἐσφραγισμένοι· ἐκ φυλῆς Ἰσσαχὰρ δώδεκα χιλιάδες ἐσφραγισμένοι·

8. Ἐκ φυλῆς Ζαβουλὼν δώδεκα χιλιάδες ἐσφραγισμένοι· ἐκ φυλῆς Ἰωσὴφ δώδεκα χιλιάδες ἐσφραγισμένοι· ἐκ φυλῆς Βενιαμὶν δώδεκα χιλιάδες ἐσφραγισμένοι.

9. Μετὰ ταῦτα εἶδον, καὶ ἰδοὺ ὄχλος πολύς, ὃν ἀριθμῆσαι αὐτὸν οὐδεὶς ἠδύνατο, ἐκ παντὸς ἔθνους καὶ φυλῶν καὶ λαῶν καὶ γλωσσῶν, ἑστῶτες κατενώπιον τοῦ θρόνου καὶ κατενώπιον τοῦ ἀρνίου, περιβεβλημένοι στολὰς λευκὰς καὶ φοίνικες ἐν ταῖς χερσὶν αὐτῶν·

10. Καὶ κράζουσι φωνῇ μεγάλῃ, λέγοντες· Ἡ σωτηρία τῷ Θεῷ ἡμῶν τῷ καθημένῳ ἐπὶ τῷ θρόνῳ, καὶ τῷ ἀρνίῳ.

11. Καὶ πάντες οἱ ἄγγελοι εἱστήκεισαν κύκλῳ τοῦ θρόνου καὶ τῶν πρεσβυτέρων καὶ τῶν τεσσάρων ζώων, καὶ ἔπεσον ἐνώπιον τοῦ θρόνου ἐπὶ πρόσωπον αὐτῶν, καὶ προσεκύνησαν τῷ Θεῷ,

12. λέγοντες· Ἀμήν· ἡ εὐλογία καὶ ἡ δόξα καὶ ἡ σοφία καὶ ἡ εὐχαριστία καὶ ἡ τιμὴ καὶ ἡ δύναμις καὶ ἡ ἰσχὺς τῷ Θεῷ ἡμῶν εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. ἀμήν.

13. Καὶ ἀπεκρίθη εἷς ἐκ τῶν πρεσβυτέρων, λέγων μοι· Οὗτοι οἱ περιβεβλημένοι τὰς στολὰς τὰς λευκὰς, τίνες εἰσὶ, καὶ πόθεν ἦλθον;

14. Καὶ εἴρηκα αὐτῷ· Κύριε, σὺ οἶδας. Καὶ εἶπέ μοι· Οὗτοί εἰσιν οἱ ἐρχόμενοι ἐκ τῆς

vivi. Et inclamabat voce magna quatuor angelis; quibus datum est ladere terram & mare,

3. Dicens: Ne ladatis terram, nec mare, nec arbores, donec signemus servos Dei nostri in frontibus suis.

4. Et audivi numerum signatorum. 144 chiliades, signati ex omni tribu filiorum Israël.

5. Ex tribu Iuda 12. chiliades signati: ex tribu Ruben 12. chiliades signati: ex tribu Gad 12. chiliades signati.

6. Ex tribu Aser 12. chiliades signati: ex tribu Nephthalim 12. chiliades signati: ex tribu Manasse 12. chiliades signati.

7. Ex tribu Symeon 12. chiliades signati: ex tribu Levi 12. chiliades signati: ex tribu Isaschar 12. chiliades signati.

8. Ex tribu Zabulon 12. chiliades signati: ex tribu Ioseph 12. chiliades signati: ex tribu Benjamin 12. chiliades signati.

9. Post hæc vidi & ecce turba multa, quam numerare nemo poterat, ex omni gente & tribubus & populis & linguis stantes coram throno & coram agno amicti stolis candidis; & palma in manibus eorum,

10. Et clamantes voce magna, dicentes: Salus Deo nostro, qui sedet in throno, & agno.

11. Et omnes Angeli stabant circa thronum & seniores & quatuor animalia, & cadebant coram throne in faciem suam & adorabant Deum,

12. Dicentes: Amen; benedictio & gloria & sapientia & gratiarum actio & honor & potentia & robur Deo nostro in secula seculorum. Amen.

13. Et respondit unus ex senioribus dicens mihi: Hi, qui amicti sunt stolis albis, quinam sunt & unde venerunt?

14. Et dixi ipsi: Domine, tu nosti. Et dixit mihi: Hi sunt, qui veniunt ex

afflictione

θλίψεως τ μεγάλης· καὶ ἔπλυναν τὰς στολὰς αὐτῶν, καὶ ἐλεύκαναν στολὰς αὐτῶν ἐν τῷ αἵματι τ ἀρνίου.

15. Διὰ τοῦτο εἰσὶν ἐνώπιον τ θρόνου τ Θεοῦ, καὶ λατρεύουσιν αὐτῷ ἡμέρας καὶ νυκτὸς ἐν τῷ ναῷ αὐτοῦ· καὶ ὁ καθήμενος ἐπὶ τ θρόνου σκηνώσει ἐπ' αὐτούς.

16. Οὐ πεινάσουσιν ἔτι, οὐδὲ διψήσουσιν ἔτι, οὐδὲ μὴ πέσῃ ἐπ' αὐτοὺς ὁ ἥλιος, οὐδὲ πᾶν καῦμα·

17. Ὅτι τὸ ἀρνίον τὸ ἀνὰ μέσον τ θρόνου ποιμανεῖ αὐτούς, καὶ ὁδηγήσει αὐτοὺς ἐπὶ ζωὰς πηγὰς ὑδάτων· καὶ ἐξαλείψει ὁ Θεὸς πᾶν δάκρυον ἀπὸ τ ὀφθαλμῶν αὐτῶν.

afflictione magna & laverunt ſtolas ſuas & dealbarunt ſtolas ſuas in ſanguine agni.

15. *Propterea ſunt coram throno Dei & ſerviunt ei die & nocte in templo ſuo: & , qui ſedet in throno , habitabit ſuper eos.*

16. *Non eſurient amplius , neque ſitient amplius , neque cadet ſuper eos Sol , neque ullus æſtus :*

17. *Quia agnus , qui eſt in medio throni , paſcet eos & ducet eos ad vivos fontes aquarum , & abſterget Deus omnem lacrimam ab oculis eorum.*

IN hoc capite ad exegeſin & declarationem ſuperiorum introducitur viſio exhibens ſtatum Eccleſiæ diſtinctum , dum eluctatur ex regno beſtiæ. Sunt autem hujus viſionis partes duæ, una ſymbolica, altera enarrativa , à verſ. 13. Prior pars habet quatuor membra. Primò coërcitionem ventorum verſ. 1, 2, 3. Secundò obſignationem numeri agni, durante illa coërcitione, verſ. 2, 4, 5, 6, 7, 8. Tertiò maximam multitudinem vincentium, verſ. 9, 10. Quartò glorificationem Angelorum, verſ. 11, 12. Initio occurrit, μετὰ ταῦτα εἶδον, *poſt hæc vidi.* Ex quo non poteſt colligi; ergo id, quod ſequentia viſa ſignificant , neceſſariò non eſt factum, antequam perficerentur omnia , quæ per ſuperiora illa ſunt ſignificata. Clarum eſt. in Apocalypſi viſiones connecti per καὶ μετὰ ταῦτα εἶδον, vel, καὶ εἶδον. Id, quod poſteriùs videndum offertur, poteſt eſſe exhibitio rerum earundem ſub alio ſchemate , poteſt eſſe ἐπεισόδιον & ἐπεξήγησις priùs exhibitorum. Quare res ipſæ inſpiciendæ ſunt , quales ſint , & cui tempori congruant. In fine hujus capitis dicitur innumerabilis multitudo veniſſe ex afflictione magna. Ea afflictio magna ſine dubio intelligitur in eis , quæ dicuntur facta , quum revelleret ſigillum ſextum. Ergo caput hoc non eſt intelligendum de rebus ſequentibus omnia facta , quæ in cap. 6. demonſtrantur. Deinde, antequam *afflictio illa magna* veniat , continentur *venti*, *ne lædant terram*, *mare*, *arbores.* Ergo etiam cap. 7. aliquid monſtratur, quod præcedit apertionem ſigilli ſexti. Nam, ut afflictio ea magna non contineatur in effectis ſigilli ſexti, in terræ motu, in caſu ſiderum, in convolutione cœli, in motu montium & inſularum, in fuga regum & principum ad ſpeluncas & rupes , aut etiam quoſdam effectus præcedat ne cogitari quidem poteſt. Quando enim vetus cœlum convolutum eſt, quid reſtat, niſi, ut cœlum novum ſit? Eſaias cap. 25: 7. 8. abolitioni teguminis ac Mortis abſterſionem lacrimarum ſubjungit.

Vers. 1. Cap. 6: 11. dictum est animabus occisorum propter sermonem Dei & testimonium, quod habebant, ut requiescerent, donec conservi ipsorum, qui similiter debebant occidi, ipsi quoque occiderentur. Eo significatur aliqua pax. Hæc pax & ejus fructus describitur usque ad vers. 9. *Vidit, quatuor Angelos, stantes ad quatuor Angulos terræ, qui tenebant ventos, ne flaret ventus in terra, neque in mari, neque in omnem arborem.* In antecessum ex cap. 9: 14. sumere possumus simile emblema *quatuor Angelorum ligatorum ad Euphraten.* Notandum est ante omnia, hîc Ecclesiam spectari, tanquam sede aliqua & regione potientem, sed ita, ut undiquaque inimicæ potestates imminent. Neque tamen abnuo, quò minùs per *terram* possimus intelligere totum orbem Christianum. Nam verum est, Deum judicaturum esse eos, *qui terram corrumpunt*, cap. 11: 18. & illius judicii instrumentum dici *ventum*, ut Hos. 13: 15. Es. 27: 8. & 59: 19. Si hoc potius sequimur, significabitur tempus divinæ patientiæ, qua usurus erat Deus erga magnam illam partem orbis, in qua Christiana religio imprimis prædicata est; & alias item mundi partes, quæ *maris* instar habent, in quibus Euangelium diu prædicatum non est; & erga *arbores*, hoc est, potestates Ecclesiasticas & Politicas, erigentes se contra Christum. ne scil. ventos illos in Prophetia indicatos immittat. Subintelligitur autem, *ventos* illos jam cœpisse flare, sed coërcitos fuisse. Ita hæc visio altiorâ habebit initia, nempe in notabili aliqua cohibitione barbarorum populorum undique Christianos cingentium. Olim Gothi, Vandali, Hunni, Longobardi, Gepidæ, magnas strages fecerunt; sed non potuerunt tamen terram & arbores tollere. Sarraceni partim retroacti & dissipati sunt, partim concesserunt in alterius dominatum, qui nec ipse terram & arbores hactenus abolevit. Dictum est Es. 56: 8. 9. *Dicit congregator Israëlis, aggregabo ad aggregatos ejus. Venite, omnes feræ agri, comedite omnes feras silvæ.* Consilium Dei est barbaras gentes in locum Ecclesiæ infundere. Id olim fieri incepit. Sed, qui ingressi sunt, post strages, quas ediderunt, partim colla submiserunt; partim prohibuerunt, ne Antichristus extenderet regnum suum per totum mundum. At nondum effectum est, ut terra & mare commoveretur & arbores corruerent. *Ventos* igitur coërcitos videmus. *Ventis* & *procellis* comparantur hæ δωδεκας, quia subitò efferuntur & cum magna strage veniunt & ἀνατρεπτικοι sunt.

Vers. 2. Videt alium *Angelum ascendentem ab ortu solis, habentem signaculum Dei vivi.* ὁ παραλήμπτωρ missus est cum scriptura & potestate fidem dandi. Hoc est signaculum *Dei vivi.* Nam, qui illam confitetur, habet hoc signaculum in fronte: qui sequitur, tanquam regulam, habet id in dextra manu. Confer Exod. 13: 9. 16. Deut. 6: 8. Angelus *hic ascendit*

dit à oriente sole, quia Evangelium prædicatum est maximè ab Hierosolyma versus occasum, nempe versus *insulas maris*, hoc est in Europam. Et signaculum illud non potest aliunde repeti, quàm Hierosolymis. Ubi enim Evangelium locutus est Christus. Est & aliud signaculum internum, *quod nemo novit nisi, qui illud accipit*; nempe *fides, operans per charitatem.* Quam quia habemus cum Spiritu sancto, ut habitante in nobis, hinc dicimur per spiritum *obsignari*, ut res Dei, quam ipse velit curare, ne eam perdat. Certè non potest esse Angelus creatus, qui obsignat corda. Is demum obsignat, qui ipse est σφραγὶς *signaculum.* Huic Angelo tribuitur imperium in Angelos destinatos ventis coërcendis. Ergo voluntas, & voluntatis efficacia. Hæc σφραγὶς sive *signatura* est *signatura Dei vivi*: at alia *signatura*, nempe τὸ χάραγμα, quod dat *imago Bestiæ*, Apoc. 13: 16. non est signaculum *Dei vivi*, sed *non-dei*, qui *se demonstrat Deum*, & id agere præsumit, quod solius *Dei vivi & veri* est. 2. Thessal. 2: 4. *Deus vivus* est, à quo signum accipimus & in fronte gestamus. Apocal. 14: 1. Qui fuit, qui est & erit, in quo est lux & lætitia, qui est perpetua charitas & æternus zelus, in quo est vita æterna: cujus nos filii sumus. Rom. 9: 26. *Et erit, in loco, quòd dictum erat eis: Non populus meus vos, ibi vocabuntur filii Dei vivi.* ex Hos. 2: 1. vel 1: 10. cujus Ἐκκλησία, *concio, comitium, panegyris* sumus. 1. Tim. 3: 15. cujus templum sumus, 1. Corint. 3: 16. qui in nobis vivit Galat. 2: 20. Sed hi *quatuor Angeli* jam aliter, atque vers. 1. denominantur. Nempe, *quibus datum erat ladere terram & mare.* Nempe ventis sævissimis in terram & mare emissis. Ergo duplex est illorum officium: Primò ventos ad tempus continere, ne flent. Secundò eos emittere, ut flent, atque ita lædere terram & mare. Id dicitur ἀδικεῖν. נזק Hebraicum est sua natura mediæ significationis vox, sed plerumque de injusta vi dicitur. Hinc igitur vocabulum ἀδικεῖν, quod propriè connotat injustitiam, tam latè usurpatur, ut notet omnem vim.

Vetat igitur vers. 3. *ladere terram, mare & arbores*, donec servi Dei fuerint obsignati, hoc est, donec in illis partibus electi acceperint signaculum Dei, atque ita tanquam servi Dei fuerint notati, imò & manifestati: secundùm illud 1. Corint. 11. v. 19. ut probi & sinceri manifesti fiant. Dicit, ἕως σφραγίσωμεν. *Donec signemus.* Non opus est adjungere Deo cooperarios in obsignatione. Angelus loquitur de se & Patre, atque Filio, qui ipsum mittunt. Sic Joh. 3 v. 11. *qua novimus, loquimur.* Nempe *ego & spiritus.* & Es. 66. v. 5. *Et aspiciemus* (verba Dei sunt) *lætitiam vestram & illi pudefient.* item Ezech. 21. v. 16. vel 10. *Aut hilarabimur*, ego & filius meus. Notissima sunt illa: *Faciamus hominem*; *Age, descendamus*; *Quis nobis ibit?* Genes. 1. & 11. & Es. 6.

Vers. 4. *Numerus obsignatorum auditus fuit.* Johanni: nempe duodecim chiliades, tanquam *ex singulis tribubus Israëlis.* Constituunt autem hæ duodecim chiliades duodecies sumtæ *centum & quadraginta quatuor chiliades*: qui est numerus eorum, *qui sunt cum agno*, cap. 14. v. 1. Ubi etiam signationis hujus est mentio. Unde liquet, quinam hi signati sint, nempe non tantùm ex Judæis, sed etiam ex gentibus. Nam, qui ex gentibus sunt credentes in Christum, in Israële censentur. Es. 27. v. 6. Psalm. 87. v. 4. 5. 6. Et fortasse est aliqua analogia, qualis est Deut. 33. Quanquam ibi duodecim tribuum nomina usurpantur ad indicandum Ecclesiæ partes sibi invicem succedentes: at hîc usurpantur ad notandum Ecclesiam fidelium eodem tempore sua multitudine & distinctione locorum referentem tribus Israëlis. In numero tribuum, quia Manasse & Joseph distinguuntur, necessariò alia tribus fuit omittenda; quia duodenarius numerus affectatur. Neque tamen propterea censendum est, eam tribum præteriri; quasi ex illo Patriarcha, cujus nomen omittitur, non sint electi: sed vel ea tribus propter parvitatem habetur tanquam accessio alterius tribus, vel eadem omittitur, tanquam exemplum præbens defectionis, atque ita typus apostatarum, tum inter Judæos tum inter gentes. Ea est tribus Dan, quam constat idololatriæ publicæ primam exstitisse auctorem. Vide Judic. 18. Duodecim in hac numeratione significant Apostolos duodecim, sive verbum apostolorum duodecim, ad duodecim tribus missorum. Confer Apoc. 21. v. 14. Atque ita cognoscuntur signati ex numero suo, hoc est, numero testium, per quos crediderunt. Confer numerum Bestiæ capite 13: 18.

Vidit deinceps magnam multitudinem & innumerabilem, nempe non tantùm chiliades, sed myriades & myriades myriadum. Nam illa innumerabilitas non necessariò contradistinguitur numero radicali τῶν δώδεκα: sufficit contradistingui chiliadibus.

Non commemoratur hîc, quid interim factum sit *in terra, mari & arboribus per ventos.* Aliæ partes prophetiæ id explicant. Tantùm vers. 14. mentio fit *magnæ afflictionis, & egressionis ex magna afflictione.* In quibus operatio ventorum facilè subintelligitur. Ita ad operationem ventorum referri potest terræ motus, motio montium & insularum ex locis suis, cap. 6: 14. *Ex omni gente* &c. vel quia etiam signati superiùs sunt de omni gente, cap. 11: 9. vel quia hi sunt non tantùm ex ea parte mundi, quæ est ad occasum, sed ex toto mundo. Antequam in toto orbe prædicetur Euangelium, &, dum in iis ipsis locis, in quibus Euangelii nomen & fama viget, est pugna populi & non populi, populi Agni & populi Bestiæ, habet Ecclesia instar Israëlis in tribus distincti: sed, quando innume-

numerabilis multitudo ex omni familia, lingua, tribu, populo, non tantùm χωρὶς διαζολῆς, *sine distinctione* Judæorum scil. & Græcorum, aut Scytharum, Barbarorum & sapientum (ut factum in prima Euangelii prædicatione) sed etiam q. sine exceptione gentium, quum πλήρωμα ἐθνῶν εἰσελεύσεται, *plenitudo gentium intrabit*, Rom. 11: 25. & promissio Abrahamo data explebitur, *Sic erit semen tuum*, ut, quemadmodum in nullo non loco conspiciuntur stellæ, ita etiam in nullo non loco conspiciatur semen Abrahami: tum quidem Israël est, & Israël servatur, Rom. 11: 26. & Abraham est *hæres mundi*. Rom. 4: 13. sed Ecclesia non amplius consideratur; ut Israël habens in singulis tribubus numeratos suos: quemadmodum olim filii tribuum à Mose, Davide & aliis regibus numerati sunt.

Stantes coram throno & agno, ut ministrantes, vide vers. 15. & ad Deum conversi, eique gratias agentes & faciem ejus videntes & in eo delicantes.

Induti stolas albas. hoc est, justificati coram Deo conscientia propria. (vide vers. 14.) & pace, tanquam fructu fidei suæ, ornati.

Palmæ in manibus eorum. Symbolum victoriæ.

Vers. 10. Vox ipsorum Deo attribuit *salutem*. Confer Psalm. 3. v. 9. Ea est *salus* ex reatu & servitute ad justitiam & libertatem per sanguinem Christi & verbum Euangelii ac Spiritum filiationis; ex afflictione ad pacem, per conservationem in ea & per hostium compressionem; ex lucta per mortem in Domino; ad vitam & gloriam consummatam per resuscitationem mortuorum.

Hisce subjungitur vers. 11. 12. glorificatio Angelorum, quæ similis est ei, quæ exstat cap. 5. v. 13. 14. Tantùm observetur nunc, quod cap. 5. v. 11. prætervimus, per Angelos non tantùm posse intelligi spiritus ministrantes, sed etiam *Angelos Ecclesiarum*. Et fortasse ideo numerus Angelorum dicitur *myriades myriadum*, ad significandum Angelos, qui sunt spiritus & exercitus cœlestes: & *chiliades chiliadum*, ad significandum Angelos Ecclesiarum.

Vers. 13. Enarratio visionis habet interrogationem *unius ex presbyteris*, tanquam Johannem examinantis de *amictis stolas albas*; *quinam sint & unde veniant?* vers. 14. Ei respondet Johannes, *Domine, tu nosti.* Quo notatur admiratio ipsius Ecclesiæ vix credentis, eam rem futuram esse, aut factam esse. Confer Es. 49. v. 21. *Et dices in corde tuo: Quis peperit mihi hos? Atqui ego eram orba & solitaria, exul & acerbitatibus utens: & hos quis educavit? Ecce ego sola relicta eram: hi ubi erant?* & 66. v. 8. *An parturietur terra uno die? An parietur gens uno pedatu?* Dicit, *Domine, tu nosti.* Non sunt improbanda vocabula honoris. Et Sara Abrahamum *dominum*

vocabat. Sancti in Veteri Testamento alii alios *dominos* vocabant, & se *servos ipsorum* profitebantur. Id non semper significat agnitionem potestatis, sed semper debet significare enixam studium serviendi per charitatem. Respondet Senior: *Hi sunt, qui venerunt ex magna afflictione illa.* Nempe *cum flaverunt venti in terram, in mare, & arbores*, vel etiam illa, in qua *oportebat occidi conservos & fratres eorum, qui antea occisi erant*, cap 6. v. 11. Quid enim prohibet intelligere omnem afflictionem, quam oportuit præcedere regnum Ecclesiæ: saltem illam, quam Ecclesia exantlavit per id tempus, quo venti non flaverunt in terram, mare & arbores, & deinde, quum ii flaverunt. Sæpe loquitur Scriptura de *afflictionibus* generatim. ut Actor: 14: 28. *Per multas afflictiones oportet nos intrare in regnum Dei.* Potest *magna afflictio* appellari quæ, ut gravis & ferè perpetua, ita varia est. Rursus etiam nihil vetat postremam *afflictionem, ex qua venient* vincentes *cum palmis, magnam* dici, ut majorem cæteris. Potest intelligi non propria afflictio fidelium, sed *tentatio, quæ venit in totum orbem habitabilem ad tentandum eos, qui habitant in terra.* Apoc. 3: 10. Cap. 15: 2. qui *stant super mari vitreo* dicuntur *victoriam reportare de Bestia & imagine ejus & signatura ejus & numero nominis ejus.* Quasi illa sit postrema Ecclesiæ concertatio. Vide etiam Dan. 12: 1. *Erit afflictio, qualis non fuit: & eripietur populus tuus, quisquis scriptus in libro.*

Et laverunt stolas suas, & dealbarunt stolas suas in sanguine agni. cap. 1: 16. 18. 1. Cor. 6: 11. *abluistis vos* &c. Item Apoc. 12: 11.

Quòd dicuntur venisse *ex afflictione*, id potest intelligi etiam de illis, qui in afflictione defuncti sunt: sed, quia est visa *innumerabilis multitudo habentium palmas in manibus*, vers. 9. & 17. quæ magis videntur esse hujus seculi; rectius ac plenius est, ut intelligamus etiam superstites ex afflictione magna, & de ea jam triumphantes, imò etiam qui per exemplum eorum, qui in afflictione fuerant, adducti sunt, ut hi quasi lucrum & fructus illius afflictionis exantlatæ & patientiæ merces sint.

Vers. 15. Tribuitur illis, 1. quòd *sint coram throno Dei*, in oppositio *throni Bestiæ*, ut, coram hoc damnati, coram illo justificentur. 2. *quòd in templo ipsius ipsi serviant dies atque noctes.* hoc est, sacerdotium spirituale exerceant; de quo Rom. 12: 1. Apoc. 1: 6. in oppositio fictitiorum sacerdotum, dicentium, se Christum quotidie offerre. Quum dicit, *in templo ipsius*, notatur, illam innumerabilem multitudinem prope accedere ad Deum, quemadmodum sacerdotes in templum intrabant. Esaias cap. 66: 21. dicit verbis Dei: *Et de illis accipiam, ut sint sacerdotes & Levitæ.* Omnes sunt oblatio, omnes sunt sacerdotes. Nihilominus tamen & ex adductis & oblatis peculiari modo sunt sacerdotes, qui adducunt & offerunt alios fratres suos, & ipsorum oblationem præparant, ut sit sanctificata in Spiritu sancto.

sancto. Rom. 15: 16. Ita eadem opera, qui adducitur, est oblatio, quia sistitur Deo; & sacerdos, quia accedit ad Deum & se ipse offert, dum Deum sanctificat & glorificat in spiritu & corpore suo; &, qui eum adducit, operam Levitæ & Sacerdotis in eo præstat. *Templum* quum dicit, Ecclesiam dicit, in qua Deus habitat, & operatur, & divitias suas explicat, & invenitur ac cognoscitur. Est enim Ecclesia οἶκος θεοῦ *domus Dei.* 1. Tim. 3: 15. Ecclesia tamen etiam struitur in templum, & illa structura paulatim proficit. Ephes. 2: 21. *In quo omnis structura coagmentata crescit in templum sanctum in Domino.* Possumus igitur etiam sperare argumento nostro loci, Ecclesiam magis etiam tum, quum præteriverit magna illa afflictio, speciem templi (quod Ezechiel in parabola descripsit) habituram. Infra cap. 21: 22. testatur videns, se *non vidisse in nova Hierosolyma templum: quia Dominus Deus omnipotens templum ejus est & Agnus.* Quo significatur, in Ecclesia non esse templum distinctum ab Ecclesia, in quo Deus habitet, ad quod accedant fideles, ut illuminentur & sanctificentur & justificentur in eo aut per illud. Solum Deum & Agnum esse sanctuarium, ad quod accedunt, & per quod sanctificantur.

3. Quòd *sedens in throno super ipsis habitaturus sit.* hoc est, illos sit indutus gloria, ut majestas ipsius conspiciatur super ipsis. Cujus rei figura fuit templum impletum caligine, cùm dedicaretur. 1 Reg. 8. vers. 11. 12.

Vers. 16. 4. *Non esurient aut sitient amplius, neque* 5. *cadet super ipsos sol aut omnis æstus.* Hoc est, cibus verbi ipsis affatim proponetur & eam doctrinam audient, quæ animos consoletur, & lætitia atque bona conscientia impleat. Item, *Sol* ille malignus, de quo cap. 6. dictum est, eum *atrorem* contraxisse *instar cilicii, non cadet super ipsos*, hoc est, non punget, aut faciet æstuare. Est enim is Sol non illuminans, sed æstuare faciens, atque ita sitim excitans. *Nec ullus æstus.* Hoc est, gravior persecutio. Vers. 17. Nam Agnus, *qui est intra thronum, eos pascit, spiritu regit*, & *ducit ad vivos fontes aquarum*, hoc est, verbum veritatis: *Et delebit Deus omnem lachrymam ab oculis ipsorum.* Verum est, in seculo altero pleniùs & consummatiùs tollitur omnis sitis, & absterguntur omnes lacrymæ: tamen hîc intelligimus beneficium hujus vitæ. Neque enim negari potest, quando omnia regna mundi erunt Dei & Christi, Apocal. 11: 15. tum eos, qui ad Christum pertinent, fore coram throno Dei & cibum ac potum affatim habituros & ductum iri tanquam oves à pastore ad vivos fontes aquarum, & non ploraturos ampliùs, quemadmodum in superioribus certaminibus ploraverant. Quod de *pastione* dicitur, nescio an commodè de vita altera dici possit. Quæ Senior hîc dicit de statu Ecclesiæ post *afflictionem magnam*, omnia sumta sunt ex prophetiis. Jerem. 31: 1. 9. *Illo die, ait Jehovah, ero*

in

in Deum omnibus familiis Israël, & illi erunt mihi in populum. — Ducam eos ad torrentes aquarum, in via recta, in qua non offendent, quia factus sum Israëli pater, & Ephraim primogenitus meus. Es. 12. v. 3. *Et hauritis aquas in hilaritate ex rivis salutis.* Es. 49. v. 10. 11. 12. *Non esurient neque sitient & non feriet eos æstus & sol. Nam miserator eorum ducet eos & ad fontes aquarum aget eos. Et ponam omnes montes meos in viam, & aggeres mei efferentur. Ecce hi à longinquo venient* &c. Es. 25. v. 8. *Et absterget Dominus Jehovah lacrimam ab omni facie, & opprobrium populi sui auferet ab omni terra: quia Jehovah locutus est.* Ezech. 37. v. 27. *Et erit habitatio mea super ipsis, & ero ipsis in Deum, & illi mihi erunt in populum. Et cognoscent gentes, quòd ego Jehovah sanctificem Israëlem, quum erit sanctuarium meum in medio ipsorum in seculum.* Apostolus 2 Cor. 6. v. 16. 18. ad hæc alludit. Non mirum debet videri, id dici de multitudine, quæ dealbavit stolas suas in sanguine agni, & vicit, & videt omnes gentes sibi subjectas; quod verum est, etiam antequam totus mundus Ecclesiæ subjiciatur, in illis, quos liberavit ab hostibus suis & puro verbo suo docet. Sunt hi καιροὶ ἀναψύξεως, Act. 3: 19.

CAPUT OCTAVUM.

SIGILLUM SEPTIMUM.

1. Καὶ, ὅτε ἤνοιξε τὴν σφραγῖδα τὴν ἑβδόμην, ἐγένετο σιγὴ ἐν τῷ οὐρανῷ, ὡς ἡμιώριον.

VERS. 1. *Et, quum aperiret sigillum septimum, factum est silentium in cœlo, tanquam semihorium.*

APertio sigilli septimi *facit silentium in cœlo ad semihorium.* Non debet putari, hîc nihil significari per *silentium.* Manifesta methodi prophetiæ eversio est, statuere in effectis sexti sigilli ultimum judicium, & tum subjungere apertionem sigilli septimi sine effectu. Nam revera apertio sigilli uniuscujusque nihil aliud est, quàm opus, quo exstante, amplius patet attendentibus, quid in libro Dei scriptum sit. Rectiùs statuimus, hoc *silentium* rumpi per *voces* septimæ tubæ. de quibus est Apocal. 11. v. 15. *Et septimus Angelus buccinavit, & facta sunt voces magnæ in cœlo, dicentes: Facta sunt regna mundi Domini nostri & Christi ipsius; & regnabit in seculum seculorum.* Porrò etiam narrat Apocalypsis in tuba septima, *Viginti quatuor Seniores procidisse in faciem suam & adorasse Deum, eique gratias egisse, quòd occupasset regnum, & quum gentes irascerentur, venisset ira ipsius & tempus mortuorum, ut judicarentur, & ut daretur merces servis Dei & ut corrumperet corrumpentes terram.* Quæ voces gratiarum actionis videntur

dentur loqui de re, quæ jam saltem inceperit agi, quum dici posset, omnia regna facta esse Dei. Quandoquidem autem in visione Sigillorum ad eam partem pervenimus, quam nondum (plenè saltem) in rebus intuemur, necesse est nos suspenso gradu incedere, & non nimis fortiter definire qualitatem & ordinem eorum, quæ prophetia ostendit esse exspectanda. Conjecturæ igitur hîc locus est & orationi & ut stemus tanquam in specula & observemus, quæ Deus facit, si forte nobis vigilantibus & observantibus, ut in ultima noctis vigilia excubantibus, aurora illucescat. Ita Habacuc in specula stabat exspectans adventum Christi. Hab. 2: 1. Ita Esaias dicit, se eum præstolatum esse, Es. 8: 17. Erant tum observanda signa temporis adventus ejus. Non aliter Es. 21: 6. quum *constitutus esset excubitor in specula* jussu Dei, qui, *quæ videret, indicaret*; cum *leonis instar clamasse: Domine, ego in specula semper sto interdiu & in observatione mea perfevero omnibus noctibus: & ecce venit currus viri, jugum equitum.* Tum verò *respondisse* Dominum *& dixisse: Cecidit, cecidit Babylon.* Ita nos exspectamus *casum Babylonis & ut omnia regna fiant Domini nostri & Christi*, &, dum id exspectamus, vel nihil videmus, quod videatur vel hoc vel illud portendere, vel etiam videmus triumphantem Babylonem & cantantem, ut est cap. 18. 7. & Tyrum scortantem cum omnibus regnis terræ, Es. 23: 16. &, si quid etiam *videmus & indicamus*, quod, quemadmodum dictum est, ita factum est, etiam ridemur, & vix est, qui audeat *indicare*, quod *videt*, & pauci sunt, qui curent *videre* & de eis, quæ *vident*, rectè judicare, eaque *indicare*, & illo fine vel legant ac scrutentur prophetias; interimque προφητείαι ἀδηλοι mundum pervolitant, quæ & exspectationem piorum suspectam faciunt; denique homines impletionem aut intellectum prophetiæ desperare videntur. Quid igitur est? Silemus utique: neque est, qui dicat aut dicere possit, *quantum de nocte* abierit. An ergo & silentium (quod est in Ecclesia sive inter ea, quæ sigilli sexti apertio parturit, sive post ea atque etiam post visam innumerabilem multitudinem ex omnibus nationibus, tribubus & linguis cum palmis, antequam dicatur, *Facta sunt regna mundi Domini nostri & Christi ejus*) an, inquam, hoc *silentium* potest videri *apertio sigilli*, ut aliquid, dum est *silentium*, legatur in libro? Quidni? Sive enim Deus in exspectata facit, & quæ non videntur portendere casum Babylonis aut subjectionem regnorum; veluti, si fortasse *manus populi sanctis contundatur, dissipetur, abeat* (Dan. 12: 7. Deut. 32: 35.) sive Deus paululum suspendat opus suum; & propterea Excubitor nihil possit *indicare*, quod *videat*: nonne id ipsum silentium ex talibus causis ortum, post illa, quæ præcesserunt, & cum illis, signum & argumentum est, prope abesse tempus, quo cadat Babylon & regna mundi

fiant Dei? Danielis cap. 12: 11. quum numeraſſet *dies mille ducentos & nonaginta*, dicit: *Beatus, qui præſtolatur & pervenit ad dies mille trecentos triginta & quinque.* Qui *præſtolatur* tantiſper, *ſilet.* Apocalypſis cap. 10: 1. introducit Angelum cum *libro aperto* (cujus nempe ſeptem ſigilla revulſa ſunt) quem ſcil. legere poſſit, qui velit. Is jurat, nihil reſtare niſi dies tubæ ſeptimæ. In üs impletum iri conſilium Dei. Hoc ſanè dicitur exſpectantibus, admirantibus, ſtupentibus, ſilentibus & propemodum de protractione temporis querentibus. Quid hæc igitur docent, niſi, quemadmodum Chriſtus ad Iſraëlem venit nihil opinantem, ita Babyloni caſum ſuum venturum ſubitò, & præter opinionem aut fidem hominum futurum, ut regna mundi fiant Domini noſtri & Chriſti ipſius. Vide Eſ. 60. verſ. ult. *In tempore ſuo accelerabo illud.* Apoc. 18: verſ. 21. *Sic ὁρμήματι impetu projicietur Babylon illa magna & non invenietur amplius. Semihorium* igitur ſit parvum tempus, cujus modum Deus novit. Quod in viſione eſt *at ſemihorium*, quantum ſit in die Chriſti & prædicationis Euangelii, quis dicet?

2. Καὶ εἶδον τοὺς ἑπτὰ ἀγγέλους, οἱ ἑστήκασιν ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ καὶ ἐδόθησαν αὐτοῖς ἑπτὰ σάλπιγγες.

3. Καὶ ἄλλος ἄγγελος ἦλθε, καὶ ἐστάθη ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον, ἔχων λιβανωτὸν χρυσοῦν· καὶ ἐδόθη αὐτῷ θυμιάματα πολλὰ, ἵνα δώσει ταῖς προσευχαῖς τῶν ἁγίων πάντων ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον τὸ χρυσοῦν τὸ ἐνώπιον τοῦ θρόνου.

4. Καὶ ἀνέβη ὁ καπνὸς τῶν θυμιαμάτων τῶν προσευχῶν τῶν ἁγίων ἐκ χειρὸς τοῦ ἀγγέλου ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ.

5. Καὶ εἴληφεν ὁ ἄγγελος τὸν λιβανωτὸν, καὶ ἐγέμισεν αὐτὸν ἐκ τοῦ πυρὸς τοῦ θυσιαστηρίου, καὶ ἔβαλεν εἰς τὴν γῆν· καὶ ἐγένοντο φωναὶ καὶ βρονταὶ καὶ ἀστραπαὶ καὶ σεισμός.

6. Καὶ οἱ ἑπτὰ ἄγγελοι ἔχοντες τὰς ἑπτὰ σάλπιγγας ἡτοίμασαν ἑαυτοὺς, ἵνα σαλπίσωσι.

VERS. 2. *Et vidi ſeptem Angelos, qui coram Deo ſtant: & data ſunt ipſis ſeptem tuba.*

3. *Et alius Angelus venit & conſtitit apud altare habens thuribulum aureum: & data ſunt ei thymiamata multa, ut daret orationibus ſanctorum omnium ſuper altare aureum, quod eſt coram throno.*

4. *Et aſcendit fumus ſuffituum orationibus ſanctorum ex manu angeli coram Deo.*

5. *Et accepit angelus ille thuribulum & replevit illud de igne altaris, & conjecit in terram. & facta ſunt voces & fulmina & fulgura & terræ motus.*

6. *Et ſeptem angeli illi habentes ſeptem tubas præparaverunt ſe, ut buccinarent.*

Viſio tertia eſt Angelorum buccinantium ſeptem. Obſervanda eſt connexio hujus viſionis cum præcedente *ſilentio ſemihorii.* Debebant ſubjungi *voces magnæ audita in cælo* gratulantium de *regno* occupato. Sed, cùm ille effectus ab effectu ſigilli ſeptimi diſtingui poſſet, atque ſimiles ad effectum reliquorum ſigillorum eſſent conſequentiæ, claræ atque evidentes, inſtar

instar habentes soni *tubæ*, per ἐπεξήγησιν idem tempus in annexis effectui sigillorum eventibus ordine replicat. Si quis hîc quærat, quare non modò *Sigilla* & *Tubæ* distinguantur, sed etiam non simul explicentur singula sigilla & singulæ tubæ; siquidem *tubæ* singulæ sigillorum singulorum apertioni succenturiantur? ei respondebo, eandem rationem esse hujus tum distinctionis tum separatæ expositionis, quæ est ratio tempora Novi Testamenti per varias prophetias explicandi, easque per varios prophetas Ecclesiæ commendandi. Si omnia, quæ in prophetia conjungi possunt, simul & suo ordine, quemadmodum se invicem consequuntur, exposita essent, non magna supereresset scrutatio, & non opus esset comparare Scripturas. Atqui res ipsa ostendit, decere Deum & ei gloriosum esse verbum aliquomodo occultare & necessitatem scrutandi atque comparandi Scripturas imponere, & inter scrutationem revelare, cui velit, quantum velit, non scrutantes autem frustrari. Qua ratione fit, ut illi etiam, qui verba prophetiæ habent & legunt & in ore habent, nescientes impleant, quod scriptum est, & se in judicium præcipitent, & sententiam in se verbis Dei, quæ in ore habent, pronuncient. Sed (ut prophetiam scrutanti aliquid afferamus adjumenti) quid est facilius & magis in promtu, quàm ut, quando videmus, Deum de variis loqui rebus & res rebus, tanquam antecedentibus sequentes, conjungere, vel etiam signa sequelæ atque ordinis addere, imò distinctas temporum periodos numerare, quemadmodum hîc sigilla & tubæ numerantur, tum cogitemus, post primum venturum id, quod secundum est, quando Deus voler? Nam quis dixit nobis, ea, quæ dicit Prophetia, immediatè, continua serie, nulla re alia interveniente, ventura esse? Sufficiat igitur nobis, ea, quæ sunt visa cum apertione sigillorum, esse res, quæ attendenti & scrutanti in libro Dei ostendant, quousque liber Dei sit impletus: ea verò, quæ cum tubis inflatis dicuntur visa, esse res evidentes neminemque latentes; quemadmodum tubæ sonus ab omnibus auditur atque etiam stertentes excitat.

Vers. 2. Tubicines sunt *septem Angeli, qui coram Deo stant.* Fortè hi septem Angeli sunt & septem Spiritus, cap. 4. vers. 5. & 5. vers. 9. Sunt certè σάλπιγγες θεοῦ *tubæ Dei.* 1. Corinth. 15. vers. 52. 1. Thessal. 4. vers. 16. Zach. 9. vers. 14. Omnia illa ad jussum omnipotentis Dei facta sunt. Ipsa opera sunt voces q. tubarum. Ille igitur buccinat, quando illa fiunt, à quo illa fiunt.

Vers. 3. Præparatio ad buccinandum est in intercessione alicujus Angeli. Alius Angelus, inquit, *venit & stetit ad altare thymiamatis, habens thuribulum aureum.* Hîc introducitur Christus, ut Sacerdos, non amplius quidem corpus offerens, & victimam, sed tamen ut intercedens.

Ipse est sacerdos, ipse altare, ipse victima, alio atque alio respectu. *Thuribulum aureum* est voluntas æterna sive *voluntas Spiritus æterni.* Aurum enim notat, quod optimum est. Et thuribulum altari respondet. Per altare dignitas deitatis intelligitur. *Thymiamata* sunt ipsius merita, quæ sunt fragrantia apud Deum. Ephes. 5. v. 2. *Dilexit nos & seipsum obtulit sacrificium boni odoris Deo.* Hæc *thymiamata* ipsi dantur, h. e. à Deo approbantur, ut recta atque justa & ipsi & legi satisfacientia. *Dantur* autem ipsi, *ut det precationibus sanctorum omnium.* Hoc est, ipsi & ipsius postulationi & juri à Deo datur, ut per merita ipsius valeant precationes sanctorum omnium. *Ut det*, inquam, *in altare aureum, quod est coram throno*, hoc est, per dignitatem divinitatis merita ad exauditionem precum sanctorum sint efficacia.

Vers. 4. *Et ascendit fumus suffituum precationibus sanctorum ex manu Angeli coram Deo*, h. e. precationes sanctorum per spiritum sanctificationis excitatæ fuerunt interpellationes validæ apud Deum, ut recordaretur meritorum Christi & potestatis ipsi datæ, ut singulis temporibus promissa repræsentaret.

Vers. 5. *Angelus implevit thuribulum igne ex altari & conjecit in terram. Ignis altaris* significat Spiritum sanctum, qui est Spiritus amoris. Ignis conjectio in terram secundùm modum *thuribuli*, hoc est, voluntatis Christi sacerdotis & postulationis ejus, significat effusionem Spiritus sancti, & distributionem variorum charismatum. *Et exstiterunt voces & fulmina & fulgura & terræ motus.* Postquam Spiritus sanctus effusus est in Apostolos, exstiterunt voces antehac inauditæ: Christum resurrexisse ex mortuis & ascendisse in cœlum: eæque percrebuerunt per totum mundum. Simul tacta sunt corda & tanquam fulmine confracta; simul exstitit lux mirabilium operum & conversionis mundi; simul commota est terra in contradictionibus; & divisi sunt patres, matres, filii, filiæ, soceri, socrus, generi, nurus, amici, cives à se invicem, atque ita ventilatio facta est. Hæc fiunt, dum *equus albus cum sessore suo* νικηφόρος progreditur.

Vers. 6. Interim *septem Angeli se parant ad buccinandum*, hoc est, spiritus sanctus illa facit & operatur, quibus factis & exstantibus, maturum erat, ut prima buccina & sic deinde cæteræ audirentur.

TUBA

TUBA PRIMA.

7. Καὶ ὁ πρῶτος ἄγγελος ἐσάλπισεν, καὶ ἐγένετο χάλαζα καὶ πῦρ μεμιγμένα αἵματι, καὶ ἐβλήθη εἰς τὴν γῆν· καὶ τὸ τρίτον τῶν δένδρων κατεκάη, καὶ πᾶς χόρτος χλωρὸς κατεκάη.

VERS. 7. *Et primus Angelus buccinavit, & facta est grando & ignis permista igni, & conjecta sunt in terram: & tertia pars arborum exusta est, & omne gramen virens combustum est.*

Vers. 7. *Prima tuba facit grandinem & ignem, sanguini permixta; quæ conjecta sunt in terram.* Hæc significant procellas, quibus agitata est res publica Judæorum, nondum solutâ pace, quam habebant cum Romanis. *Grando* notat incommoda παιδημα, propter quæ tutum non fuit in publico agere. *Ignis* significat consumtionem multorum; *Sanguis* cædes. Et *tertia pars arborum combusta est & omne gramen viride combustum est. Arbores* notant antistites populi, qui erant in triplici ordine, nempe Judices sive *principes*, *doctores* sive prophetæ, & *Sacerdotes.* vide Zach. 11: 8. Malach. 2: 12. ubi nominantur, *Vigil*, *Respondens*, *& Offerens munus. Tertia* igitur *pars* significat unum ordinem, nempe ordinem judicii. Etiam, quum Christus pateretur, non licuit Judæis hominem judicio condemnatum occidere. Quando Christus ascendit in cœlos, per seditiones & violentias, quæ exercebantur in populo, multò magis ordo judicum ad nihilum redactus est. Ergo, quum aperiretur *primum sigillum* visa est Ecclesia in pace crescens, & Euangelium fuit potens ad subjiciendos homines: at eodem tempore prolapsæ sunt res Judæorum, ut nullo ordine res inter eos gererentur & paulatim omnis species populi Dei in eis periret. Quod quum fieret, id fuit tanquam tuba. Nam in omnium hominum conspectu fuit & neminem potuit latere. Confer cap. 12: 4. *Omne gramen viride combustum esse* etiam significat speciem pietatis in Judæis extinctam esse, ut jam non nisi solo externo nomine populus Dei dicerentur. Imò ne vix quidem nomine, cum regnum Dei ad Christianos translatum esset.

TUBA SECUNDA.

8. Καὶ ὁ δεύτερος ἄγγελος ἐσάλπισεν, καὶ ὡς ὄρος μέγα πυρὶ καιόμενον ἐβλήθη εἰς τὴν θάλασσαν· καὶ ἐγένετο τὸ τρίτον τῆς θαλάσσης αἷμα.

9. Καὶ ἀπέθανε τὸ τρίτον τῶν κτισμάτων τῶν ἐν τῇ θαλάσσῃ, τὰ ἔχοντα ψυχάς· καὶ τὸ τρίτον τῶν πλοίων διεφθάρη.

VERS. 8. *Et secundus angelus buccinavit, & tanquam magnus mons igne ardens conjectus est in mare: & facta est tertia pars maris sanguis.*

9. *Et mortua est tertia pars creaturarum, quæ erant in mari, habentes animas: & tertia pars navium periit.*

Vers. 8. 9. Secundo Angelo buccinante, *tanquam magnus mons igne ardens conjectus fuit in mare*, h. e. politia aliqua insignis in mundo, accensâ in ipsam irâ Dei & consumtione multiplici jam tracta, pœnitentiam non agens, abolita est, ut non emineret in mundo amplius; & reliqui illius politiæ dispersi sunt per omnes gentes. Intelliguntur sine dubio Judæi cum suo templo, urbe & regione. Et notabile est, quòd per captivitatem Babylonicam non ita fuerit sublata illa respublica; quia non tantùm in captivitate habuerunt prophetas, qui ipsis proponerent *visionem*, h. e. promissionem nondum factam, ut ita in fide spectarent Hierosolymam versus, tanquam locum, quem Deus elegerat, sed etiam in terra remanserunt reliquiæ, quæ non vetabantur accedere ad illum locum, aut etiam ibi altare habere & aliquas saltem cerimonias exercere. Sed, postquam per Romanos excidium urbis & templi factum est, cùm sit impleta promissio & obsignata prophetia, & justitia adducta (Daniel. 9: 24.) jam illum locum adire, & in illo monte orare, aut ibi sacrificia adolere, aut id cupere, non est tantùm res illicita (quia verbo Dei destituitur) sed etiam res damnata & injusta, atque etiam idololatria. Hic mons Jerem. 17: 3. dicitur *mons in agro*, hoc est, populus eminens in toto mundo & similem non habens. De illo monte dicit Christus Matth. 17: 20. Luc. 17: 6. *dicetis huic monti: transi hinc illuc.* Fortè mons tum fuit in conspectu. Volebat Servator docere vim fidei. Parvam fidem comparat cum magna fide. Si parvam etiam fidem habeant, dicturos monti, ut se conjiciat in mare. Rei terrenæ fides & quæ per homines geritur, est rei parvæ fides: major est, credere resurrectionem carnis & vitam æternam. Qui tamen terrestria credebant, dicturi erant, in fide scilicet verbi Dei, montem aliquem magnum projectum iri in mare. Quod in populo Judaico completum est. Quod fideles dicunt futurum, id ad verbum ipsorum (quod est verbum Dei) fit. Ita mons magnus, Babel, coram Zorobabele factus est planicies. Zach. 4: 7. *Montis* hujus *ardentis conjectio in mare* est consequens *conjecti ignis in terram*, sub tuba prima, & *mactationis per gladium magnum* sub *sigillo secundo*. Quum enim Nero incepisset Christianos excarnificare, & Romanus miles obsedisset urbem; expugnatis multis locis in terra, ut Jotapatâ, & deinde Nero se occidisset, & interim Romani inter se confligerent, duce Galba, Othone, Vitellio; tandemque ea potestas in Vespasiano residisset: primò in ipsa urbe Johannes & Eleasarus & Simon conflixere, deinde etiam politia, & urbs, & templum & sacerdotium extincta sunt. *Et 1. facta est tertia pars maris sanguis*, h. e. in gentibus quoque magnæ sunt factæ cædes per bella domestica. *Et 2. tertia pars creaturarum habentium animam* in mari *mortua est*, h. e. plerique, qui in gentibus

tibus inceperunt vanitatem idololatriæ animadvertere, fuga crucis vel relapsi sunt, vel commenti sunt dogmata gentibus gratiora, ad ineſcandas gentes, & quaſi gentiliſimum cum Chriſtianiſmo conferruminandum. 3. *Tertia pars navium periit.* h. e. multæ Eccleſiæ particulares ſunt diſturbatæ. Sunt enim Eccleſiæ ſingulæ tanquam arca Noachi in medio mari. Niſi quis etiam hæc ad Synagogas ſive cœtus Judæorum in gentibus putet pertinere. *Tertia pars* ſignificat temperamentum & modum, quem divina gratia poſuit, qui Deo notus eſt. Eſt illa res, ut tuba altera clara, quæ in toto mundo ſonuit.

TUBA TERTIA.

10. Καὶ ὁ τρίτος ἄγγελος ἐσάλπισε, καὶ ἔπεσεν ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ἀστὴρ μέγας καιόμενος, ὡς λαμπὰς, καὶ ἔπεσεν ἐπὶ τὸ τρίτον τῶν ποταμῶν, καὶ ἐπὶ τὰς πηγὰς τῶν ὑδάτων.

11. Καὶ τὸ ὄνομα τοῦ ἀστέρος λέγεται Ἄψινθος· καὶ γίνεται τὸ τρίτον τῶν ὑδάτων εἰς ἄψινθον, καὶ πολλοὶ ἀνθρώπων ἀπέθανον ἐκ τῶν ὑδάτων, ὅτι ἐπικράνθησαν.

VERS. 10. *Et tertius Angelus buccinavit, & cecidit ex cœlo ſtella magna ardens, ut lampas, & cecidit in tertiam partem fluviorum & in fontes fluviorum.*

11. *Et nomen illius ſtella vocatur Abſinthium. Et fiebat tertia pars aquarum abſinthium & multi hominum mortui ſunt ex aquis, quia amaræ facta erant.*

Verſ. 10. 11. *Tertio Angelo buccinante, cecidit ex cœlo ſtella magna, ardens inſtar facis*, h. e. inſignis aliquis doctor. Multi inſignes doctores & epiſcopi amiſerunt locum ſuum, quem habebant inter præſidentes Eccleſiæ, damnati propter doctrinam hæreticam: quales ſunt Arius, &, qui cum eo fecerunt, epiſcopi. *Cecidit in tertiam partem fluviorum & fontes aquarum*, h. e. multi populi & populorum principes eam doctrinam receperunt. *Nomen ſtellæ dicitur abſinthium*, h. e. habens doctrinam, quæ bonam conſcientiam parere non poteſt. Et ab illa dimanarunt multæ hæreſium formæ. *Tertia pars aquarum in abſinthium verſa eſt*, & multi homines *mortui ſunt ex aquis*, quia *amarorem contraxerunt*, h. e. multæ gentes, cùm præferrent nomen Chriſtianorum, non potuerunt tamen cum lætitia recipi pro fratribus & Chriſtianis. *Qui autem biberunt de illis aquis*, h. e. communicarunt cum habentibus illam doctrinam, *mortui ſunt*, morte ſecundâ. Nam, quando homines eo uſque illuminati ſunt, ut relinquant idola & cognoſcant Judæorum inſaniam & falſam fiduciam in lege præcepti carnalis, tanquam lege juſtitiæ; & cognoſcant, Jeſum eſſe Chriſtum, & eum nominatum eſſe hominibus, ut in ejus nomine ſalvarentur per fidem in ipſum; atque ita inceperunt inter viventes numerari: ſecunda mors eſt & periculoſior prima, ex Chriſto facere idolum & non-Deum, & nec Deo nec Chriſto dare gloriam, atque etiam gloriam Dei alienare, & veri-

& veritatem odisse ac persequi, & Scripturam sophisinatis corrumpere, ut per eam converti non possis. Letalis illa amaritudo erat. Non enim ad amorem Dei aut ad glorificandum Deum & ad acquiescendum in veritate cum bona conscientia faciebat. Solet Scriptura noxia dogmata vocare absinthium & amaritudinem; ut Deut. 29: 18. doctrinam Judæorum, in qua sibi benedicebant & pacem pollicebantur, quam ex corde suo protulerant, unde consequebatur, ut Satiatos studerent redigere in statum sitientium, h. e. in servitutem elementorum mundi, vocatur *venenum & absinthium*. Ita dicta & facta mala, fructus malarum arborum, vocantur *uvæ venenatæ, botri amari, venenum serpentum* vel *aspidum*. Deut. 32: 32. 33. Populi hoc malo infecti sunt Gothi & Vandali, deinde Sarraceni, Persæ, Turcæ. Nam etiam Muhammedis doctrina est inter stellæ hujus genimina vel stricturas recensenda. Facile est comparare historiam sigilli tertii inter mercenarios, sed tamen coactos cibum præstare & vinum atque oleum non lædere. Atror autem equi significat, ut diximus, inquinamentorum ubertatem. Celebratio hæreseos Arianæ in mundo, cum ejus omni noxa, est tertia tuba, quæ ab omnibus audita est. Magnum sanè quiddam est, quòd persecutio Gentilium est coërcita per Constantinum, & opes gentium translatæ sunt ad Christianos. Fortasse etiam, qui hasce prophetias leget, putabit, hoc magnum opus Dei omitti. Sed non ita est. Cum excidio Hierosolymorum conjuncta sunt omnia illa bella, quæ à Romanis gesta sunt vel inter ipsos vel cum aliis populis, & dira illa persecutio, quæ sæviit adversus Christianos, donec illa comprimeretur à Constantino. Hæc eventa fuerunt tanquam tuba secunda. Sed pacificatio, quæ successit, & translatio opum mundi ad Christianos subintelligitur, quum apparent Episcopi, ut non tantùm ut judices (vide Apoc. 20: 4.) sed etiam ut institores pro denario cibum Ecclesiæ aliquem repræsentantes. Nam sine pace & abundantia opum non potuit fieri illa καπηλεία. Obstabat, ut Antichristo, ita pseudoprophetæ, imperium Romanum idolis serviens & Draconem adorans. Cum Bestia, quæ consedit in throno Draconis, regnant καπηλοι ψευδοπροφηται. Apoc. 13. Quum autem stellæ caderent de cœlo amarore suo mortificantes, locum habuit vox Ecclesiæ, vetans præcipuos sedentium in cathedris lædere vinum & oleum, h. e. sanam doctrinam & eam retinentes damnare Ita apparet, quàm pulchro ordine id, quod legenti Scripturas, & ad eas attendenti potuit esse pro tertii sigilli apertione, præcedat tubam tertiam quæ non diu post datam pacem insonuit & totum mundum replevit, nempe defectio Arianorum & similium hæreticorum à Catholica Ecclesia & regum ac populorum, qui venenum eorum hauserunt. Quorum sentina sunt Saraceni & Turcæ.

TUBA

TUBA QUARTA.

12. Καὶ ὁ τέταρτος ἄγγελος ἐσάλπισε, καὶ ἐπλήγη τὸ τρίτον τοῦ ἡλίου, καὶ τὸ τρίτον τῆς σελήνης, καὶ τὸ τρίτον τῶν ἀστέρων· ἵνα σκοτισθῇ τὸ τρίτον αὐτῶν, καὶ ἡμέρα μὴ φαίνῃ τὸ τρίτον αὐτῆς, καὶ ἡ νὺξ ὁμοίως.

13. Καὶ εἶδον, καὶ ἤκουσα ἑνὸς ἀετοῦ πετομένου ἐν μεσουρανήματι, λέγοντος φωνῇ μεγάλῃ· Οὐαὶ οὐαὶ οὐαὶ τοῖς κατοικοῦσιν ἐπὶ τῆς γῆς, ἐκ τῶν λοιπῶν φωνῶν τῆς σάλπιγγος τῶν τριῶν ἀγγέλων τῶν μελλόντων σαλπίζειν.

VERS. 12. *Et quartus Angelus buccinavit, & percussa est tertia pars Solis & tertia pars Lunæ & tertia pars stellarum, ita ut obscuraretur tertia eorum pars, & dies non luceat tertia sui parte, & nox similiter.*

13. *Et vidi, & audivi unum Angelum volantem in medio cœlo, dicentem voce magna: Væ, væ, væ, habitantibus in terra à reliquis vocibus tubæ trium angelorum, qui buccinaturi sunt.*

Vers. 12. Quarto Angelo buccinante, *tertia pars solis percussa est & lunæ & stellarum, ut tertium eorum obscuraretur, & dies non luceret tertiâ sui parte, neque nox.* Hæc significant corruptionem doctrinæ, per quam mors secunda fuit introducta in Ecclesiam. Comparanda hæc sunt cum sigillo quarto. Nam, quando inter rectores Ecclesiæ est is, quidicitur *Mors,* & eum sequitur potestas, quæ dicitur *Infernus,* quid aliud effici in mundo potest, quàm ingens obscuratio veritatis, & deinde persecutio eorum, qui volunt piè vivere? Quando pii observant tales rectores venire, & eos habere sequaces, qui eis parent, ipsis aperitur sigillum tertium ad legendum & intelligendum librum Dei. At, quando ita doctrina palàm obscuratur & versari inter homines atque sub principibus vivere tam difficile atque amarum est, sine dubio obscuritas apparet in Sole, in luna & in stellis, & nec dies clarè lucet, nec nox habet solatium. Id verò ità publicum est, ut sit veluti quartæ tubæ sonus. Ut enim tertia tuba est exterminatio stellarum, amaram doctrinam habentium, ex Ecclesia: ita quarta sine dubio tuba est corruptio doctrinæ in Ecclesia per pseudoprophetam & imaginem Bestiæ, sive per Jesabelem, quæ se dicit prophetissam & seducit servos Dei, ut errent & idolothyta comedant & scortentur. Quòd autem dicitur *diei* & *noctis* lumen imminutum ad duas tertias; id significat, verba fundamenti sine peremtoria abnegatione veritatis fundamenti fuisse in Ecclesia retenta: ita ut potuerint inter illos, qui in uno cœtu viverent & eadem verba audirent, reperiri etiam fideles ac justi, & non potuerint *colligi zizania* & à frumentis separari, quia etiam *frumenta* habebant quædam communia cum zizaniis. Certè Antichristus debuit in templo Dei, h. e. Ecclesia Catholica erigere sedem suam & per ἀπάτην ac deceptionem ei obrepere, & per blandos sermones. Psalm. 12: 3. Spi-

ritus deceptores sunt ἐν ὑποκρίσει ψευδολόγοι *in hypocrisi* & simulatione *mentientes.* 1 Tim. 4: 2. Illa vero obscuratio diei & noctis est tanquam tuba, quia & hoc neminem latuit. Id constat ex innumeris querelis sanctorum, etiam eorum, à quibus primæ sedi nimium attributum est, quamdiu viderunt, hæreticos ab ea damnari & sanam doctrinam non damnari. Quales etiam aliquando imprudenter consenserunt in persecutionem eorum, qui ingenium Jesabelis cognoscebant & accusabant & reprehendebant eos, qui eam sinebant docere.

Vers. 13. *Vidit, & audivit unum Angelum per medium cœli spatium volantem & clamantem væ, væ, væ habitantibus in terra à vocibus tubæ reliquis trium Angelorum, qui ad buccinandum se parant.* Hæc est piorum denunciatio ex verbo Dei de Antichristi adventu & sequentium temporum incommodis, qui sermo in Ecclesiâ Christiana multus fuit, dum Antichristus se corroboravit; imprimis ex prædicationibus Salvatoris, Matth. 24: vers. 24. & Pauli 1. Timot. 4. 2. Timot. 3. 2. Thessal. 2. & ipsius Apocalypseos. Fuerunt & inter Papas, qui testati sunt, Antichristum esse præforibus, & ei parari sacerdotum exercitum. Gregorii M. dictum est notissimum. Quum adhuc vigeret Imperium Romanum serviens Draconi, tenebant homines, ejus comneatu Antichristi adventum retardari. Postquam homines in Romano Imperio nomen Christi susceperunt, fuit Antichristi exspectatio in momenta omnia. Quoties in sede Romana videbant elationem, tyrannidem, pravitatem, dissolutionem, schismata, quum subigere Episcopos tentarent, & cœlibatum inveherent, & Imperatoribus jus investiendi episcopos extorquere satagerent, in omnium ore erat Antichristi nomen, quod & Papis imponebant. Quid Waldenses & Wiclefi discipuli locuti sint, in aperto est. Quemadmodum cap. 14: 6. *Angelus per medium cœli spacium volans prædicat Euangelium æternum*: ita cum hac tuba Angelus prædicat *Væ* imminens *habitantibus in terra*, h. e. hominibus terrena Ecclesiæ obtinentibus & externa, sed cœleste πολίτευμα non habentibus. Quemadmodum Euangelium in lucem revocatum & deinceps non opprimendum videtur tanquam cœlesti voce audiri ab omnibus: ita tum, quod in omnium ore erat, sine dubio gravia illa tempora, de quibus Scriptura & in ea Prophetæ, Christus & Apostoli locuti sunt, imminere, fuit vox tanquam Angeli per medium cœli volantis. Et quid profectò aliud potuerunt videri prænunciare & præsagire, quàm quod in hoc & similibus locis legebant? Videbant obscurationem lucis in Ecclesia & in civili regimine. Inde norant secuturum esse triplex Væ. Hoc præceperunt animis & ea ventura esse significarunt. Cæterum illa tria *Væ* in sequentibus ordine explicantur.

CA-

CAPUT NONUM.

TUBA QUINTA.

1. Καὶ ὁ πέμπτος ἄγγελος ἐσάλπισε, καὶ εἶδον ἀστέρα ἐκ τοῦ οὐρανοῦ πεπτωκότα εἰς τὴν γῆν, καὶ ἐδόθη αὐτῷ ἡ κλεὶς τοῦ φρέατος τῆς ἀβύσσου.

2. Καὶ ἤνοιξε τὸ φρέαρ τῆς ἀβύσσου· καὶ ἀνέβη καπνὸς ἐκ τοῦ φρέατος ὡς καπνὸς καμίνου μεγάλης· καὶ ἐσκοτώθη ὁ ἥλιος καὶ ὁ ἀὴρ ἐκ τοῦ καπνοῦ τοῦ φρέατος.

3. Καὶ ἐκ τοῦ καπνοῦ ἐξῆλθον ἀκρίδες εἰς τὴν γῆν, καὶ ἐδόθη αὐταῖς ἐξουσία, ὡς ἔχουσιν ἐξουσίαν οἱ σκορπίοι τῆς γῆς.

4. Καὶ ἐρρέθη αὐταῖς, ἵνα μὴ ἀδικήσουσι τὸν χόρτον τῆς γῆς, οὐδὲ πᾶν χλωρὸν, οὐδὲ πᾶν δένδρον· εἰ μὴ τοὺς ἀνθρώπους μόνους, οἵτινες οὐκ ἔχουσι τὴν σφραγῖδα τοῦ Θεοῦ ἐπὶ τῶν μετώπων αὐτῶν.

5. Καὶ ἐδόθη αὐταῖς ἵνα μὴ ἀποκτείνωσιν αὐτοὺς, ἀλλ' ἵνα βασανισθῶσι μῆνας πέντε. καὶ ὁ βασανισμὸς αὐτῶν ὡς βασανισμὸς σκορπίου, ὅταν πατάξῃ ἄνθρωπον.

6. Καὶ ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις ζητήσουσιν οἱ ἄνθρωποι τὸν θάνατον, καὶ οὐχ εὑρήσουσιν αὐτόν· καὶ ἐπιθυμήσουσιν ἀποθανεῖν, καὶ φεύξεται ὁ θάνατος ἀπ' αὐτῶν.

7. Καὶ τὰ ὁμοιώματα τῶν ἀκρίδων ὅμοια ἵπποις ἡτοιμασμένοις εἰς πόλεμον· καὶ ἐπὶ τὰς κεφαλὰς αὐτῶν ὡς στέφανοι ὅμοιοι χρυσοῦ, καὶ τὰ πρόσωπα αὐτῶν ὡς πρόσωπα ἀνθρώπων.

8. Καὶ εἶχον τρίχας ὡς τρίχας γυναικῶν, καὶ οἱ ὀδόντες αὐτῶν ὡς λέοντος ἦσαν.

9. Καὶ εἶχον θώρακας ὡς θώρακας σιδηροῦς· καὶ ἡ φωνὴ τῶν πτερύγων αὐτῶν, ὡς φωνὴ ἁρμάτων ἵππων πολλῶν τρεχόντων εἰς πόλεμον.

10. Καὶ ἔχουσιν οὐρὰς ὁμοίας σκορπίοις, καὶ κέντρα ἐν ταῖς οὐραῖς αὐτῶν· καὶ ἡ ἐξουσία αὐτῶν ἀδικῆσαι τοὺς ἀνθρώπους μῆνας πέντε.

11. Καὶ ἔχουσιν ἐφ' αὐτῶν βασιλέα τὸν ἄγγελον τῆς ἀβύσσου· ὄνομα αὐτῷ Ἑβραϊστὶ Ἀ-

VERS. 1. *Et quintus Angelus buccinavit, & vidi stellam, quæ ex cœlo ceciderat in terram. Et data est ipsi clavis putei abyssi.*

2. *Et aperuit puteum abyssi: & ascendit fumus ex puteo, ut fumus fornacis magnæ: & obtenebratus est sol & aër ex fumo putei.*

3. *Et ex fumo exiverunt Locustæ in terram, & data est eis potestas, quemadmodum habent potestatem scorpii terræ.*

4. *Et dictum est eis, ne lederent gramen terræ, nec quicquam viride, neque ullam arborem, nisi homines eos solos, qui non habent sigillum Dei in frontibus suis.*

5. *Et datum est eis, ut non necarent eos, sed ut cruciarentur menses quinque. Et cruciatus eorum, ut cruciatus scorpii, quum percusserit hominem.*

6. *Et in diebus illis quærent homines mortem & non invenient eam, & concupiscent mori & fugiet mors ab eis.*

7. *Et species locustarum similes equis paratis ad bellum: & in capitibus earum velut coronæ similes auro, & facies earum ut facies hominum.*

8. *Et habebant crines, ut crines mulierum, & dentes earum ut leonum erant.*

9. *Et habebant thoraces ut thoraces ferreos: & vox alarum ut vox curruum equorum multorum currentium ad bellum.*

10. *Et habent caudas similes scorpionibus, & aculei erant in caudis ipsarum: & potestas earum ladere homines mensibus quinque.*

11. *Et habent super se regem Angelum abyssi. nomen ei Hebraicè Abad-*

Καββὰν, ὃ ἐν τῇ Ἑλληνικῇ ὀνόματι ἔχει Ἀπολλύων.

12. Ἡ οὐαὶ ἡ μία ἀπῆλθεν, ἰδοὺ ἔρχονται ἔτι δύο οὐαὶ μετὰ ταῦτα.

don, & in Græca nomen habet Apollyon.

12. Va unum venit, ecce veniunt adhuc duo va post hæc.

VErs. 1.— 12. Quinto Angelo buccinante, vidit item *stellam ex cœlo lapsam in terram*, h. e. notabilem quendam Ecclesiæ doctorem h. e. episcopum privatum auctoritate, quam sibi arrogaverat, quum tanquam in cœlo sedens loquebatur (confer Psalm. 73: 9.) imò privatum communione Ecclesiæ, cujus πολίτευμα est in cœlis, Phil. 3: 20. Tamen prius hîc potius indigitatur; quia non, ut illa cap. 8: 10. dicitur cecidisse ex cœlo, sed *cecidisse ex cœlo in terram*. Quod significat, de throno Dei deturbari, tanquam per invasionem occupato. In *terra* autem stare vel esse est solam conditionem ejus, cujus est discere & judicari, relictam habere, privatum auctoritate docendi & judicandi. Quando *duo testes in cœlum ascendunt*, Apoc. 11: 12. tum ille, qui tanquam in cœlo sedens docet & judicat, de cœlo in terram cadit. Convenit hoc Papæ, cùm agnita est ipsius seductio, & à piis, quos per anathemata sua ejecit ex cœtu, in quo ipse sedit, fuit derelictus. Convenit insigniter illi tempori, cùm animabus, propter testimonium Jesu, interfectis, datæ fuerunt stolæ albæ, & iis dictum fuit, ut quiescerent ad tempus. quæ est operatio sigilli sexti. Dum ageretur Concilium Tridentinum, antequam id absolveretur, pax est data Ecclesiæ Euangelicæ in Germaniâ, &, cùm absolutum esset illud Concilium, per ejus anathematismos separatio facta confirmata est, per quos Papa & sequentes illum se ipsi constituerunt inter mortuos & exsortes regni Christi; Ezech. 39: 11. Quare effectum est, ut, nisi per resipiscentiam, atque ita abnegationem falsæ auctoritatis, nunquam pax cum Papistis fieri possit. *Et data est ipsi clavis putei abyssi.* Aliter, quàm cap. 20: 1. ubi Angelus de cœlo descendens habet *clavem abyssi* ad coërcendum Satanam: stella autem hæc accipit *clavem ad aperiendum puteum abyssi.* Datio significat partim concessionem Dei juxta justissimam sententiam, partim judicium hominum de ipso. Hoc posteriori modo erit μυκτηρισμὸς, nempe, cùm Papa & homines ipsius dicant, ipsum habere claves regni cœlorum & potestatem distribuendi thesauros Ecclesiæ, hoc est, merita sanctorum, prophetia, id irridens, dicit *clavem putei abyssi.* In Concilio Constantiensi & Basileensi disputatum est de Papæ potestate & clave regni cœlorum, fuitque definitum, *concilium esse supra Papam*, & *Papam esse auferibilem ab Ecclesia*, h. e. posse judicari & excommunicari. Sed Eugenius contra Concilium Basileense congregavit Florentinum, cui plerique cesserunt; & Leo decimus anno 1513. in Lateranensi

nensi conventiculo (quod absolutum est anno 1517. 16. Martii, in quo Thomas de Vio Cajetanus Constantiense & Basileense concilium perstrinxit & improbavit, &, Cæsare in eam partem inclinato, Cardinales, qui contra Julium secundum in Pisano convenerant, veniam petierunt; & plurima fædissima & blasphema publicè de Papæ majestate pronunciata sunt) suam auctoritatem astruxit: ideoque in Luthero damnavit, quòd is à Papâ ad Concilium provocasset. Cùm igitur ex adverso Lutherus bullas Papæ & corpus juris Canonici; tanquam legem Bestiæ, publicè cremasset, & omnes ipsi assentientes obedientiam Papæ renunciassent, id consecutum est, ut apud Reformatos Papæ nulla esset auctoritas, & apud diversam partem Papæ omnis esset auctoritas, quam spiritus vocat *potestatem putei abyssi.*

Et aperuit puteum abyssi & ascendit fumus ex puteo, ut fumus fornacis magnæ. *Puteus abyssi* est quasi porta inferni, per quam facilè is, qui in terra viventium habitat, in infernum præcipitari potest. Quid ni intelligemus potestatem docendi falsa? Cumque Papa sibi frenos laxavit ad docendum mendacia, certè videtur tum puteum abyssi aperuisse: & fumus ille egrediens nihil commodius significabit, quàm copiam falsarum doctrinarum & multitudinem assentientium ipsis, quæ magnam habet speciem coram mundo, sed nihil est nisi *fumus* abiens.

Et obtenebratus est sol & aër ex fumo putei, hoc est, doctrina spiritualis in regno istius stellæ pœne tota obscurata est. Christus sol justitiæ occultatus est ab ipsis: quia Scripturam retinere non studuerunt, neque dederunt operam, ut eam intelligerent, sed magis ut non intelligerent, omni genere stropharum & sophismatum eam obscurantes, & ambiguam eam ac mutam & obscuram clamitantes, & ei verbum hominum in eodem gradu dignitatis, ut *pari pietatis affectu* reciperetur, apponentes, & in ejus fidem homines sacramento adigentes, lectionem verò Scripturarum omnibus modis impedientes, certè non promoventes: inter veritatis verò partes præcipuè doctrinam de justitia decolorantes & Ecclesiæ Dei ac Regni Christi characteres adulterantes. *Aër* etiam *obtenebratus est*, quia obtinuerunt falsa dogmata, & nulla alia in regno illius stellæ audita sunt, & veritas ad ipsos non potest penetrare.

Vers. 3. *Ex fumo prodierunt locustæ in terram & data est ipsis potestas, quemadmodum habent potestatem scorpii terræ*, h. e. ex fumo mendaciorum, non quidem novorum, sed in articulos fidei redactorum, & veritati oppositorum, eorumque irrevocabilium, propter stabilitionem auctoritatis Papæ, ut capitis falli ac fallere nescii, & non astricti ad regulam Scripturæ ejusque approbationem ac confirmationem; & multitudine assentien-

tium illis (nam ea multitudo inter ipsos præcipuè fidem meretur) prodierunt falsi rectores Ecclesiæ, non jam Christianæ sed Papanæ, & à veritatis cognitoribus relictæ, qui *locustarum* instar essent, dati scil. ad plagam, non ad ædificationem & consolationem. Ideoque illorum opus est βασανισμὸς sive *tormentum*, *quale tormentum facium scorpii terræ*. De scorpio vide, sis, Dioscoridem lib. 6. cap. 42. sive juxta Græcam distinctionem lib. 8. cap. 3. aut juxta distinctionem totius voluminis cap. 998. Nobis sufficit, generaliter intelligi *tormentum* variæ cupiditatis, nunc zeli, nunc frigoris, nunc doloris, nunc vanæ recreationis & similium. *Potestas* alludit ad id, quòd papales ministri jactant se habere *potestatem* & missionem. Scriptura interpretatur, esse permissionem divinæ severitatis ad illum effectum. Descriptio locustarum est infra vers. 7. 8. 9. 10. 11. *Prodierunt ex fumo*, quia, quum ille fumus doctrinarum auctoratarum & multitudinis eas recipientis cœpit exsistere, etiam exstiterunt, qui eas doctrinas docerent. Postquam Concilium Tridentinum actum est, sunt illi, qui docent in nomine Papæ, *locustæ* hujusmodi.

Vers. 4. Potestatis locustarum limitatio duplex est, una respectu subjectorum vers. 4. altera respectu effecti vers. 5. *vetantur ladere gramen terræ*, *ullum viride*, *ullam arborem*, nisi tantùm homines, qui non habent signum Dei in frontibus suis. Hic σύνταξις habet ὑπερβατὸν. Illa enim verba cohærent, *ut non laderent*, *nisi homines non habentes signum*. Cætera verba interponuntur tanquam ἀνθίδετον significantia. *Non laderent autem omne gramen & omne viride atque arbores.* Βραχυλογία est sacris Scriptoribus non inusitata. Distribuit Scriptura homines in duas classes; illos, qui habent signum Dei in frontibus, & illos, qui non habent. Primo generi subduntur *gramen terræ*, *viride*, *arbor*. Qui signum Dei in fronte non habent, intelliguntur ii, qui aliud signum in fronte habent, h. e. qui aliam legem profitentur. Quæ sine dubio est χάραγμα & θηρίου, *signatura Bestiæ*. In hos solos est *locustis* potestas. Cæteri excipiuntur, & intelliguntur habere signum Dei in fronte, h. e. verbum Dei profiteri. Illi autem partim sunt cibus nutriendæ Ecclesiæ idoneus, & vegetationem aliquam habentes aut visi habere, partim etiam Ecclesiæ tutamen præstantes, ut arbores. Apertè in his innuitur facta separatio eorum, qui aliud signum recipiunt, ab illis, qui id non recipiunt. Limitatio potestatis secundùm effectum ista est; *ut non occidant ipsos*, *sed ut ab illis crucientur*. Est quidem in illis, qui non habent sigillum Dei in fronte, mortis secundæ ea vis, ut illi pro vivis haberi non possint, sed peccatum in illis regnet, postquam Christum & ipsius verbum cognoverunt: sed aliquis tamen gradus mortis secundæ hîc tollitur, nempe ἀναισθησία & τὸ ἀπηλγηκέναι, h. e.

h. e. dedolere & in suo errore occallescere, & in mera ignorantia versari. Id significatur per βασανισμὸν, *tormentum*; nempe ut sentiant se mori, sive se spiritualiter mortuos esse, & hoc ignorare ipsis non liceat. Ideò vers. 6. dicitur, *quarent mortem & non invenient, cupient mori & fugiet mors ab illis*, h. e. omnem operam navabunt, ut se ipsos excæcent, & hoc unicè in se effectum cupient, ne ullum sensum amplius habeant lucis & veritatis. Id non obtinebunt, sed, propter prædicationem Euangelii pon interrumpendam, in perpetuis morsibus conscientiæ vivent. Quò etiam major erit ipsorum furor adversus Euangelium, ut illud opprimant, ne ἔλεγχοι πνεύματος cogantur amplius audire & sentire. Hic pandit se incredibilis vis amoris tenebrarum. De quo Christus dicit Joh. 3: 20. *Qui mala facit, odit lucem.* Magna pervicacia est, nolle veritatem cognoscere. Ignoscendum est erranti, qui in ἀγνοίᾳ & ignorantia peccat, putans, se verum habere &, quod licitum est, facere. Quanquam nemo errat, nisi volens. Quippe nolens δοκιμασίαν & explorationem debitam instituere apud conscientiam suam. At, quum ignorare veritatem non possis, quando & fatuis patet, quinam teneant viam & qui non, Es. 35: 8. tamen ei contradicere, & eam omnibus modis obfuscare, extremæ dementiæ est & eorum, qui se non judicant dignos vita æterna. Actor. 13: 46. Quis verò nescit, quàm diligenter & studioscè hoc egerint & agant ii, quibus Ecclesia non amplius credit, ut nec ipsi videant verum, quod vident, nec alii? Nunc à Scripturis provocant ad Patres; nunc ex Scriptura & Patribus, quorum dicta contorquent, petunt fucos, quibus mendacium commendent; nunc jubent veritatis professores sua dogmata tum affirmativa tum negativa probare ex Scripturis vocabulis totidem, quibus homines inter se disceptantes utuntur; consequentias autem negant esse de fide; quasi perinde esset, id, quod ex verò est, negare vel affirmare: nunc objiciunt, controversiam nostra ipsorum sententiâ esse de non necessariis. Igitur nos esse schismaticos. Denique nulla est ars, nulla sophistarum techna, qua non utantur. Hinc veteres novæque methodi disputandi cum Reformatis. Omnia comparata ad ἐμπαιγμὸν & *irrisionem*. Sed in illo speculo discimus, qui saltem *gramen terræ* dici possumus, nobis non satis esse, perveniisse eò, ut cognoscamus illorum amentiam; sed necessarium esse nobis *amorem veritatis*, ut salvemur, ut scrutemur, ut proficiamus, ut & vitam & sermonem nostrum magis magisque perpurgemus, ut nullum scandalum, nullam ansam errandi præbeamus illis, qui errant; & lucem verbi & veritatis quotidie magis magisque in publicum proferamus, qua feriantur illorum oculi, qui noluerunt vera hactenus audire; si fortasse Deus eos vinculis,

culis, quibus constricti sunt, solvat, & clarissima confertissimaque luce permoti aliquando gloriam dent Deo: saltem ne eorum interitus nobis imputari possit.

Vers. 5. Porrò & ad certum tempus restringitur hic cruciatus, nempe quinque menses. Alibi Apocalypsis per mensem intelligit 30. annos. Ita erunt anni 150. Hic difficile est rectè initium & finem horum mensium ponere; saltem, si non ad omnia diligenter attendamus, facile est aberrare. Certum sit, hosce quinque menses incipere post casum stellæ de cœlo, h. e. postquam Papa non potuit amplius locum habere in Ecclesia. Quod tunc factum est, quando ipse declaravit, à suo judicio non posse provocari, cumque id approbatum est, atque ita ei data est *clavis* putei abyssi. Statim enim & mendacia eructavit, & habuit ministros, qui ipsi inservirent, tanquam habentes potestatem in nomine ipsius loquendi. Ergo quinque menses possunt incipere ab illo, ut dixi, assensu. Neque tamen necesse est, ut dicamus 150. annis cruciatum hunc terminari. Potest enim significari, non minus quinque menses cruciaturas esse locustas. Id quoque considerandum est, utrum dicendum sit, hunc cruciatum sequi, finitis quinque mensibus, inventionem mortis, an potius cessationem βασανισμῦ per locustas, aut etiam conversionem à studio quærendæ mortis. Legimus infra cap. 19: 20. *comprehendi bestiam & pseudoprophetam & vivos conjici in stagnum ignis.* Rursus cap. 20: 10. *Diabolum conjici in stagnum ignis*, & vers. 11. *mortuos judicari, & reviviscere eos, qui in libro vitæ scripti sunt*; cæteros *conjici in stagnum ignis.* Hæc sine dubio sunt comparanda cum tormento quinque mensium. Quidquid autem de termino sit, ille potiùs nobis notificatus est ad exspectationem nostram producendam, ne defetiscamur; & ad demonstrationem veritatis prophetiæ, cùm illa tota impleta fuerit: quàm ut in anteceſſum præcisè diem operis divini aut modum ejus prædicamus.

Vers. 7. -- 11. Forma locustarum ænigmaticè describitur. 1. *Sunt instar equorum præparatorum ad bellum*, h. e. nihil nisi contentiones & persecutiones spirant & anhelant. 2. *Habent in capitibus coronas tanquam aureas*, gerunt se pro presbyteris iis, qui cum Christo regnant, qui sunt à Christo facti sacerdotes & reges. His se falso assimulant, non volentes regnare cum Christo, quod omnium fidelium est, sed cum alio capite (de quo vers. 11.) & *dominari in cleros.* 1 Pet. 5: 3. 3. *Habent faciem similem humanæ*, sunt hypocritæ præferentes nomen & verba quædam & quædam opera illorum, qui sunt regeniti ad imaginem Dei. 4. *Habent crines instar mulierum*, h. e. instar mulierum se comunt & fucant omni lenocinio, ut procos sibi concilient. Fort assis etiam hic significatur votum obedientiæ

erga

erga ſuum caput: quia capillus, & quidem plexilis ac concinnabilis, eſt pro tegmine mulieribus datus, & in ſignum poteſtatis in ipſas ſive ſubjectionis. 1 Cor. 11: 5. 6. 10. 13. 15. 5. *Dentes eorum leonini*, h. e. voraces ſunt & inexplebiles; immanes in gregem Domini. 6. *Thoraces habent ferreos:* muniti ſunt non, adverſus tela Satanæ, *thorace juſtitiæ*, Epheſ. 6: 14. ſed adverſus vim veritatis duritie cordis per varias ratiocinationes & ſophiſticationes: quia etiam conſpiratione in unum & conſenſu & fœderibus & legibus & juramentis facti ſunt impenetrabiles & tanquam inſuperabiles. 7. *Sonus alarum, ut ſonus curruum equorum multorum currentium in bellum.* Libri, decreta, canones nihil niſi anathemata, blaſphemias, minas, inſtigationeſque ad ſanguinem fundendum crepant; ut, qui hæc audiat, videatur jam ſonum audire exercitus ingruentis.

Verſ. 10. 8. *Habent caudas inſtar ſcorpiorum, & aculei ſunt in caudis ipſarum. Caudæ* ſunt *falſi prophetæ*, Eſ. 9. 14. h. e. Monachi, Jeſuitæ, & alii doctores non habentes poteſtatem & juriſdictionem. Adjicitur hîc, caudas illas habere poteſtatem lædendi homines menſes quinque. Non neceſſe eſt, eos, de quibus hæc verificantur, non priùs exſtitiſſe. Sine dubio monachorum ordines, ut & doctorum, antea fuerunt. Sed hoc conſiderandum eſt, poſtquam Stella illa cecidit, id, quod cum ea conjungitur, hanc ſpeciem referre. Antea enim non unius coloris erant, quicunque erant in omnibus ordinibus, vel gradibus vel miniſteriis. Uti enim in plebe omnia permixta erant, bona & mala, filii Dei & filii τοῦ πονηροῦ *maligni*; ita etiam in illis, qui docebant aut regebant, erant, qui eſſent vel *patres* in Chriſto, vel ſaltem *pædagogi in Chriſto*; prout fundamentum docebant & ſermonem Dei retinebant. Sed, poſtquam demonſtratum eſt, Stellam illam, Papam, non habere eam auctoritatem, quam ſibi arrogabant quidam inter Papas, & Papæ eam auctoritatem voluerunt recipi ab omnibus, & ſermonem Dei retinentes atque teſtimonium Jeſu habentes, & non recipientes illam ſignaturam proſcripſerunt atque è medio ſui ejecerunt, planum eſt, eos, qui ſe in illas leges & in illud nomen confœderarunt, novum aliquod regnum conſtituere & tanquam corpus aliquod; quod, quatenus in partibus conſideratur, quæ in diſtinctis locis ſunt, cum *Locuſtis*, noxiis animalibus, ſed in ſe debilibus, rectè comparatur. Iis autem in ſingulis partibus ea facies, quam hîc Apocalypſis narrat, ineſſe ſpectatur.

Verſ. 11. 9. *Habent ſuper ſe regem*, h. e. Omnes hujus corporis partes, quæ ſunt in diſtinctis locis, quæ ſingulæ dicuntur *Locuſtæ*, habent unum *Caput*, unum *Regem*, cui ſe ſubjiciunt: qui eſt ſine dubio in terris, non in Cœlo: neque eſt illud *Caput*, quod *datum eſt Eccleſiæ ſuper omnia*,

Ephes. 1: 22. *ex quo totum corpus per juncturas & vincula suppeditationem habens & coagmentatum crescit incrementum Dei.* Coloss. 2: 19. Qui habent & nominant in terra caput, cui se subjiciunt, ii non retinent *Caput* verum & unicum Ecclesiæ. Solus Christus est *vitis.* Joh. 15: 1. h. e. Christus est radix & caput, à quo omnes palmites & succum & vitam & fructum hauriunt per Spiritum ipsius. Qui & cognitus est Ecclesiæ, ut Sacerdos unicus & Rex, & per verbum suum (quod per prophetas atque apostolos locutus est, quodque ante oculos omnium posuit) Ecclesiam suam vocat ad regnum Dei & gloriam ipsius. Si quis igitur in terra velit esse caput, sique ei se adjungant homines, tanquam palmites, is est alia *vitis*, nempe *ex vite Sodomæ, ex agro Gomorræ.* Deut. 32: 32. *Regem* autem quum hîc dicit significat & falsò regem, quatenus nominatur *vicarius Christi*; & verè regem, quia volunt eum suum esse regem & dominum & ipsius præceptis obedire. *Angelum illum abyssi*, q. d. missum non ex cœlo, sed ex inferno, apostolum, non Christi, sed dæmonis, & hujus non illius verba loquentem. Is non potest esse alius, quàm illa *stella*, quæ *de cœlo in terram lapsa* dicitur & habet *clavem putei abyssi. Rex* dicitur in oppositione Christi: qui ex superioribus est. Sed ille rex ex superioribus non est, sed ex *Abysso. Abyssus* non semper notat *mare.* Quod est צוּלָה & מְצוּלָה & תְּהוֹם & תְּהוֹם. Luc. 8: 31. rogant Christum dæmonia, ne *se jubeat in abyssum abire.* De *abysso* rursus dicendum erit Apoc. 11: 7. 17: 8. 20: 1. 3. *Ei nomen Hebraïce* אַבַדּוֹן, *& Græcè* ἀπολλύων. Hoc est, talis vocatur & nominatur, ut sub ænigmate horum vocabulorum, hoc, quod de ipso dicitur, intelligi possit: & rursus prædicantur de illo, sono quidem convenientia cum his vocabulis, sed diversa, quoad significationem; licèt sic potiùs, quàm aliter, mereatur nominari. Profitetur, se posse chiliades animarum deducere in gehennam, & tamen non posse à quoquam judicari. Quod dicere non est nisi illius, *qui perdit.* Opus enim ipsius non est nisi damnare & interficere. Vocat se *patrem judicii* (Hebræi dicunt אַב דִּין) sed verè est אַבַדּוֹן, Dicit se τὸν ἀπολύοντα, hoc est, eum, qui habeat potestatem *solvendi* subditos juramentis, dispensandi de legibus, impertiendi indulgentias, remittendi peccata, educendi ex purgatorio, sed revera est ἀπολλύων *perdens.* Paulus vocat υἱὸν τῆς ἀπωλείας *filium perditionis.* 2 Thessal. 2: 3. Cujus descriptio est ænigmatis hujus solutio.

Vers. 12. *Væ primum abiit, ecce veniunt adhuc duo væ post hæc.* In his verbis est transitio, sive potiùs indicatio futuræ in Ecclesia animadversionis & pronuntiationis rerum secuturarum: quasi dicat, cùm hæc ita exstabunt, homines pii & attendentes sacris literis poterunt animadvertere, imminere adhuc alia mala. Ἀπῆλθεν, *abiit*, non significat finitionem

nem cruciatus à locustis; sed significat impletionem primi οὐαὶ, VÆ: quasi dicat, ἀπέχυσι τὸ οὐαὶ τὸ πρῶτον. Possit τὸ ἀπὸ in verbo απῆλθεν significare τελειότης, ut sit, *ad plenum venit*; aut, si velis terminum primi *væ* statuere, non simul statues terminum quinque mensium, sed terminum modi istius plagæ, sive terminum limitationis plagæ, quæ limitatio fuit in vers. 4. *ut non laederent gramen* &c. Neque enim dicendum est, in tuba sexta non exstare amplius vel locustas, vel regem ipsarum, vel etiam cruciatum ab ipsis. Quanquam in alia specie producantur in tuba sexta vers. 17. ut possimus dicere, primum *væ* sic abiisse, quia, mutata scena, novo habitu iidem exercitus mox erant prodituri. *Abiisse*, inquam, primum VÆ, quia Locustæ sic veniunt, antequam fieret, quod in sigillo sexto & tuba sexta continetur.

TUBA SEXTA.

13. Καὶ ὁ ἕκτος ἄγγελος ἐσάλπισε, καὶ ἤκουσα φωνὴν μίαν ἐκ τῶν τεσσάρων κεράτων τοῦ θυσιαστηρίου τοῦ χρυσοῦ τοῦ ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ,

14. Λέγουσα τῷ ἕκτῳ ἀγγέλῳ, ὁ ἔχων τὴν σάλπιγγα· Λῦσον τοὺς τέσσαρας ἀγγέλους τοὺς δεδεμένους ἐπὶ τῷ ποταμῷ τῷ μεγάλῳ Εὐφράτῃ.

15. Καὶ ἐλύθησαν οἱ τέσσαρες ἄγγελοι οἱ ἡτοιμασμένοι εἰς τὴν ὥραν καὶ μῆνα καὶ ἐνιαυτὸν, ἵνα ἀποκτείνωσι τὸ τρίτον τῶν ἀνθρώπων.

16. Καὶ ὁ ἀριθμὸς τῶν στρατευμάτων τοῦ ἱππικοῦ, δύο μυριάδες μυριάδων· ἠκουσα τὸν ἀριθμὸν αὐτῶν.

17. Καὶ οὕτως εἶδον τοὺς ἵππους ἐν τῇ ὁράσει, καὶ τοὺς καθημένους ἐπ' αὐτῶν, ἔχοντας θώρακας πυρίνους καὶ ὑακινθίνους καὶ θειώδεις· καὶ αἱ κεφαλαὶ τῶν ἵππων ὡς κεφαλαὶ λεόντων, καὶ ἐκ τῶν στομάτων αὐτῶν ἐκπορεύεται πῦρ καπνὸς καὶ θεῖον.

18. Ὑπὸ τῶν τριῶν τούτων ἀπεκτάνθησαν τὸ τρίτον τῶν ἀνθρώπων, ἐκ τοῦ πυρὸς καὶ τοῦ καπνοῦ καὶ τοῦ θείου τοῦ ἐκπορευομένου ἐκ τῶν στομάτων αὐτῶν.

19. Αἱ γὰρ ἐξουσίαι αὐτῶν ἐν τῷ στόματι αὐτῶν εἰσιν· αἱ γὰρ οὐραὶ αὐτῶν ὁμοίαι ὄφεσιν, ἔχουσι κεφαλὰς· καὶ ἐν αὐταῖς ἀδικοῦσι.

20. Καὶ οἱ λοιποὶ τῶν ἀνθρώπων, οἵτινες οὐκ ἀπεκτάνθησαν ἐν ταῖς πληγαῖς ταύταις, οὐδὲ

VERS. 13. *Et sextus Angelus buccinavit, & audivi vocem unam ex quatuor cornibus altaris aurei, quod est coram Deo,*

14. *Dicentem sexto Angelo, qui habebat tubam: Solve quatuor Angelos, qui ligati sunt ad fluvium magnum Euphratem.*

15. *Et soluti sunt quatuor illi Angeli, qui erant parati in horam & diem & mensem & annum, ut occiderent tertiam partem hominum.*

16. *Et numerus exercituum equestrium duo myriades myriadum: & audivi numerum eorum.*

17. *Et sic vidi equos illos in visione, & sedentes in eis, habentes thoraces igneos & hyacinthinos & sulphureos: & capita equorum ut capita leonum, & ex oribus ipsorum egreditur ignis & fumus & sulfur.*

18. *A tribus illis occisi sunt tertia pars hominum, ex igne & fumo & sulfure, quod egreditur ex oribus ipsorum.*

19. *Nam potestates eorum in ore eorum sunt. Nam cauda eorum similes serpentibus, habentes capita. Et in illis ladunt.*

20. *Et reliqui hominum, qui non sunt occisi in plagis his, neque resipuerunt ex*

μὴ προσκυνήσουσι τὰ δαιμόνια, καὶ τὰ εἴδωλα τὰ χρυσᾶ καὶ τὰ ἀργυρᾶ καὶ τὰ χαλκᾶ καὶ τὰ λίθινα καὶ τὰ ξύλινα, ἃ οὔτε βλέπειν δύναται, οὔτε ἀκούειν, οὔτε περιπατεῖν.

21. Καὶ οὐ μετενόησαν ἐκ τῶν φόνων αὐτῶν, οὔτε ἐκ τῶν φαρμακειῶν αὐτῶν, οὔτε ἐκ τῆς πορνείας αὐτῶν, οὔτε ἐκ τῶν κλεμμάτων αὐτῶν.

operibus manuum suarum, ut non adorarent dæmonia & idola aurea & argentea & ærea & lapidea & lignea; quæ neque videre possunt, neque audire, neque ambulare.

21. *Et non resipuerunt de cædibus suis, neque de veneficiis suis, neque de fornicatione sua, neque de furtis suis.*

Cùm *sextus Angelus buccinaret, audivit Johannes vocem unam ex quatuor cornibus altaris aurei, quod est coram Deo.* hoc est, audivit jussionem Christi, qui est altare nóstrum, in quo accedimus ad Deum & spirituales victimas offerimus. Hebr. 13. v. 10. 15. Vox hæc tribuitur *cornibus altaris*, hoc est angulis; quia cornua altaris solebant aspergi sanguine victimarum. Notatur Christus cruentatus, non tantùm sanguine suo, sed fortè etiam sanguine martyrum. Nam sub hac tuba incipiunt judicia Dei, primò quidem in domo ipsius, sed & postea in hostibus. Vox autem ista sive jussio respondet potestati Christo datæ.

Vers. 14. *Vox illa dicebat sexto Angelo, qui habebat buccinam.* Confer dicta ad vers. 2. cap. 8. *Solve quatuor Angelos, qui ligati sunt ad flumen magnum Euphratem.* Quidam hæc interpretantur de Turcâ. Sed, si Muhammedicæ superstitionis homines hîc debeant intelligi, & Euphrates propriè capiendus est, jam Persæ significabuntur, non Turcæ. Sed nobis tenenda est analogia cæterarum partium Apocalypseos, & cùm eventu hæc jam sint comprobata, non est negandus sensus prophetiæ, ubi est convenientia historiæ. *Babylon* in Apocalypsi non significat urbem sitam ad *Euphratem* in Oriente, sed civitatem & regnum aliquod Occidentis. In quo rex est & gubernandi ratio analoga Babylonico imperio, quod fuit primum in mundo. Ergo & Euphrates spiritualiter significat illius imperii vim. Ut Israëlitis fuit *Babylonius* & *Euphrates:* ita Ecclesiæ est Romanus & ipsius potentia. *Angeli quatuor* sunt Angeli Satanæ, quemadmodum *Angelus* sive *princeps Persidos.* Dan. 10: 3. *Quatuor* dicuntur, quia quatuor sunt regna Babylonio servientia, ut Hispania, Gallia, Italia cum parte Germaniæ, Ungaria & finitimi. *Ligatos* dicit propter coërcitionem, ut non possent suos exercitus emittere. Hæc coërcitio respondet *quieti*, quæ data est *animabus clamantibus* sub sigillo quinto cap. 6. vers. 11. *Ligati ad flumen Euphratem*, quia in cœtu Babylonico potuerunt operari, non potuerunt autem Ecclesiam turbare. Si de Turcis hæc putamus dici, ubi invenietis Sarracenos? & Turcæ non demum soluti sunt, postquam Stella illa cecidit de cœlo & accepit clavim abyssi, & aperuit puteum abyssi, h. e. postquam Papa Romanus

se

se declaravit Deum & declaratus est Antichristus & constituit suum regnum extra Ecclesiam.

Vers. 15. Amplius hic describuntur hi Angeli, *quòd fuerint parati ad horam, diem, mensem, annum.* Simillem locutionem vide in Midrasch Psal. 6. § 4. כשל למה הדבר דומה לחולה שהיה כתרפא על פי הרופא והיה אותו החולה מקוה לרופא כה יבא בארבע שעות או בחמש שעות או בשמונה עם רמרומי חמה הרי הוא מכשכש ובא אומר לו אם שהית עוד ציבחר נפשי נפקרת *Cui rei hoc simile est? Ægroto, qui curabatur ex præscripto medici. Is igitur ægrotus exspectabat medicum, quando venturus esset: quarta hora, an quinta, an octava? Cum sole occidente ecce ille pultat & intrat. Dicit ei: Si paulum adhuc tardasses, anima mea exivisset.* Significatur perseverans, indesinens & pertinax exspectatio, & sui præparatio ad nocendum. Nempe spes fuit, quasi post *horam* datum iri opportunitatem; eâ negatâ, post *diem*; rursus post *mensem*; denique post *annum*. Ita nullum longum tempus potuit hanc cupiditatem & exspectationem ac promtitudinem tollere. Es. 57: 19. 20. 21. *Creans fructum labiorum, Pax, pax longinquo & propinquo (ait Jehovah) & sanabo eum. Sed ii, quorum causa deterior est, & justitia Dei carent, sunt ut mare, quod ventis expellitur, quia quiescere non potest, & ejiciunt aqua ejus cœnum ac lutum. Non est pax, ait Jehovah, improbis*, malam causam tuentibus. Deus volebat Ecclesiam sanare. Data est pax accedentibus ad Deum & recedentibus à Deo. Sed, quorum causa mala est, non quiescunt: verùm semper injuriis afficiunt Ecclesiam. Deus decernit, se ipsis pacem non datunum. *Et soluti sunt, ut interficerent tertiam partem hominum.* hoc est, concessum est ipsis, ut partim carnali gladio magnam hominum multitudinem interficerent, partim in notabili quadam parte Ecclesiæ Euangelicæ plurimos impellerent ad apostasiam. Fortè notatur per tertiam partem genus quoddam hominum: quemadmodum Matth. 13. Servator eos, qui audiunt sermonem, in certa genera dispescit. Zach. 14. vers. 2. *Mulieres* dicuntur *violatæ*, & *dimidium urbis in exilium deductum. Solutio quatuor Angelorum* subnectenda est *terræ motui*, qui factus est, quum aperiretur sigillum sextum. Nempe is terræ motus occasionem dedit solvendi quatuor Angelos. Bohemi, Ferdinando abdicato, Fredericum regem fecerunt: Fredericus fœderatos protestantes in Germania sibi adjunxit: arma capta sunt. Hic terræ motus Pontificiis occasionem dedit prodeundi in aciem. Vers. 16. *Numerus exercituum equestrium duæ myriades myriadum.* Numerus vix numerabilis, quod in simplici explicatione sufficere potest. Major ille numero agni. Et respondet מִנְיַן שְׁנַיִם *numero, cui mensam struunt & crama implent, qui Jehovam relinquunt.* Es. 65: 11. & *collectioni gentium ac linguarum.* Es. 66: 18. Multitudinem enim se sequi profitentur.

In ejus nomine struitur ab ipsis mensa & impletur poculum in Missa.

Et audivi numerum illorum. Vel significat, se in visione audivisse verum numerum, ut sciamus à Deo numeratos esse etiam hostes Ecclesiæ: vel tanquam in figura Ecclesiæ dicit, se *audivisse* non *vidisse numerum*, quia Ecclesia erat quidem perterrefacienda, non tamen debebat videre omnes hostium copias in aciem productas. Confer cap. 20. v. 8. 9. Intelligitur, in hoc certamine *parvas esse Ecclesiæ vires.* cap. 3. v. 8.

Vers. 17. Hic describitur exercitus equestris. Ea descriptio ænigma est non defunctorie considerandum. Multis modis regnum Antichristi in sacris literis depingitur. Nonnunquam est *duplex regnum, ferreum & testaceum:* Dan. 2. alibi *bestia decem cornua habens, cum cornu parvo:* Dan. 7. alibi *Jesabel & mœchi ejus & filii ejus:* alibi *locustæ cum suo rege*, hoc ipso capite: alibi *bestia duplex, cum imagine bestiæ:* cap. 13. alibi *bestia & meretrix:* cap. 17. alibi *Gog & Magog*, cap. 20. &c. hic est *exercitus equestris. Equi* habent *sessores*, hoc est, populi rectores. Utrique habent *thoraces*, hoc est, muniti sunt adversus vim veritatis & obdurati. *Thoraces sunt ignei, hyacinthini, sulphurei.* hoc est, obdurati sunt *igne* seu zelo ab inferno accenso, qui est odium contradicentium; splendore potentiæ humanæ, quæ est *fumus* (ὑακίνθινον, ὑπομελανίζον. πορφυρίζον. H. Su. *Fumi* colorem notari, arguunt sequentia) specie devotionis & religionis falsæ, quæ non est aurum atque argentum, sed *sulphur*, esca ignis, & in ignis probatione non potest consistere. *Equi habent capita instar leonum.* Habent populi principes politicos. Manifestus est hic character quartæ partis colossi *Nabuchodonosoris*; in qua post *crura ferrea* sunt *tibiæ partim luteæ, partim ferreæ*, significantes *duplex regnum in uno.* Ita hic sunt sessores & capita equorum: ut ita populi pertineant ad *duplicem civitatem*, quemadmodum Bellarminus loquitur. *Leonum capita* significant fœvitiam. *Ex oribus ipsorum exibat ignis, fumus, sulphur.* Hoc ænigma transferre ad bombardas Turcarum, nimis frivolum est. Numquid enim bombardæ sunt ora capitum? Nec bombarda & pulvis pyrius est inventum Turcarum. Sententiæ & edicta principum loquuntur, 1. *ignem*, hoc est, falsam charitatem, quæ est zelus contra veram religionem. 2. Catholicam Ecclesiam, sive multitudinem consentientem, quæ est *fumus.* 3. *Sulphur*, hoc est, religionem, quæ examen ignis sustinere non potest & non, ut thus, habet fragrantiam, sed gravem odorem diffundit. Nam & preces eorum ad Mariam & sanctos & Angelos non sunt εὐωδία, sed fœtor. Cum hoc confer cap. 6. vers. 12. *Sol* factus fuit *ater, luna ut sanguis.*

Vers. 18. Per tria hæc *tertia pars hominum occisa est.* hoc est, grassante equestri exercitu in magnam partem Ecclesiæ Euangelicæ (nam, ut supra

τὸ τρίτον, cap. 7. vers. 8, 9, 10, 11, 12. simpliciſſimè interpretati ſumus magnam partem, quæ non planè eſſet dimidium; ita etiam hîc) multi (non omnes; Deo ſuos & probante & conſervante: quorum numerum ipſe novit) etiam ſpiritualiter occiſi ſunt, ut, qui *nomen tantùm haberent viventium, delerentur de libro vitæ*, hoc eſt, à veritate, quam profeſſi erant, deficerent. Confer cap. 3. v. 1, 5.

Vers. 19. Cùm dixiſſet, *tria iſta prodiiſſe ex oribus ipſorum*, dicit, *poteſtatem equorum eſſe in ipſorum ore & in ipſorum caudis.* hæc enim melior eſt lectio, quam & Complutenſis editio exhibet & Robertus Stephanus in duobus aliis codicibus reperit, quam etiam Arethas repræſentat, ἡ γὰρ ἐξουσία τῶν ἵππων ἐν τῷ στόματι αὐτῶν ἐστι καὶ ἐν ταῖς οὐραῖς αὐτῶν. *Caudas* dicit *ſimiles caudis ſerpentum, & habuiſſe capita, & per illa læſiſſe.* Poteſtas hujus exercitus eſt in ore principum, qui ſuam poteſtatem tradunt Beſtiæ, cap. 17. vers. 13. hoc eſt, in illorum edictis atque imperiis. *Caudæ* rurſus ſunt falſi prophetæ & falſi doctores. Sunt *caudæ ſerpentum*, hoc eſt, pertinent ad regnum Draconis, & habent aſturiam & vim ad homines implicandos. *Caudæ* habent *capita*, hoc eſt, præfectos, quibus jurarunt obedientiam. *Per caudas & capita illarum ladunt equi*, ut interficiant homines, hoc eſt, ad ἀποστασίαν impellant. Facilè intelligas; quando talis exercitus equeſtris prodit, qui lædit per ora capitum & caudas, eſſe bellum ſuper religione, ſuſceptum ſcilicet ad *reformationem*, ut loquuntur: cui ſe *caudæ* h. e. falſi doctores inſervire prædicant. Vidimus librum, cujus titulus eſt, *Germania ſacra reſtaurata.* Tales libri pertinent ad canticum Tyri, exoleti ſcorti, quod canit poſt tempus oblivionis ſui, Eſ. 23: 14. Sub tuba quinta *Locuſtæ* ſunt potentes in ſuis locis, ſalientes tamen & per alios locos, ſed non confertim. Sub ſexta eſt exercitus prodiens in bellum. Quod Locuſtas affectaſſe & concitaſſe ſignificatur, quando dicitur, *eas fuiſſe ſimiles equis ad bellum paratis*, vers. 7. In tuba quinta exhibetur ſola hierarchia: in ſexta *exercitus*, per quem bellum geritur: qui non conſtat ex ſolis epiſcopis & doctoribus, ſed etiam populis & eorum principibus. Igitur debuit hîc aliud emblema proponi. Et hoc eſt id *bellum*, de quo & cap. 16: 14. & 20: 8.

Vers. 20. *Reliqui* homines, qui *non occiſi ſunt his plagis*, nempe, ut abnegarent agnitam veritatem & ſic inter *viventes* non ſcriberentur amplius: *ii nec reſipuerunt ex operibus manus ſuæ, ut non adorarent dæmonia, & idola aurea.* &c. *quæ nec videre poſſunt, nec audire, nec ambulare.* hoc eſt, ſuperſtites fuerunt homines *nomen viventium habentes*, qui non egerunt pœnitentiam à falſa doctrina. Nam, qui falſam doctrinam loquitur, is verba dæmonis loquitur, &, qui ea recipit & recipi vult pro articulis fidei,

is

is *dæmones adorat*. *Idola* sunt imagines, quæ ullo modo in honore habentur, cùm tamen nec materia earum sit honorabilis, nec forma; cùm membris, quæ exprimunt, uti non possint: imò omnis non-deus, honoratus ut Deus. Atqui is, cui honor debetur, videt omnia, audit preces nostras & succurrit nobis, sive *venit ad nos*. Exod. 20: 24. Matth. 18: 20. Joh. 14: 28. In honore autem habentur imagines ab illis etiam, qui eas habent cum scandalo, & pro illis pugnant, saltem eas docere putant. Atqui nec loquuntur nec spirant. Qui Ecclesiam docet, dat & spiritum. Vide Hab. 2: 18. 19.

Vers. 21. *Non resipuerunt de cædibus suis.* hoc est, bellis non necessariis crudeliter gestis, blasphematione & persecutione fratrum, aut traditione eorum in manum persequentium eos. *Neque ex suis incantationibus.* Φαρμακείων significare id, quod est כְּשָׁפִים, notius est, quàm ut ostendi debeat. LXX. id etiam φάρμακα appellant. φαρμακύτρια Theocriti & Virgilii est *saga*, *maga*. Si cædem per venena notaret, in φόνοις contineretur. Ea notio vocis est & Galat. 5: 20. ubi Syrus, מְשַׁחְרוּתָא *magia*. *Incantationem* tribuit scriptura Babylonicæ meretrici. Es. 47: 9. Hîc etiam quibusdam, qui videntur ab illa separati. *Incantatio* est omnis fiducia in verbis pronuntiatis, ritibus, opere operato, ad producendum effecta humanis majora, sive per potentiam divinam sive per potentiam angelicam. Ita faciunt, qui putant, certa verba data esse & certos ritus sive actiones externas, ad hoc, ut Christus sit omni loco præsens suo corpore & id accipiatur ore. Certè Bellarminus pronunciationem certorum verborum & opus operatum, auctore Origene, cum *incantatione* comparat. *Neque suâ fornicatione*, h. e. admiratione & æstimatione humani nominis ad loquendum ea, quæ non oportet; fiducia in auxiliis humanis; conspiratione & contesseratione occultâ cum Babylone. Confer Es. 23: 17. Ubi dicitur, Tyrum post annos septuaginta oblivionis & neglectus redituram ad quæstum suum & scortaturam cum omnibus regnis terræ. *Neque ex suis furtis*, h. e. ab avaritiâ & injustis lucris, & quæstu faciendo cum neglectu regni cœlorum, pauperumque vexationibus & neglectu.

CAPUT DECIMUM.

ANtequam Johanni monstraretur effectus tubæ septimæ, vidit Angelum, qui juravit, omnia consummanda esse sub tubâ septimâ; versibus septem hujus capitis: quæ est præparatio animorum ad exspectationem tubæ septimæ. Audivit etiam vocem, quâ jussus est comedere librum, & indicatum est ipsi, oportere ipsum iterum prophetare, versibus reliquis

reliquis quatuor hujus capitis : quo significatur, contestationem veritatis & demonstrationem regni Dei ex prophetia deinceps palam & per totum mundum debere fieri. Denique tradita est ipsi pertica mensoria ad metiendum templum Dei. Hîc est quædam ἐπεξήγησις rerum pertinentium ad superiora tempora cap. 11. versibus tredecim. Tandem prænunciatur væ tertium vers. 14. cap. 11.

1. Καὶ εἶδον ἄλλον ἄγγελον ἰσχυρὸν καταβαίνοντα ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, περιβεβλημένον νεφέλην· καὶ ἡ ἶρις ἐπὶ τῆς κεφαλῆς· καὶ τὸ πρόσωπον αὐτοῦ ὡς ὁ ἥλιος, καὶ οἱ πόδες αὐτοῦ ὡς στῦλοι πυρός.

2. Καὶ ἔχων ἐν τῇ χειρὶ αὐτοῦ βιβλαρίδιον ἀνεῳγμένον· καὶ ἔθηκε τὸν πόδα αὐτοῦ τὸν δεξιὸν ἐπὶ τῆς θαλάσσης, τὸν δὲ εὐώνυμον ἐπὶ τῆς γῆς.

3. Καὶ ἔκραξε φωνῇ μεγάλῃ, ὥσπερ λέων μυκᾶται· καὶ ὅτε ἔκραξε, ἐλάλησαν αἱ ἑπτὰ βρονταὶ τὰς ἑαυτῶν φωνάς.

4. Καὶ, ὅτε ἐλάλησαν αἱ ἑπτὰ βρονταὶ τὰς φωνὰς ἑαυτῶν, ἤμελλον γράφειν· καὶ ἤκουσα φωνῆς ἐκ τοῦ οὐρανοῦ λεγούσης μοι· Σφράγισον, ἃ ἐλάλησαν αἱ ἑπτὰ βρονταὶ, καὶ μὴ ταῦτα γράψῃς.

5. Καὶ ὁ ἄγγελος, ὃν εἶδον ἑστῶτα ἐπὶ τῆς θαλάσσης καὶ ἐπὶ τῆς γῆς, ἦρε τὴν χεῖρα αὐτοῦ εἰς τὸν οὐρανὸν,

6. Καὶ ὤμοσεν ἐν τῷ ζῶντι εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, ὃς ἔκτισε τὸν οὐρανὸν καὶ τὰ ἐν αὐτῷ, καὶ τὴν γῆν καὶ τὰ ἐν αὐτῇ, καὶ τὴν θάλασσαν καὶ τὰ ἐν αὐτῇ, ὅτι χρόνος οὐκ ἔσται ἔτι·

7. Ἀλλ' ἐν ταῖς ἡμέραις τῆς φωνῆς τοῦ ἑβδόμου ἀγγέλου, ὅταν μέλλῃ σαλπίζειν, καὶ τελεσθῇ τὸ μυστήριον τοῦ Θεοῦ, ὡς εὐηγγέλισε τοὺς ἑαυτοῦ δούλους τοὺς προφήτας.

VERS. 1. *Et vidi alium Angelum robustum descendentem de cœlo, circumdatum nube, & iris erat in capite, & facies ejus ut Sol, & pedes ejus, ut columnæ ignis.*

2. *Et habebat in manu sua libellum apertum : & ponebat pedem suum dextrum in mare, at lævum in terram.*

3. *Et clamabat voce magna, ut Leo rugit; & quum clamasset, locuta sunt septem fulmina voces suas.*

4. *Et, quum locuta essent septem fulmina voces suas, in eo eram, ut scriberem : & audivi vocem ex cœlo dicentem mihi: Obsigna, quæ locuta sunt septem fulmina; & ne hæc scribas.*

5. *Et Angelus, quem videram stantem in mari & in terra, sustulit manum suam in cœlum,*

6. *Et juravit in eo, qui vivit in secula seculorum, qui creavit cœlum &, quæ in eo, & terram, &, quæ in ea, & mare, & ea, quæ in eo; quòd tempus non futurum sit imposterum:*

7. *Sed (vel nisi) in diebus septimi Angeli, quum buccinaturus est, & consummabitur mysterium Dei, quemadmodum nunciavit servis suis Prophetis.*

Vers. 1. *Et vidi alium Angelum robustum*, cui nemo posset resistere, *descendentem de cœlo, qui erat amictus nube, & iris supra caput, & facies ejus ut sol, & pedes ut columnæ ignis* (confer cap. 1: 15.) *& habebat in manu sua libellum apertum.* Quando septem sigilla aperta sunt, totus liber apertus est, neque restat, nisi tuba septima. Hîc habemus clavim interpretationis; nempe apertionem septem sigillorum esse denunciationem, non jam tubæ primæ, aut alterius, sed ipsius septimæ: atque adeò præcedentes tu-

bas ſic præcedentibus ſigillis ſubordinari, quemadmodum tuba ſeptima ſigillo ſeptimo. Deinde, quod attinet tempus Angeli deſcendentis, id ſequitur *Terra motum & ſolutionem quatuor Angelorum ligatorum apud Euphraten* & poſtquam τὰ πνεύματα τῆς ἱππικῆς prodiiſſent & *tertiam partem hominum occidiſſent*; quum nondum *agerent cæteri pœnitentiam*: ut in prioribus ſcriptum eſt. Angelus autem, qui tenet librum in manu, non poteſt non eſſe Agnus. Nam & deſcriptio ejus cum deſcriptione cap. 1. convenit. Dicitur *deſcendiſſe de cœlo*, quemadmodum etiam dicitur *ambulare inter candelabra*. Sed deſcendit *amictus nube*, h. e. cum evidenti quodam effectu, teſte præſentiæ ipſius; quemadmodum in nube Deus deſcendit in montem Sinai & in templum, & in nube ſuper propitiatorio apparuit & ex nube tanquam *magnifica gloria* (2 Pet. 1: 17.) de Chriſto ad diſcipulos ejus locutus eſt. Interim eum loquentem audire & videre non eſt niſi fidei, ſecundùm ea, quæ ſcripta ſunt in prophetiis. *Iris ſupra caput* notat tum immenſitatem complentem cœlum & terram, tum recordationem fœderis gratiæ; ut diximus cap. 4. 3. confer Eſ. 54. 9. *Aqua Noachi hoc mihi. ut juravi, non tranſituras eſſe aquas Noachi amplius per terram, ſic juravi, non fore, ut efferveſcam in te & te increpem. Facies, ut Sol*, notat Chriſti illuſtrem majeſtatem in mundo. *Pedes candentes & flammantes* potentiam & iram. Confer cap. 6. 17. *venit dies magna ira ejus.*

Verſ. 2. *Liber apertus in manu deſcendentis* notat evidentiam myſterii ſcripturarum, ut palam facti in pleriſque operibus; eouſque nempe, ut homines intelligere poſſint, inſtare tubam ſeptimam, & ſub illa omnia eſſe complenda. *Poſuit pedem dextrum in mare & lævum in terram*, h. e. compeſcuit mare, ne ſcilicet terram inundaret, ſed ut ſub pedibus ipſius quieſceret. Per *mare* autem intelliguntur homines extranei ab Eccleſia: per *terram* illi, qui Eccleſiæ nomen obtinent. Pertinet autem hæc coërcitio ad illas myriadas equitum, quæ exiverant ad interficiendum tertiam partem hominum. Quod *lævum* dicitur *poſuiſſe in terram* vel tantum id ipſum ſignificat, eum ſe præſentem Eccleſiæ ſuæ demonſtraſſe, ad compeſcendum mare, vel, quòd etiam non ſine caſtigatione ipſos, qui Euangelici dicuntur, adierit & viſitarit: certè quòd in illis, ut pacem hanc & quietem exoptarent & admitterent, effecit. Apud Eſ. 57: 19. habemus mentionem pacis promulgandæ inter longinquum & propinquum. Hoc reſpondet ligationi quatuor Angelorum ad Euphratem. Quemadmodum eſt Eſ. 19: 16. 17. ubi dicitur, *terram Judæ fore Ægypto in trepidationem.* Quod autem ibi dicitur verſ. 20. 21. ac 23. de mittendo *Salvatore & patrono, quodque Deus ſeſe præbiturus ſit cognoſcendum Ægypto, & quod ſacrificio & munere ſint ſervituri & votum facturi & ſoluturi*, id refero ad pacem fa-

ctam

ctam post bellum ab Antichristi cœtu illatum, partibus sibi invicem juran-tibus & id juramentum servantibus, iis adeò, qui infesti fuerant, non im-pedientibus prædicationem Euangelii in iis locis, in quibus prædicatum antea fuerat, & hoc munere Deum honorantibus: quanquam hoc ipsi non intelligerent. Atque hanc ipsam coërcitionem maris hoc loco in-telligo.

Vers. 3. 4. *Et clamavit voce magna, quemadmodum Leo mugit: & , cùm clamassent, locuta sunt septem tonitrua suas voces.* Johannes voluit eas voces scribere, sed vetitus est voce ex cœlo delata. Non voluit Spiritus san-ctus à nobis distinctè sciri, quidnam illa significarent: sive quòd non opus esset illa scribi, cùm ex aliis partibus prophetiæ hæc intelligi ple-niùs possint; sive, quia fides nostra & exspectatio in generali indigita-tione satis habuit firmamenti. Nempe, postquam Christus coërcuisset mare, & illud intra alveum suum includisset, septem fortasse res inexspe-ctatæ erant eventuræ, tanquam fulmina & tonitrua totum orbem rumore & sermone implentia. Quando igitur post tempus jam designatum ali-quid fit in mundo, quod tanquam fulmen aut tonitru haberi possit, cer-tum est, nos audire horum tonitruum vocem. *Et loquuntur tonitrua suas voces.* Neque enim sine multo sermone audiuntur. Fortasse necesse non est, narrare, quod jam audivimus. Quis ignorat motus Britannicos; & non vidit stellas & lapsas & restitutas? Bellum Anglorum cum Belgis sub Protectore? Bellum Suedorum & Polonorum? Motus Transylva-niæ? Bellum Danicum? Moscoviticum? Galliarum regis & Papæ simul-tatem? Turcarum irruptionem in penitiorem Hungariam? Omitto eo-rum vetus bellum cum Venetis. Quid parturiant hi dies, quis dicet? Com-paranda hæc sunt, ni fallor, cum eis, quæ dicuntur consecuta ad terræ motum, qui factus est, quum aperiretur sigillum sextum.

Vers. 5. 6. 7. *Angelus stans in mari & terra sustulit manum suam ad cœ-lum* (confer Deut. 32: 40.) *juravitque per eum, qui vivit in secula* &c. (vide Dan. 12: 7.) *quòd tempus non futurum sit amplius*, h. e. cognoscetur in Eccle-sia juramentum illud Christi per Patrem, quo juravit, se ulturum esse hostes suos, & jam tempus illius vindictæ instare, neque diutius hoc ju-dicium protrahendum esse. Cap. 2: 21. dicit, *dedi Jezabeli tempus, ut re-sipiscceret.* cap. 6: 11. *dictum est animabus, ut requiescerent parvum tempus.* nunc jurat, *tempus non fore amplius*, nempe, quo minus repræsententur promissiones in omnibus prophetiis exstantes & hoc fine Dei judicium agatur. De quo dixerat cap. 6: 17. *venit dies magna iræ ipsius.* & cap. 11: vers. 18. *venit ira tua & tempus mortuorum, ut judicarentur.* Es. 26: vers. 20. jubetur *populus Dei parvum tempus secedere in penetralia sua, donec*

pratereat excandescentia. Es. 60: 23. *Ego Dominus in tempore suo accelerabo illud.* Observandum est, Aretham vers. 7. non legere ὃς τελεσθῇ, quomodo & in vulgata est ; sed τελεσθήσεται sine ὃς, quod & Complutensis omittit. Quæ commodissima lectio videtur esse, ut significetur, *tempus non fore amplius*, ut differatur repræsentatio promissionum, nempe de occupandis regnis in toto mundo. Quia tamen multi codices habent ὃς τελεσθῇ, quod non ad ἀλλὰ, sed ad ὅταν referri oportet, atque ita etiam Syrus & Arabs habent, ne hæc quidem lectio aspernanda est, quæ significat, tempus tubæ septimæ esse ultimum, & sub illa mysterium prophetiæ esse consummandum. Hoc ipsum etiam prior lectio insinuat, sed insuper addit, moram ad tubam septimam non longam esse. Qui sensus plenior est.

8. Καὶ ἡ φωνὴ, ἣν ἤκουσα ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, πάλιν λαλοῦσα μετ' ἐμοῦ, καὶ λέγουσα· Ὕπαγε, λάβε τὸ βιβλαρίδιον τὸ ἠνεῳγμένον ἐν τῇ χειρὶ τοῦ ἀγγέλου τοῦ ἑστῶτος ἐπὶ τῆς θαλάσσης καὶ ἐπὶ τῆς γῆς.

9. Καὶ ἀπῆλθον πρὸς τὸν ἄγγελον, λέγων αὐτῷ· Δός μοι τὸ βιβλαρίδιον. Καὶ λέγει μοι· Λάβε καὶ κατάφαγε αὐτό· καὶ πικρανεῖ σου τὴν κοιλίαν, ἀλλ' ἐν τῷ στόματί σου ἔσται γλυκὺ ὡς μέλι.

10. Καὶ ἔλαβον τὸ βιβλαρίδιον ἐκ τῆς χειρὸς τοῦ ἀγγέλου, καὶ κατέφαγον αὐτό· καὶ ἦν ἐν τῷ στόματί μου, ὡς μέλι, γλυκύ· καὶ, ὅτι ἔφαγον αὐτό, ἐπικράνθη ἡ κοιλία μου.

11. Καὶ λέγει μοι· Δεῖ σε πάλιν προφητεῦσαι ἐπὶ λαοῖς καὶ ἔθνεσι καὶ γλώσσαις καὶ βασιλεῦσι πολλοῖς.

VERS. 8. *Et vox, quam audiveram ex cœlo, iterum loquens mecum & dicens: Abi, cape libellum illum apertum, qui est in manu Angeli stantis super mare & terram.*

9. *Et abii ad Angelum, dicens ei: Da mihi libellum illum. Et dicit mihi: Cape & degluti eum; & amarore afficiet ventrem tuum, sed in ore tuo erit dulcis, ut mel.*

10. *Et accepi libellum ex manu Angeli & deglutivi eum; & erat in ore meo, ut mel, dulcis; & quum deglutivissem eum, amarore affectus est venter meus.*

11. *Et dicit mihi: Oportet te denuò prophetare coram populis & linguis & regibus multis.*

Vers. 8. — 11. Vox, quam ante ex cœlo audierat, jussit Johannem accipere librum apertum ex manu Angeli stantis super mari & terra: cui obsecutus petiit eum sibi dari. Is verò & dedit & comedendum dedit. Addit, futurum in ore ipsius instar mellis, sed ventrem amaritudine impleturum. Hæc sunt similia actis cum propheta Ezechiele cap. 2: 10. 11. & 3: 1. 2. 3. Hæc notant excitationem spiritus multorum in Ecclesia, ut cupiant agnoscere, quæ scripta sunt in libro, & expetant sibi cognitionem dari: itemque multiplicationem cognitionis, quam & Danieli prædixit Deus cap. 12: 4. 10. *Edere librum* est meditari, intelligentiam ejus quærere & ad eam paulatim proficere, verbaque ejus semper in memoria habere. *Dulcedo mellis in ore* significat suavitatem, quæ est in prosectu

sectu cognitionis, in conformitate fidei & spei, itemque in consolatione, quam scripturæ dant per patientiam. Rom. 15: 4. *Amaricatio ventris* significat tristitiam & dolorem, ortum ex plagis præsentibus & imminentibus: & horrorem, qui fit ex cogitatione malorum impendentium. Confer Habac. 3. 16: 17. *Audivi (& commotus est venter meus, in vocem tinnierunt labia mea, venit marcor in ossa mea, & subter me contremisco) quòd quieturus sim ad diem angustiæ, ut ascendat, quem in populum turmatim ducet. Nam ficus non floret, & non est proventus in vitibus, abnegavit opus oleæ & ager non facit cibum, excidit ab ovili oves & non est armentum in stabulis.*

Vers. 11. Cùm comedisset librum, *Angelus ei dixit: oportet te iterum prophetare coram populis & gentibus & linguis & regibus multis.* Quemadmodum Es. 11: 10. 11. dicitur: *radix Jesse, quæ stat in signum populorum, adibitur à gentibus, & erit quies illius gloriosa: & tunc adjiciet Deus iterum manum suam ad comparandum reliquum sui populi.* Ita hîc dicitur, Johannem & reliquos prophetas iterum debere prophetare. Respondet, quod est Matth. 24: 14. *prædicabitur hoc Euangelium regni in totâ habitabili &c.*

CAPUT UNDECIMUM.

HIc subnectitur epexegesis, in qua explicatur antecedentium temporum status, ut propiùs cognoscamus, quando hæc, quæ superiùs sunt posita, imprimis, quod dictum erat de iterata prophetatione, sint implenda. Habemus etiam in consequentibus (ut obiter de summâ illorum dicamus) mensuram quandam temporis, quo *sancta urbs conculcabitur.* Item distinctionem triplicis temporis, in quo *prophetia* diversimodè peragetur. Nam est *tempus, quo duo testes consummabunt suam testificationem*, vers. 7. est *tempus, quo testes prophetabunt in saccis*, vel etiam *jacebunt in foro civitatis magnæ, ut cadavera*: est *tempus, cùm reviviscent & ascendent in cœlum.* Cui duorum testium collocationi in cœlo respondet *casus stellæ magnæ de cœlo in terram.* cap. 9: 1. &, post peracta, quæ in capite nono scripta sunt, *apertio libri & iterata apud gentes & populos prophetia.*

1. Καὶ ἐδόθη μοι κάλαμος ὅμοιος ῥάβδῳ· καὶ ὁ ἄγγελος εἱστήκει, λέγων· Ἔγειραι, καὶ μέτρησον τὸν ναὸν τοῦ Θεοῦ, καὶ τὸ θυσιαστήριον, καὶ τοὺς προσκυνοῦντας ἐν αὐτῷ.

2. Καὶ τὴν αὐλὴν τὴν ἔξωθεν τοῦ ναοῦ ἔκβαλε ἔξω, καὶ μὴ αὐτὴν μετρήσῃς, ὅτι ἐδόθη τοῖς ἔθνεσι· καὶ τὴν πόλιν τὴν ἁγίαν πατήσουσι μῆνας τεσσαράκοντα δύο.

VERS. 1. *Et datus est mihi calamus similis virgæ: & Angelus stabat, dicens: Surge & metire templum Dei & altare & adorantes in eo.*

2. *Et atrium exterius projice foras, & ne eam metiaris, quia datum est gentibus: & civitatem sanctam calcabunt menses quadraginta duos.*

3. Καὶ δώσω τοῖς δυσὶ μάρτυσί μου, καὶ προφητεύσουσιν ἡμέρας χιλίας διακοσίας ἑξήκοντα περιβεβλημένοι σάκκους.

4. Οὗτοί εἰσιν αἱ δύο ἐλαῖαι, καὶ δύο λυχνίαι αἱ ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ τῆς γῆς ἑστῶσαι.

5. Καί, εἴ τις αὐτοὺς θέλει ἀδικῆσαι, πῦρ ἐκπορεύεται ἐκ τοῦ στόματος αὐτῶν, καὶ κατεσθίει τοὺς ἐχθροὺς αὐτῶν· καὶ εἴ τις αὐτοὺς θελήσει ἀδικῆσαι, οὕτω δεῖ αὐτὸν ἀποκτανθῆναι.

6. Οὗτοι ἔχουσιν ἐξουσίαν κλεῖσαι τὸν οὐρανὸν, ἵνα μὴ βρέχῃ ὑετὸς ἐν ταῖς ἡμέραις αὐτῶν τῆς προφητείας· καὶ ἐξουσίαν ἔχουσιν ἐπὶ τῶν ὑδάτων, στρέφειν αὐτὰ εἰς αἷμα, καὶ πατάξαι τὴν γῆν πάσῃ πληγῇ, ὁσάκις ἐὰν θελήσουσι.

7. Καὶ, ὅταν τελέσωσι τὴν μαρτυρίαν αὐτῶν, τὸ θηρίον τὸ ἀναβαῖνον ἐκ τῆς ἀβύσσου ποιήσει πόλεμον μετ' αὐτῶν, καὶ νικήσει αὐτοὺς, καὶ ἀποκτενεῖ αὐτούς·

8. Καὶ τὰ πτώματα αὐτῶν ἐπὶ τῆς πλατείας πόλεως τῆς μεγάλης, ἥτις καλεῖται πνευματικῶς Σόδομα καὶ Αἴγυπτος, ὅπου καὶ ὁ Κύριος ἡμῶν ἐσταυρώθη.

9. Καὶ βλέψουσιν ἐκ τῶν λαῶν καὶ φυλῶν καὶ γλωσσῶν καὶ ἐθνῶν τὰ πτώματα αὐτῶν ἡμέρας τρεῖς καὶ ἥμισυ, καὶ τὰ πτώματα αὐτῶν οὐκ ἀφήσουσι τεθῆναι εἰς μνημεῖα.

10. Καὶ οἱ κατοικοῦντες ἐπὶ τῆς γῆς χαρήσονται ἐπ' αὐτοῖς, καὶ εὐφρανθήσονται· καὶ δῶρα πέμψουσιν ἀλλήλοις, ὅτι οἱ δύο προφῆται ἐβασάνισαν τοὺς κατοικοῦντας ἐπὶ τῆς γῆς.

11. Καὶ μετὰ τοὺς τρεῖς ἡμέρας καὶ ἥμισυ, πνεῦμα ζωῆς ἐκ τοῦ Θεοῦ εἰσῆλθεν ἐπ' αὐτούς· καὶ ἔστησαν ἐπὶ τοὺς πόδας αὐτῶν, καὶ φόβος μέγας ἔπεσεν ἐπὶ τοὺς θεωροῦντας αὐτούς.

12. Καὶ ἤκουσαν φωνὴν μεγάλην ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, λέγουσαν αὐτοῖς· Ἀναβῆτε ὧδε. Καὶ ἀνέβησαν εἰς τὸν οὐρανὸν ἐν τῇ νεφέλῃ· καὶ ἐθεώρησαν αὐτοὺς οἱ ἐχθροὶ αὐτῶν.

13. Καὶ ἐν ἐκείνῃ τῇ ὥρᾳ ἐγένετο σεισμὸς μέγας, καὶ τὸ δέκατον τῆς πόλεως ἔπεσε, καὶ ἀπεκτάνθησαν ἐν τῷ σεισμῷ ὀνόματα ἀνθρώπων χιλιάδες ἑπτά· καὶ οἱ λοιποὶ ἔμφοβοι ἐγένοντο, καὶ ἔδωκαν δόξαν τῷ Θεῷ τοῦ οὐρανοῦ.

14. Ἡ οὐαὶ ἡ δευτέρα ἀπῆλθεν, ἰδοὺ ἡ οὐαὶ ἡ τρίτη ἔρχεται ταχύ.

3. *Et dabo duobus testibus meis, & prophetabunt dies mille ducentos sexaginta amicti saccis.*

4. *Hi sunt duæ illæ olea & duo candelabra, quæ coram Deo terræ stant.*

5. *Et, si quis eos velit lædere, ignis exit ex ore eorum, & devorat hostes eorum: & si quis eos velit lædere, sic oportet eum occidi.*

6. *Hi habent potestatem claudendi cælum, ut non pluat pluvia in diebus eorum vaticinationis: & potestatem habent super aquis, mutandi eas in sanguinem, & feriendi terram omni plaga, quoties velint.*

7. *Et, quum absolvissent testificationem suam, Bestia, quæ ascendit ex Abysso, faciebat bellum cum ipsis, & vincebat eos & occidebat eos.*

8. *Et cadavera eorum in foro civitatis illius magnæ; quæ vocatur spiritualiter Sodoma & Ægyptus: ubi Dominus noster crucifixus est.*

9. *Et videbant ex populis & tribubus & linguis & gentibus cadavera eorum dies tres & dimidium: & cadavera eorum non omittebant, ut ponerentur in monimenta.*

10. *Et habitantes in terra gaudebant super eis, & exhilarabantur; & munera sibi invicem mittebant: quia hi duo prophetæ cruciaverant habitantes in terra.*

11. *Et post illos tres dies & dimidium spiritus vitæ ex Deo intrabat super eos, & constiterunt in pedes suos, & metus magnus cecidit in eos, qui spectabant eos.*

12. *Et audiverunt vocem magnam ex cælo dicentem eis: Ascendite huc. Et ascenderunt in cælum in nube. Et spectarunt eos hostes eorum.*

13. *Et in ea hora factus est terra motus magnus, & decima pars civitatis cecidit, & occisa sunt in eo terra motu nomina hominum chiliades septem: & reliqui timore correpti sunt & dederunt gloriam Deo.*

14. *Væ secundum abiit, ecce væ tertium venit citò.*

Vers.

Vers. 1. *Datus est Johanni calamus, similis virgæ: & Angelus stabat, dicens: surge & metire templum Dei & altare, &, qui adorant in illo; & atrium exterius projice foras, & ne illud metiaris.* Primus quasi actus iteratæ prophetiæ est, *metiri templum* &c. h. e. judicare ex verbo, tanquam certissimo canone, & veluti calamo mensorio, quodnam sit *templum Dei*, in quo habitat; quodnam *altare Dei*, in quo datur προσαγωγὴ & accessus ad Deum; & quinam sint, *qui adorant in illo*, qui accedunt ad Deum, ut oportet, facientes cum ipso fœdus super sacrificio vero, Psalm. 50: 5. & θυσίαν αἰνέσεως sacrificium laudis ac confessionis offerentes. Hebr. 13: 10. 15. 16. Psalm. 50: 14. 23. Judicii hujus pars est, *atrium exterius ejicere foras, & illud non metiri*, h. e. eos, qui tantùm foris ad Ecclesiam accedunt, tanquam ad quos pertica illa non pertingit, abscindere à *Domo Dei. Nam*, inquit, *datum est gentibus, & calcabunt urbem sanctam* &c. h. e. permissum est gentibus, quæ Deum non habent, ibi apparere & stare, ubi non nisi sancti stare debebunt, quædam dicere & facere, quæ fideles dicunt & faciunt, &, dum fideles non satis vigilant, coalescere per communes errores vel abusus, atque ita Christianos vocari, qui non sunt, & sacramentis Ecclesiæ abuti, atque etiam in ea locum docentium & regentium obtinere. Sed illæ gentes non sunt pars templi, quia Deus in eis non habitat: non adorant ad altare, quia id non norunt. *Urbem sanctam* tamen norunt, & volunt ejus cives haberi, h. e. vident Christianos collectos in nomine Christi & convocatos per verbum Euangelii *ad Dei regnum & gloriam*. Hoc verbum mirabile audiunt, nec possunt negare, id ex cœlo venisse: quia vident & in Mose ita scriptum & ab Apostolis ita sermone & epistola prædicatum, ut, nisi tam magnifico & θεοπρεπεῖ modo (qui in eo descriptus est) traditum esset, non potuerit vel suscipi ab eis, à quibus susceptum est, aut pervenire ad omnes gentes, quemadmodum ad omnes gentes pervenit. Deinde negare non possunt, Jesum fuisse in mundo & ea dixisse, fecisse, passum esse, quæ de eo scripta sunt; & ea, ut &, quæ de eo prædicantur, vident prædicta esse à Prophetis. Gaudent porrò, quòd audiunt, in nomine ipsius remissionem peccatorum prædicari. Neque ingratum est, quòd jubentur esse liberi à jugo legis. Et si quæ sunt similia, quæ vel negare non possunt, vel etiam carnali cum gaudio libentes excipiunt. Maximè, quia vident, Christianos sedere in arcibus terræ & rerum potiri; atque etiam non haberi virum bonum aut sapientem, qui Cristianus esse nolit. Ut idololatras, aut, qui cum sanctis se non conjungunt. Est Ecclesia *civitas*, quia in ea est *Rex* Christus & verbum ejus, & fraterna collectio ad id audiendum, & προσασία, h. e. cura cœtûs & communis causæ defensio, eliminatio autem hostium

hostium & non-fratrum. *Sancta civitas* est, quia Dei civitas est & eos cives habet, qui à Deo sanctificantur & justificantur. Quia igitur aliquousque *sancta civitas* cognoscitur à gentibus, gentes capiunt consilium se conjungendi cum ea, *blanda loquendi cum corde & corde.* Psalm. 12: 3. Admissæ autem ad civitatem hanc, id est, ad cœtum fratrum, *calcant eam*, h. e. corrumpunt eam, & fratres scandalis verberant, & imponunt jugum fidelibus. Phrasis est sumta ex Es. 1: 12. Per *menses* 42. Quemadmodum Dan. 9. sunt *septimanæ annorum*, ita hîc intelligimus *menses* annorum. Et hoc prædicatum ipsum sive res gerenda hoc spatio temporis demonstrat. Nam & hæc res gerenda & cæteræ ejusdem temporis non possunt brevi spatio peragi. Præterea *mille anni* cap. 20. in hisce 42. mensibus comprehenduntur. Quod ex identitate rei gerendæ apparet. Idem etiam est *gentes non seduci*, & easdem hactenus illuminatas, ut non lateat ipsas *templum Dei* & *urbs sancta. Accedere in ipsum atrium*, est videri populum Dei esse, & *adorantes in altari.* Adeò ut propter magnam similitudinem opus sit calamo ad metiendum templum & altare & adorantes ad illud, h. e. canone ad distinguendum gentes à συμπολίταις τῶν ἁγίων, *civibus sanctorum. Menses* igitur 42. sunt anni 1260. ut in singulos menses computemus 30. dies. Sic enim olim solebat fieri. quod vel ex historiâ diluvii patet. Cùm reliquas res gerendas in hac periodo didicerimus, rectius de ejus temporis initio & fine statuemus. Quod autem jubetur *atrium exterius projicere*, id notat, judicare & habere eos, qui non reperiuntur secundùm canonem *templi* & *adorantium ad altare* esse, pro non-civibus pro non-templo, pro non-adorantibus ad altare Dei; & *altare*, quod non convenit canoni altaris Dei, pro non-altari: & *adorationem*, quæ non est secundùm canonem adorationis ad altare Dei, pro non-adoratione ad altare Dei. Hoc enim est *judicium*, quod in Ecclesia fit & fieri debet: Quod non est secundùm Canonem, non admittere. Rom. 16: 17. *Spectate eos, qui dissensiones & scandala faciunt præter doctrinam, quam vos didicistis; & recedite ab eis.* In templo Dei adoratur Deus. Adoratio recta & grata debet fieri in altari Dei. Ab adoratione agnoscitur templum: ab altari adoratio: quæ est in spiritu & veritate. Joh. 4: 24.

Vers. 3. — 6. Postquam dixerat, *gentes calcaturas urbem sanctam* per tempus, progreditur ad explicationem status *duorum testium*, per quos *civitas sancta* colligitur; quem statum illi habituri erant, eodem tempore, quo gentes erant calcaturæ civitatem sanctam. *Duos testes* dicit; significans ænigmaticè Mosen & illius secutores, & discipulos Christi, quatenus ipsi locuti sunt apud Ecclesiam, sive quatenus illorum testimonium in Scripturâ auditur. Sic cap. 15: 3. duo *cantica* distinguit, *Mosis & Agni*,

agni, quod tamen est in re unum canticum. Quod simplicissimum dictu est, ostendamus. *Duo testes* sunt *duæ classes testium* Una eorum, qui locuti sunt cum auctoritate divina, ut legati Dei, verbum promissionis ac prophetiæ: altera eorum, qui similiter, ut legati Dei, cum pari auctoritate, locuti sunt Euangelium. Hi duo testes loquuntur in Scriptura per omne tempus. *Testes* sunt, quorum dictum rejici non potest. Supra cap. 2: 13. μάρτυς πιστὸς dicitur Antipas. Testantur & fideles, testimonium Dei obsignantes, ὁμολογοῦντες τῷ θεῷ & *Amen* ei respondentes, & ostendentes, quod audiunt, esse in se verum. Hîc autem *testes* alius modi sunt. Nempe qui *prophetant*, h. e. loquuntur verba θεόπνευστα, & Deo totius terræ ministrant publicando verbum ejus, & ita publicando, ut audiens ipsos certus esse possit, se audire sermonem Dei. Unde etiam dicuntur *peregisse testificationem suam*, vers. 7. h. e. eò usque locuti esse, ut, quod testabantur, perveniret ad omnes & occuparet summam auctoritatis arcem. Nullus fidelium est, in quem hæc congruant, quæ de duobus testibus hîc dicuntur. Nimis exile est, Christo tantùm duos dare, qui ipsius nomen profiteantur. Atqui cap. 14: 1. sunt cum ipso 144000. Neque Elias aut Enochus exspectandus est, qui resurgant, & testimonii perhibitione fungantur. Venit Elias, de quo loquitur Malachias cap. 3. & 4. post quem *venit Angelus Testamenti ad templum suum.* Venit autem, *ut reduceret cor patrum ad filios & cor filiorum ad patres, ne Dominus veniens feriret terram anathemate.* Nihil amplius de Eliæ adventu promissum est. Neque de Enocho mittendo verbum unum invenimus in Scriptura. Cui veritati astipulantem Aretham citavimus in libello de Ecclesia & Babylone p. 144. Omnia exactè in, quos dixi, testes conveniunt. Quanta temeritas, alios hîc testes fingere, quàm eos, qui ab initio Regni Christi apud ipsum steterunt & adhuc stant, &, quorum verbum hactenus audivimus? Si quis jam veniat cum maximis miraculis, si aliud loquatur, quàm quod Prophetæ & Apostoli locuti sunt, nonne pro pseudopropheta habebitur? Si autem docebit verbis Scripturæ, ergo ipsa Scriptura testabitur, & propter Scripturam recipietur, quod dicet. Elias & Enoch si apparerent, ex cœlo utique venirent. De eorum descensu ex cœlo Apocalypsis οὐδὲν λέγει. Sed nos observemus Testium horum duplicem sortem: unam in *civitate sancta*, alteram in *civitate magna.* Quod *civitatem sanctam* attinet, tribuit illis, quòd *sint prophetaturi in saccis per dies* 1260. Idem est hoc tempus cum 42. mensibus. *Prophetabunt*, h. e. ad conscientiam hominum revelabunt voluntatem Dei sermonibus à Spiritu sancto doctis & inspiratis. *Amicti saccis*, 1. quia hoc non facient cum lætificatione fidelium; prophetabunt, ut lugentes. 2. Quia illa revelatio erit obnubilata multis stolidis

commentis. Ita ut verum jubar gloriæ in illis non sit appariturum. Convenit, quod supra cap. 8. 12. de tertiâ parte lucis interceptâ dicitur.

Vers. 4. *Hi duo testes nominantur illæ duæ oleæ & duæ lucernæ coram Deo terræ stantes.* Sumtum hoc est ex Zachar. 4: 11. 14. *Duæ oleæ*, h. e. duo genera hominum in spiritu Dei loquentium; per quorum verbum spiritus Dei datur. *Duæ lucernæ*; quia verbum illorum est lux, ad quam Ecclesia videt veritatem. *Stantes coram Deo terræ*, h. e. Deo & Ecclesiæ ministrantes per suam testificationem ad conversionem animarum & propagationem regni ipsius.

Vers. 5. 6. Hîc attribuitur hisce testibus potestas ulciscendi adversarios per ignem exeuntem ex ore ipsorum, cœlum claudendi, ne pluat, & aquas mutandi in sanguinem, denique percutiendi terram omni plagâ. Nempe secundùm id, quod loquuntur Scripturæ, inobedientes puniuntur. Nam, ut est Deut. 18: 18. qui Christo non obedit, *ab illo Deus exigit.* Confer Actor. 3: 23. *Revelatur enim ira Dei de cœlo in omnem impietatem & injustitiam hominum detinentium veritatem per injustitiam.* Rom. 1: 18. *Ignis* notat consumtionem, quæ fit per iram Dei. Ἀποχὴ *siccitas* significat benedictionis spiritualis imminutionem, & traditionem hominum immorigerorum in obsequium & fidem mendacii, unde æstuatio malæ conscientiæ, tanquam siccitas animæ, provenit. Et tales non ostendunt vitam in se. *Sanguis* significat bella inter populos. Est hic assimilatio partim cum Elia partim cum Mose. Quod vers. 5. dicitur: *Et, qui eos voluerit ladere, sic eum oportet occidi*: id non sine causa inculcatur. Notatur enim, omninò eum, qui verbo Dei se opponit & habet voluntatem occultandi aut depravandi veritatem, & faciendi inutile, quod testes Dei in verbo ipsius dicunt, non posse mortem effugere, sed vel *morte secunda* puniri, vel etiam exterminari à Deo ex terra viventium & igne ipsius consumi.

Hactenus status horum *testium* in *civitate sanctâ*, & vis ipsorum in hostes. Sequitur vers. 7. 8. 9. 10. ipsorum status in *foro civitatis magnæ*, quam constituunt gentes *atrium externum & civitatem sanctam calcantes. Quum consummaverint testificationem suam*, h. e. cùm ad plenum in mundo fuerit demonstrata eorum auctoritas, & in maximam mundi partem exiverit sermo illorum, ita ut mundus jam Christum ignorare non possit, (secundùm promissionem, *Ponam legem meam in medio eorum.* Jer. 31: 33.) *Bestia ascendens ex abysso eis bellum facit.* De hac Bestiâ infra agitur cap. 13: 1. &c. Ea *bestia* sunt *gentes calcantes civitatem.* Nam *esse gentes* & *esse bestiam* fere idem est: nisi quòd *bestia* dicat Rempublicam. Sic enim Dan. 7. *quatuor bestiæ* sunt *quatuor regna.* Materia hujus reipublicæ sunt homines animales θηριώδεις. *Ascendit ex abysso.* Nempe in *terram*, quia occupat

cupat nomen Ecclesiæ, & ibi est, ubi fit sementis verbi, & fructificat. Ita cap. 2. *Ecclesia Pergamensis* dicebatur *esse*, *ubi erat thronus Satanæ*, & *ubi Satanas habitabat*. *Ex abysso*, h. e. ex mari. (Confer 13: 1.) h. e. ex gentilitate; vel *ex abysso*, h. e. ex inferno, quia sunt filii tenebrarum, filii Diaboli, ex regno ipsius prodeuntes, ad calcandam civitatem sanctam. *Bellum geret cum ipsis*, h. e. oppugnabit veritatem verbi & auctoritatem Scripturæ. *Vincet illos*, ut habeat majorem auctoritatem, quàm testes hi; *& occidet illos*, h. e. faciet falsis interpretationibus, ut dicta testium fiant *odor mortis ad mortem*, fiant instrumentum decipiendi, & vis illorum non sentiatur ab hominibus, non aliter atque si is sermo, qui est in Scripturis, non esset *gladius anceps & vivus sermo & efficax*. Hebr. 4: 12. sed veluti λόγ& ἀργὸς, *sermo inutilis*.

Vers. 8. *Et jacebunt cadavera ipsorum in foro civitatis magnæ*, h. e. litera hujus verbi per falsas interpretationes interfecta sive sensu privata & intelligentia, exstabit publicè *in magna civitate illa*, & ibi maximè, ubi homines istius civitatis congregantur. *Magna civitas* significat magnam rempublicam, sive politicè, sive etiam ecclesiasticè. Nam ecclesiasticè civitatem hîc dici apparet, quia testes hi prostant in foro ejus. *Civitas* hîc non significat prestè locum mœnibus septum, sed locum admodum spatiosum, quem occupant homines societatem inter se habentes & communi jure utentes. Quanquam alias etiam Ecclesia hieroglyphicè dicatur urbs & hæc magna civitas etiam possit cum urbe comparari, & ita metaphoricè posset dici habere mœnia: Imitatur hîc Scriptura phrasin populi Romani, cujus exemplum est in Itinerario Rutilii lib. 1. vers. 62.

Feciſti patriam diverſis gentibus unam,
Profuit injuſtis te dominante capi:
Dumque offers victis proprii conſortia juris,
Urbem feciſti, quod prius orbis erat.

Ubi videndus Barthius in animadversionibus. Videndus etiam Lipsius de magnitudine Romanâ. Notum est, tempore Apostolorum cives Romanos in quavis orbis parte natos fuisse, adeò ut Apostolus Paulus Tharsi Romanus nasceretur. Noluit spiritus nos ignorare magnam istam urbem. Ideò & vocabula Spiritus, quibus designatur in sacris literis, profert, & certo charactere eam designat. *Quæ spiritualiter dicitur Sodoma & Ægyptus*, h. e. quæ ænigmate Spiritus sancti sic appellatur in Scripturis. *Sodoma*, Ezech. 16: 55. *Et sorores tuæ Sodoma & filiæ ejus redibunt ad priscum suum statum*. & Deut. 32: 32. *Vitis eorum ex vite Sodomæ*. In iis, qui sunt tradux Sodomæ, restituitur Sodoma. *Ægyptus*, Es. 19. Ratio appellationis in analogia consistit. Nam, quemadmodum Sodoma comparatur cum Hie-

roſolyma, Eſ. 1: 10. ita etiam ſine dubio cum civitate magna, quæ dicit ſe civitatem Dei, & non eſt. Sodomæ erat quies & abundantia omnium bonorum, contemtus verò pietatis & ὕβρις in παροίκους, & ſcortatio, atque in ſcortatione everſio naturæ. Ita illa Babylon quieſcit & opulenta eſt, & fidit opibus ſuis, & contemnit pietatem, quæ in medio ipſius hoſpitatur & pios injuriis ac contumeliis vexat; ſcortatur autem & corporaliter & ſpiritualiter. Non diſſimulandum eſt, Hoſ. 11: 8. cogi nos fateri, eos, qui ab errantibus receſſerunt, etiam cum Sodoma & Seboim comparari. *Ægyptus* autem civitas illa magna appellatur ob rationem valde notabilem. Pharao volebat Iſraëlitas retinere in terra ſua & ex ea non diſcedere. Atqui metuebat, ne aliquando, rebus turbatis, inde diſcederent. Ideò hoc egit, ut *unus populus* fierent cum Ægyptiis. Quum autem Iſraëlitæ non jungerent matrimonia cum Ægyptiis; ut cogerentur filias ſuas Ægyptiis nuptum dare, maſculos juſſit interfici, primò dolo, mox & palam, edicto propoſito, ne in profluentem conjicerentur. Civitatis hujus magnæ unicum hoc conſilium eſt, colligere populos & gentes, unam civitatem ſub uno capita facere. Eſ. 66: 18. *Et, quod me attinet, opera ipſorum & cogitationes eorum venerunt ad congregandum omnes gentes & linguas: & venient, & videbunt gloriam meam.* h. e. illorum conſilium & propoſitum eſt omnes gentes congregare in unam civitatem, dicionem, πολιτείαν, *populum*, ſub homine uno, ut capite. Venient igitur: ſed videbunt gloriam meam. Ita triumphabo de illis. Sed denominatio hæc *Sodoma* & *Ægypti* etiam à litera ſumi poteſt. Sodomæ vicina loca & Ægyptus in dicione Romana fuêre. A parte totum appellari poteſt. Character evidens, quo notatur, Romanum territorium eſſe *civitatem magnam*, adjicitur à Johanne; quòd *Dominus noſter crucifixus eſt ibi* ſub Pontio Pilato judice Romano, in parte dicionis Romanæ. Judæa enim ſub Auguſto, petentibus Judæis, facta erat provincia imperii Romani, Syriæ contributa: ut Joſephus teſtatur.

Verſ. 9. *Et videbunt* quidam *ex populis & tribubus & linguis & gentibus cadavera illorum dies tres & dimidium, & ea non ſinent poni in monumenta.* Jam cognovimus, duos hoſce teſtes per tempus *beſtia facientis prophetaturos eſſe in ſaccis*, nempe *ſancta civitati.* Quanquam autem apud *magnam civitatem* non ſint vivi, ſed *cadavera*, tamen etiam inter cives illius erunt, quibus hactenus erunt vivi, ut recognoſcant illos pro teſtibus Dei, docentibus & loquentibus, qui non patiantur illos ſeponi & deponi, ut mortuos. Nempe etiam inter errantes & cum errantibus tamen erunt, qui agnoſcant ſupremam horum teſtium auctoritatem, & contendant, ex illis omnem hominem poſſe judicari. Ita uſque ad Concilium Baſileenſe obtinuit, *Concilium eſſe ſupra Papam*, h. e. poſſe Papam

ex

ex Scripturis ab Ecclesiâ judicari. Propter hos igitur & propter fideles tenentes fundamentum, & non tenentes doctrinam Bileam & Jesabelis (cap. 2: 24.) non poterunt seponi scripturæ. Videbunt, inquit, per dies tres & dimidium. Hoc duobus modis accipi potest. 1. Ut sint anni annorum. Nam 42. menses faciunt tres annos cum dimidio. 2. Ut significetur *tempus, duo tempora & dimidium temporis*, ut Cap. 12: 14. Quanquam autem hoc ipsum possit significare dies 1260. (quod apparet ex collatione cap. 12: 6.) tamen etiam potest significare tria tempora interrupta, & initium quarti temporis non interrumpendi, quibus temporibus contestatio de verbo Dei contra contemtores ejus futura erat evidentior & vehementior. Confer annot. ad Hos. 6: 2. item, quæ infra dicenda erunt ad cap. 14: 23. De quibus jam notavimus in *locis, qui de Antichristo agunt.* pag. 165. 166.

Vers. 10. *Habitantes in terrâ lætabantur super illis, & sibi dona invicem mittebant, quia hi duo Prophetæ cruciaverant habitantes in terrâ.* h. e. homines carnales, quorum similes antea, cùm primum prædicaretur Euangelium, se ejus prædicationi oppositerant, quique etiamnum veritatem oderant, quippe damnati per illos testes: putabant, se non habere illos testes amplius contrarios; sed gaudebant sua duritie & occultatione veritatis Scripturarum & sua morte. quod in re est gaudere super occisione testium Dei, ut non vivant in ipsis. *Mittent sibi dona invicem*, h. e. distributione terrarum, oblationibus, benedictionibus se mutuò honorabunt. Confer Dan. 11: 39. & ibi annotata in locis de Antichristo, pag. 89. 90.

Vers. 11. 12 *Post dies tres istos & dimidium Spiritus vitæ ex Deo intravit super ipsos, & constiterunt in pedes suos, & timor magnus cecidit in spectantes ipsos, & voce magna citati sunt, ut ascenderent in cœlum, & ascenderunt in nube, & viderunt ipsos hostes ipsorum.* Hoc est, quarti diei sive temporis parte aliqua elapsa, efficiet Deus, ut sentiant hostes veritatis, se testimonio testium duorum convinci. Multi enim, Deo excitante, scrutabuntur Scripturas, & fortiùs, quàm unquam aliâs, mendacia Antichristiana confutabunt. Tunc igitur timor cadet super homines. Testes autem, tanquam divina voce vocati thronum in Ecclesiâ occupabunt, h. e. cognoscetur, hanc voluntatem Dei esse, ut hi testes soli prophetent, & in nullius potestate sint constituti. *Ascendent* quidem, sed tanquam *in nube*, quia illa exaltatio fiet cum aliquo scandalo, ut oporteat oculo fidei rem ipsam ab apparentiâ distinguere. Nisi velimus *nubem* interpretari *magnificam* quandam *gloriam*. quæ exaltationem testium comitata est. Certè dicit, *vidisse illos ascendentes hostes ipsorum*, h. e. convictos fuisse de exaltatione illorum. Hic animadvertenda parallelia duplex. Primò, quòd, quando

testes hi ascenderunt in cœlum, stella illa, cui data est clavis putei abyssi, decidit de cœlo, cap. 9: 1. Quodque tum *cœlum novum* & *terra nova* facta est, saltem ratione eorum, qui Christum caput, & Prophetiam horum testium pro solo verbo Dei habent, qui necessariò intelliguntur separati ab eis, qui aliud caput & aliud verbum suscipiunt. Secundò, quòd ex hoc tempore *homines quæsierint mortem, & fugerit ab ipsis.* Nam, quia vident *testes* collocatos *in cœlo*, & iis officium judicandi esse commissum, & tamen *hostes* sunt, quemadmodum vellent, testes illos adhuc esse mortuos, ita se ipsos quoque optant esse mortuos, ut non *crucientur à testibus.* quod tamen assequi non possunt.

Vers. 13. *Et in illâ horâ factus est terræ motus magnus.* hoc est, magnus tumultus inter gentes exstitit. Quo refer bellum Germanicum, superiori seculo actum, & Bella, quæ in Galliâ pro religione & contra illam sunt suscepta; item motus Belgii. Hic terræ motus distinguendus est ab illo, qui sequitur sub sigillo sexto cap. 6: 12. *Et decima pars civitatis cecidit. Civitas magna* eo tempore, quo testes exaltabantur, habebat *decem* partes: inde etiam *bestia* dicitur habere *decem cornua*, cap. 13: 1. Sume ita computum. 1. Italia. 2. Germania cum Bohemia. 3. Polonia. 4. Hungaria. 5. Suedia. 6. Dania & Norwegia. 7. Scotia. 8. Anglia & Hybernia. 9. Gallia. 10. Hispania. *Decima* igitur *pars civitatis* notat regnum unum ex decem, nempe Galliam, quæ cùm afflictissima fuisset temporibus Henrici secundi, Francisci secundi, Caroli noni, Henrici tertii, eo occiso, collapsa est, cùm Henricus quartus non, nisi bello longo tempore gesto contra fœderatos, ad coronam pervenire potuit, & rempublicam constituere. *Et occisa sunt in terræ motu hominum chiliades, & familiæ septem.* Medus in clavi Apocalyptica non malè conjectat, *nomen* hîc significare genera hominum, ut dicimus, Romanum, Latinum *nomen.* Æschines dixit ὄνομα δικαῖον. Sed mirabitur aliquis, quomodo *genera hominum septies mille*, dicantur occisa. Sed tenendum est, quod vox *chilias* respondeat Hebræo אֶלֶף. quod non semper *mille*, sed etiam *familias* significat. Et hoc loco, præterquam quod ὀνόματα hominum possint significare multa genera hominum, vel etiam axiomata & titulos τῆς ἀνθρωπίνης κλίσεως (ut loquitur Petrus 1. epist. 2: 13.) etiam per septem chiliadas possunt intelligi septem ἡγεμονίαι. Quod Mich. 5: 2. dicitur ἐν χιλιάσιν, id Matth. 2: 6. dicitur ἐν ἡγεμόσιν. Ergo non dubitamus dicere, hæc verba prophetiæ esse accommodata ad significandum id, quod in Belgio gestum est: in quo, cùm pacificatio Gandavensis non ab omnibus æquè sanctè observaretur, Princeps Arausionensis, veritus dissolutionem totius corporis, auctor fuit arctioris fœderis ineundæ certis provinciis, & ad illud alias invitandi. Coierunt septem Provinciæ

vinciæ in fœdus, & protracto bello, eædem exauctorarunt Philippum; in cujus perſona Dux Geltriæ, Comes Hollandiæ & Zelandiæ, Dominus Friſiæ, & Groningæ, & ſi qua alia politica prærogativa nominata eſt, enecti ſunt. Eodem tempore ceciderunt ſeptem Epiſcopi, & ipſorum ἡγεμονίαι, partim novæ à Paulo quarto inſtitutæ, partim veteres: Epiſcopus Harlemenſis, Middelburgenſis, Trajectenſis, Leovardienſis, Groningenſis, Daventrienſis, Ruremondenſis, ſaltem quoad dicionem, quam tenuit in terra fœderatorum. Hoc fuit præludium caſus ſiderum de cœlo: de quo eſt ſub ſigillo ſexto. Nam in toto orbe Euangelico per Reformationem non ſunt ſublati Epiſcopi, niſi in Belgio. *Et reliqui conterriti ſunt, & dederunt gloriam Deo cœli*, h. e. Deus perculit animos reliquorum, ut agnoſcerent divinam manum, & ſentirent, ſe ei reſiſtere non poſſe, ac concederent pacem Proteſtantibus in Germania, in Gallia, denique etiam in Belgio. Hoc fuit *dare gloriam Deo cœli*, in oppoſitione illius, qui vocatur *Deus terræ*. Primò, quia ſenſerunt ſe illi reſiſtere non poſſe. Quæcunque res ſupra humanas vires à Deo regitur, in tali re cedere, eſt Deo cedere. Secundò, quòd multi Principes judicarunt, religionem non imperandam, ſed ſuadendam eſſe, & ſolum Deum habere poteſtatem in hominum animas.

Verſ. 14. Hic eſt tranſitio à tuba ſexta ad ſeptimam. *Væ ſecundum abiit*, hoc eſt, hic eſt terminus ſecundæ calamitatis, ſive illa planè nova fuerit, ſive vetus novo genere calamitatis cumulata. *Ecce væ tertium venit citò.* hoc eſt, ſuccedet tertium tempus judicii ſub tuba ſeptima. In quo judicio etiam vetera mala, ut perſeverantia, contineri poſſunt. Hæc eſt clauſula tubæ ſextæ. Cujus effectus ἐπεξηγήσει, quæ eſt cap. 11. à verſu primo ad decimum quartum fuit illuſtratus. Nam *væ ſecundum* non eſt in *terræ motu*, qui deſcribitur verſ. 13. neque ejus finis in *timore* illorum, qui *dederunt gloriam Deo*, (nam ea pertinent ad tubam quintam, atque adeò ad *Væ primum*) ſed *væ ſecundum* eſt in *terræ motu ſigilli ſexti*, in *ſolutione Angelorum ligatorum ad Euphratem*, & in *expeditione exercitus equeſtris.* De quo vidimus cap. 9. verſ. 16. — 19. *Tertium* autem *væ* conſiſtit in eis, quæ commemorantur ſub tuba ſeptima verſ. 18. Quòd autem illi terræ motus, is, qui hîc cap. 11: v. 13. deſcribitur, & is, qui cap. 6. v. 12. notatur, diſtincti ſint, hoc argumento poteſt eſſe clarum. Quia terræ motus hic capitis undecimi, verſu tertio decimo, oritur tum, quando duo teſtes aſcendunt in cœlum, hoc eſt, quando id agitur, ut liceat, non nominato nomine hominis aut hominum, nominare illos teſtes, qui omni tempore adſtant Deo totius terræ ad illius regnum erigendum & confirmandum, & juxta teſtimonium illorum loqui & agere, & non loqui

qui & agere, quæ homines præterea præcipiunt dicenda & agenda. At terræ motus, qui fit cum apertione sigilli sexti, succedit pacificationi, per quam justificata est causa eorum, qui propter sermonem Dei & testimonium, quod habebant, occisi sunt. Ergo sequitur pacificationem, quæ est terræ motus præcedentis sedatio & sanatio. Deinde consequentia utriusque terræmotûs non sunt eadem. Nam hîc cadit decima pars urbis & occiduntur nomina hominum septem chiliades. Cæteri dant gloriam Deo. At terræmotum sigilli sexti sequitur casus siderum de cœlo, & convolutio cœli &c. Ne hoc quidem dubium videri potest, quod dicitur de prædicatione testium per 1260. dies, & de pugna bestiæ cum eis in magna civitate, non posse conferri in aliud tempus, quàm quod designavimus. Antecedit illos dies 1260. quòd hi testes peregerunt testificationem suam. In fine est illorum ascensio in cœlum in conspectu hostium, cum terræ motu. Quis non intelligit, significari prædicationem Prophetiæ & Euangelii primam, eique succedentem corruptionem doctrinæ & erectionem Civitatis humanæ, tanquam Ecclesiæ, & tum assertionem auctoritatis Scripturæ & ejus receptionem, ut regulæ, in Ecclesia? Sed de diebus 1260. etiam infra cognoscemus cap. 12. & 13.

TUBA SEPTIMA.

15. Καὶ ὁ ἕβδομος ἄγγελος ἐσάλπισε, καὶ ἐγένοντο φωναὶ μεγάλαι ἐν τῷ οὐρανῷ, λέγουσαι· Ἐγένοντο αἱ βασιλεῖαι τοῦ κόσμου τοῦ Κυρίου ἡμῶν, καὶ τοῦ Χριστοῦ αὐτοῦ, καὶ βασιλεύσει εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων.

16. Καὶ οἱ εἴκοσι τέσσαρες πρεσβύτεροι οἱ ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ καθήμενοι ἐπὶ τοὺς θρόνους αὐτῶν ἔπεσον ἐπὶ τὰ πρόσωπα αὐτῶν, καὶ προσεκύνησαν τῷ Θεῷ,

17. Λέγοντες· Εὐχαριστοῦμέν σοι, Κύριε ὁ Θεὸς ὁ παντοκράτωρ, ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος· ὅτι εἴληφας τὴν δύναμίν σου τὴν μεγάλην, καὶ ἐβασίλευσας·

18. Καὶ τὰ ἔθνη ὠργίσθησαν, καὶ ἦλθεν ἡ ὀργή σου, καὶ ὁ καιρὸς τῶν νεκρῶν, κριθῆναι, καὶ δοῦναι τὸν μισθὸν τοῖς δούλοις σου τοῖς προφήταις, καὶ τοῖς ἁγίοις καὶ τοῖς φοβουμένοις τὸ ὄνομά σου, τοῖς μικροῖς καὶ τοῖς μεγάλοις· καὶ διαφθεῖραι τοὺς διαφθείροντας τὴν γῆν.

19. Καὶ ἠνοίγη ὁ ναὸς τοῦ Θεοῦ ἐν τῷ οὐρανῷ, καὶ ὤφθη ἡ κιβωτὸς τῆς διαθήκης αὐτοῦ ἐν τῷ ναῷ αὐτοῦ· καὶ ἐγένοντο ἀστραπαὶ καὶ φωναὶ καὶ βρονταὶ καὶ σεισμὸς καὶ χάλαζα μεγάλη.

VERS. 15. *Et septimus Angelus buccinavit, & factæ sunt voces magnæ in cœlo, dicentes: Facta sunt regna mundi Domini nostri & Christi ejus; & regnabit in secula seculorum.*

16. *Et viginti quatuor Seniores illi, qui coram Deo sedebant in thronis suis, ceciderunt in facies suas & adoraverunt Deum,*

17. *Dicentes, Gratias tibi agimus, Domine, Deus omnipotens, qui es, & qui erat & qui venis: quia accepisti potentiam tuam magnam & rex factus es.*

18. *Et gentes iratæ fuerunt, & venit ira tua & tempus mortuorum, ut judicentur, & dandi mercedem servis tuis prophetis & sanctis & timentibus nomen tuum, parvis & magnis, & corrumpendi corrumpentes terram.*

19. *Et apertum est templum Dei in cœlo, & visa est arca fœderis (vel Testamenti) ipsius in templo ipsius: & factæ sunt fulgura & voces & tonitrua & terræ motus & grando magna.*

Vers.

Vers. 15. --- 19. *Septimo Angelo buccinante, facta sunt voces in cœlo. In cœlo.* Vocati & nomen Ecclesiæ ferentes sine fide dicuntur *habitantes in terra.* Fidelium πολίτευμα in cœlis est. Sunt in Hierosolyma nova, quæ de cœlo descendit. Quod in terris agunt fideles, in cœlo agunt, quia meliore sui parte in cœlis sunt. Hæc vociferatio respondet (quantum judicare possum) *silentio semihorii* sub sigillo septimo cap. 18: 1. Voces hæ sunt gratulatoriæ: *Facta esse regna mundi Domini nostri & Christi ipsius, ut is regnet in secula seculorum.* Hoc est regnum, in quod oportet nos intrare per multas afflictiones. Actor. 14: 22. Id prædictum est Dan. 2. & 7. & in eo terminantur omnes prophetiæ. Credibile est, has esse voces turbæ innumerabilis candidatorum, palmas gerentium, cap. 7: 9. & iis respondet illorum δοξολογία, ibid. vers. 12. Item, quod dicitur cap. 3: 20. *sto ad ostium & pulso.* Quando enim in omnibus populis pulsat, omnia regna sunt Christi.

Vers. 16. Sequitur *voces* Seniorum adoratio, & gratiarum actio. In quâ gratiarum actione continetur narratio rerum gestarum ante illas voces.

Vers. 17. Gratias agunt Deo sub nomine κύριε, quod hic respondet vocabulo יהוה. Ei tribuunt sua attributa, nempe esse *Deum omnipotentem*, & omni tempore suas virtutes demonstrantem, & in posterum demonstraturum. Confer cap. 1: 2. Ratio gratiarum actionis est, *quia sumsisti potentiam tuam magnam, & regnum occupasti.* ᾧ ἐβασίλευσας respondet Hebræo יְהִי מָלַךְ. מָלַךְ significat non tantùm *regnum tenuisse*, sed etiam *regem factum esse*, atque ita *etiamnum regnare.* Hoc regnum est profectus & coronis regni Dei in Novo Testamento. In Novo enim Testamento Deus *regnat* solus, absque Principibus seculi prioris. Sed regnum Dei habet profectus. Primò est in eis, qui credunt Euangelio; etiamsi pauci sint. Fit deinde *regnum Dei in gentibus*, quando Euangelium & prædicatur & creditur in gentibus; etiamsi pauci è gentibus credant. Amplius *regnat*, quando fugat hostes: qui diversi sunt. Reges regnum Christi rejicientes: reges putantes se Christi regnum erigere, quum tamen regnum Bestiæ & Meretricis erigant. Illi Christi nomen oppugnant, hi Christi nomen usurpant. Illorum fuga facta est in Imperio Romano primùm. Successerunt in locum, qui nomen Christi nominarunt. Ex quibus fuerunt aliqui pii & Ecclesiæ nutricii, alii structores Babylonis & adorantes Deum Maüzzim in suo δοχείῳ sive *receptaculo.* Et hi quidem conjuncti fuerunt cum Ecclesia. Fuerunt & extra Ecclesiam, qui Christum nominarunt, sed ita, ut eorum doctrina esset Absinthium. Quando autem reges dederunt suam potestatem Meretrici, ut est cap. 17. v. 13. & ita eorum potestas facta est potestas

Mortis dominantis inter fideles, habuit Agnus &, qui cum ipso, pugnam. Regnat Christus etiam in pugna. Magis autem regnat, quando sancti educuntur ex manu & potestate illorum, & in pace Christo serviunt. Quibus hoc contingit, ad eos regnum Dei pervénit. Sed, etiamsi regnet ita Christus in quibusdam: tamen nondum omninò regnat, quamdiu aliqui, qui ipsius sunt, cum dominatione hominum & persecutione conflictantur. In ipsa quoque Ecclesia, quæ exiit ex Babylone, regnum Christi eò magis amplificatur & evehitur, quò magis cognitio & pietas abundat, & non auctoritas hominum, sed solius Dei in ea prævalet reverentia, & Ecclesia id facit liberè, quod Christus eam facere jussit, neque quisquam quid facit, quod faciendi potestatem Christus non dedit. Quia autem Christus & Ecclesia habet promissionem, omnes populos ei subjectum iri; quando id factum fuerit, quum habebit Ecclesia fratres in omnibus populis, & ii nutrientur à populis, & pace fruentur, & quum Christus adversarios suos compresserit, & injustitia os suum clauserit, novo quodam modo regnabit, imò tunc demum *Regnabit* & cum ipso Ecclesia. Et, quia Corinthii huc usque non pervenerant, negat Apostolus eos adhuc regnare. 1 Cor. 4: 8. *Jam satiati estis, jam facti estis divites, sine nobis* ἐβασιλεύσατε *regnum accepistis. Et utinam* ἐβασιλεύσατε *regnum accepissetis: ut & nos vobiscum regnemus!* Quamdiu Ecclesia non est liberata à persecutoribus & Christus non habet regnum in eo modo, quem promissio summum portendit, est, quod exspectet Ecclesia. Si autem de eo modo dicendum nobis esset, longi essemus. Cogeremur enim recitare omnia Scripturæ dicta, quibus regnum Dei, quemadmodum id habebit proximè ultimum judicium, descriptum est. Nam qui nos sumus, ut aliquid præter scripturam de ea re possimus dicere? aut quod non facilè quivis intelligat, si scripturas audiat? Nec tamen video, quomodo possim supersedere quorundam insignium locorum recitatione: quandoquidem hoc tempore in mundo de regno Christi tanta dissensio est, & multi ne attendunt quidem ad prophetias. Sit igitur cum primis certum, sub septima tuba regnum Dei fore, & quidem novo quodam modo, atque alio, quàm antehac, sive latitudinem spectes, sive libertatem à jugo hominum, adeò ut dici possit, tum demum regnum capessivisse: ut Apocalypsis loquitur. Quæ autem in cætera Apocalypsi huc pertinent, jam adhuc omittimus. Tantùm, quæ cap. 7. dicta sunt de *innumerabili multitudine ex omni gente palmas & candidas togas gerentium* & de eorum statu, hîc omninò repetenda sunt. Vide vers. 9. & 15.16.17. Ubi inter cætera. *Non sitient. non feriet eos æstus. Agnus eos pascet. Deus absterget omnem lacrymam.* Quod verò attinet prophetias alias, notanda ante omnes promissio: *Sic erit*

erit semen tuum. Gen. 15: 5. Primò innumerabile: deinde & in tota terra. Ut nullus locus terræ est, in quo non videantur stellæ. Adde jam ista, ut illius commentarium. Deut. 32: 43. *Cantate, gentes, populus ejus: quia sanguinem servorum suorum vindicat, & vindictam reddit hostibus suis, & expiat* TERRAM SUAM, *populum suum.* Es. 19: 24. 25. *Eo die erit Israël tertia Ægyptiis & Assyriis, benedictio in medio terræ: quòd benedixerit eum Jehovah Deus exercituum, dicendo: Benedictus populus meus Ægyptii, & opus manuum mearum Assyrii, & hæreditas mea Israël.* Confer cap. 27: 13. Pono extra dubium, toto capite agi de regno Christi. Es. 24: 23. *Et compungetur Luna, & pudesiet Sol; quum regnum capesserit Jehovah* Deus *exercituum in monte Sion & Hierosolymis.* Tum cap. 25: 7. *Et abolebit faciem veli.* vers. 8. *Abolevit Mortem etiam atque etiam, & absterget omnem lacrymam ab omni facie, & opprobrium populi sui faciet recedere ab omni terra: quia Jehovah locutus est.* Pono, cap. 23. 24. 25. agi de regno Christi: quem admodum & canticum, quod est cap. 26. non potuit cani, nisi in diebus Christi. Quod ad hanc rem illustrandam non parum facit. Es. 30: 32. *Et erit omnis locus translationis virgæ fundationis, quam faciet Jehovah quiescere super eo, cum tympanis & citharis: & contra quam (fundationem) præliis agitationis pugnaverit.* Non prætermitto locum Es. 52: 13. 14. 15. Es. 54: 2. 3. 4. 5. *Dilata locum tentorii tui & cortinas tabernaculorum tuorum extendant, noli parcere; prolonga funes tuos & paxillos tuos firma. Nam dextrorsum & sinistrorsum erumpes, & semen tuum gentes hæreditabit, & civitates desolatas habitatoribus complebunt. Noli metuere, quia non pudefies, & ne confundaris, quia non compungeris. Nam pudorem adolescentiæ tuæ obliviscêris & opprobrium viduitatis tuæ non recordaberis imposterum. Nam, qui habent te, qui fecerunt te, Jehovah Deus exercituum nomen ejus, & assertor tuus Sanctus Israëlis Deus totius terræ appellabitur.* Es. 59: 20. est locus, quem Apostolus citat Rom. 11: 26. volens demonstrare conversionem Judæorum & introitum plenitudinis gentium. Es. 66: 19. 20. 21. 22. Jerem. 31: 38. 39. 40. dicitur Hierosolyma reædificanda. Perinde est, sive intelligas, sanandas esse Ecclesiæ rupturas in omnibus locis, in quibus unquam fuit, sive ædificationem Hierosolymæ, ut habitetur à populo Dei. Quod fieri non poterit, nisi maxima imperia quiescant & Ecclesiam patiantur. Omitto prophetiam Ezechielis de Gogo & Templo. Ex minoribus Prophetis hæc sufficient. Mich. 4: 6. 7. *Recipiam claudicantem & propulsam congregabo & quam malo affeci. Et ponam claudicantem in reliquias, & longè amotam in gentem numerosam: & regnabit Jehovah super eis in monte Sion à nunc in seculum.* Junge cap. 7: 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. Zoph. 3: 19. 20. Zach. 14: 9. *Et erit Jehovah rex super totam terram.* 10. 11. 12. Dan. 2:

34-35. *Lapis excisus est* (quis ille, nisi Christus?) *qui non* erat *in manibus*, à nullo portabatur, *qui fregit totam* statuam, & *factus est mons magnus, implens totam terram.* Dan. 7: 27. *Et regnum ac potestas & majestas regnorum sub cœlo data est populo sanctorum Altissimorum, cujus regnum erit regnum perpetuum, & omnes habentes potestatem servient ei & obedient.* Est, qui hoc vult intelligi de regno gloriæ, quia *judicium dicitur consedisse*, vers. 26. unde colligit, quod post ultimum judicium futurum est, non posse nisi statum gloriæ significare. Sed, quia hæc de statu gloriæ intelligi non possunt (nam in eo gentes non serviunt Ecclesiæ, & Ecclesia non obtinet majestatem regnorum mundi, sed in gloria regni cœlestis est) ideò oportet intelligere *judicium*, quod in terris fit per Ecclesiam *ex libris* Scripturæ. De quo mox vers. 18. & cap. 20: 12. Addamus etiam aliquid ex verbis Christi. Matth. 24: 14. *Et prædicabitur hoc Euangelium regni in tota habitabili in testimonium omnibus gentibus.* Quidam censent, id *successivè* futurum. Sed quid? an etiam *successivè* intelligendum est, quod vers. 30. dicitur: *Et tunc apparebit signum filii hominis in cœlo & TUNC plangent omnes tribus terræ?* &c. Rom. 11: 20. *Donec plenitudo gentium intret.* Ego de his nihil habeo dicendum, quod non omnibus pateat, dicendum esse. Nihil enim oportet nos addere ad ea, quæ legimus: ut nec quicquam detrahere. Hoc certum est, bonum esse, & supra tempora præcedentia, quod hîc promittitur; sed quod sine afflictione obtineri non potest. Igitur *Dominus noster*, qui nos creavit, qui nos ut peculium suum elegit, qui in nobis vult condecorari, qui nos non vult alienari, *regnabit*, sive *regnum capesset*, quemadmodum olim sine principibus & potestatem habentibus sive *diis nominatis à Filio Dei* (Psalm. 82. 6.) ita deinceps sine potestate *Bestiæ* & *Imaginis ejus* & *Pseudoprophetæ. Regnabit* in contradistinctione bestiæ, & imaginis ejus. Quæ ἀνθιστολὴ cognosci potest ex Es. 26: 13. *Domine Deus noster, habuerunt nos domini præter te: tantùm per te solum commemoramus nomen tuum.*

Vers. 18. Hic est illustratio ejus, quod dixerant, *sumsisse potentiam suam magnam*, ab occasione, fine, effecto. Occasio, *gentes iratæ fuerant.* Ira gentium descripta est cap. 9: 14. & seqq. *Et venit ira tua.* Confer 6: 17. *Et tempus mortuorum, ut judicarentur.* Mortui hîc dicuntur ii, qui *secundâ morte mortui* sunt, non participes *primæ resurrectionis*, de quâ cap. 20: 5. 6. Quæ mors notatur cap. 3: 1. Qui mortui pertinent ad turbam illius Rectoris, qui vocatur *mors*, cap. 6: 8. De iis loquitur Es. 26: 14. *Mortui non reviviscunt. Judicium* id est, de quo cap. 20: 12. & Dan. 7: 10. Judicium hoc agitur per Scripturam, cujus effectus est, *conjici in stagnum ignis.* cap. 20: 15. Finis summæ potentiæ est, ut *reddatur merces. Venit tempus dandi merce-*

mercedem servis tuis Prophetis, & sanctis, & timentibus nomen tuum, parvis & magnis. Confer. Deut. 32: 36. *Nam judicabit vel vindicabit Dominus populum suum & super servis suis pœnitebit eum.* Collato Psalm. 90: 13. *Revertere, Domine, quousque? & pœniteat te super servis tuis.* Es. 61: 8. *Et dabo operæ precium eorum in veritate.* *Prophetis* reddenda est amplificatio regni Dei, propter quod laborarunt, & passi sunt. *Prophetæ* non tantùm ii sunt, qui sub Vetere Testamento locuti sunt de diebus Christi: sed etiam, qui verba διάνοιας apud Ecclesiam cum demonstratione veritatis exposuerunt. Sunt *Prophetæ*, qui loquuntur, quod Unctio etiam omnes docet, per verba, quæ ipsa docuit, & ad omnes pervenerunt, & secundùm conformitatem fidei ipsorum; quia omnes (qui legem Dei omnibus patefactam in cordibus scriptam habent) norunt omnia, & *cognoscunt Dominum*, adeò ut nemo eis dicere possit, *cognosce Dominum.* 1 Joh. 2: 20. 27. Jer. 31: 33. 34. Rom. 12: 6. Sunt & *pseudoprophetæ*, qui loquuntur sine vocibus Spiritus sancti, & sine φανερώσει τῆς ἀληθείας πρὸς πᾶσαν συνείδησιν ἀνθρώπων, *manifestatione veritatis ad conscientiam omnium hominum*, & loquuntur alia, quæ non conveniunt cum fundamento, quæque non cum pari auctoritate pervenerunt ad omnes, & dicunt, se habere verbum, per quod cognoscant Dominum, qui legem Domini, quæ ad omnes pervénit, cordibus inscriptam habent; quasi illi Dominum non cognovissent: & volunt sibi credi, quia ipsi vel cum multis vel cum uno (quem *dominum linguæ* constituerunt, Psalm. 12: 5.) loquuntur, vel quia habent nomen, veluti Episcoporum, & potestatem datam ab hominibus. De quibus *pseudoprophetis* agitur cap. 13: 12. 13. 14. 15. & cap. 19: 20. & cap. 20. 10. *Sanctis.* Hoc est nomen omnium fidelium: qui in sanguine Christi purgati & Spiritu Christi sanctificati sunt ad amandum Deum & sanctitatem ejus. Iidem vocantur *timentes Deum*; quia ipsi obediunt, & judicium ejus justum reverentur, & timent eum perdere & in eo non ditari; ideoque *retinent verbum ejus*, idque cum corde contrito audiunt, & amant, nec ab eo recedunt ad aliud verbum. *Parvi & magni* dicuntur ratione duorum. Comparari hæc debent cum eis, quæ Apocalypsis dicit de regno, quod non est Christi regnum. Ita in Christi regno sunt *servi Dei*, iique *prophetæ*, *sanctique* cæteri, qui *timent Deum*, *parvi & magni.* Nihil amplius. In alio regno *Locustæ*, *Equi cum capitibus leonum & caudis serpentinis & sessoribus*; *Bestia* & *Pseudoprophetæ* & *Imago Bestiæ*, & *Signatura ejus*; *Bestia* & *Meretrix* sedens in ea cum omni suo fuco; *Gog* & *Magog.* Opus est in *destructione perdentium terram*, hoc est, eorum, qui & Ecclesiam & Politiam corruperunt, & in Ecclesia fuerunt *Mors*, & principes fecerunt *Infernum.* Confer Es. 14: 20. *Terram tuam corrupisti.* Cum hoc

opere jungendus *casus siderum de cœlo, convolutio cœli, fuga montium & insularum, fuga regum ad montes & cavernas terræ.* Cap. 6: 13. 14. 15. 16. Hîc intelligendum est *judicium magnæ meretricis* & siquæ alia adhuc insequentia explicabuntur. Verba autem presbyterorum non necessariò prædicant, totam rem peractam esse, sed, *temporis venisse, ut fiat*; quemadmodum etiam Angelus jurabat cap. 10. mox omnia perficienda esse. Conveniunt, inquam, verba illorum initio rei gerendæ.

Vers. 19. Johannes porrò continuat visionem, qua explicatur, quid *vocet cœlestes* secutum sit aut cum eis conjunctum fuerit. *Apertum est templum Dei in cœlo*, h.e. cognita est vera Ecclesia habens communionem cum sanctis in cœlo, & offendicula antehac posita intrantibus in illam sublata sunt. Confer, quod dicitur cap. 15: 8. *nemo poterat in templum intrare* &c. ubi dicitur, propter fumum non potuisse homines intrare. Fortasse igitur iste fumus dissipabitur, h. e. potestas mundana in Ecclesia cessabit: quæ vocatur *velum obscurum*, qua est Es. 24: 21. 22. 23. *Et visa est arca testamenti ipsius.* Christus, homo, factus sub legem, ut fieret justitia nostra, in quo Deitas habitat corporaliter, ad quem accedentes, tanquam ἱλαστήριον, habemus unionem cum Deo, Ecclesiæ suæ præsens est agnitus. *Et facta sunt coruscationes & voces & fulmina, & terræ motus & grando magna.* h. e. plenus fuit mundus vocibus de veritate & falsitate, lumen super lumen factum est, hostes unus post alium destructi sunt, rumores auditi sunt, bellum conflatum est, calamitates passim accidere, ut vix quisquam in tuto esse posset. De his infra cap. 16: 18. — 21.

CAPUT DUODECIMUM.

POst epistolas, sigilla, tubas, & ἐπεισόδιον capitis undecimi sequitur visio quinta, Bellum Draconis & Bestiæ. Et capite quidem duodecimo habemus Bellum Draconis, in quo observamus 1. πρόταστν, quæ exhibet personas, Mulierem vers. 1. 2. Draconem vers. 3. tum belli initia h.e. ἀφορμὰς in effectu Draconis, & conatu vers. 4. & in Mulieris partu, & effugio, ratione sobolis, & ipsius, vers. 5. 6. 11. rem gestam in cœlo, vers. 7. 8. 9. 10. 11. 12. in eremo, vers. 13. 14. 15. 16. 111. χαλασφορὼ, vers. 17. 18.

MU-

MULIER ET DRACO.

1. Καὶ σημεῖον μέγα ὤφθη ἐν τῷ οὐρανῷ· γυνὴ περιβεβλημένη τὸν ἥλιον, καὶ ἡ σελήνη ὑποκάτω τῶν ποδῶν αὐτῆς, καὶ ἐπὶ τῆς κεφαλῆς αὐτῆς στέφανος ἀστέρων δώδεκα·

2. Καὶ ἐν γαστρὶ ἔχουσα κράζει ὠδίνουσα καὶ βασανιζομένη τεκεῖν.

3. Καὶ ὤφθη ἄλλο σημεῖον ἐν τῷ οὐρανῷ, καὶ ἰδοὺ δράκων μέγας πυρρὸς, ἔχων κεφαλὰς ἑπτὰ καὶ κέρατα δέκα· καὶ ἐπὶ τὰς κεφαλὰς αὐτοῦ διαδήματα ἑπτά.

4. Καὶ ἡ οὐρὰ αὐτοῦ σύρει τὸ τρίτον τῶν ἀστέρων τοῦ οὐρανοῦ, καὶ ἔβαλεν αὐτοὺς εἰς τὴν γῆν· καὶ ὁ δράκων ἕστηκεν ἐνώπιον τῆς γυναικὸς τῆς μελλούσης τεκεῖν, ἵνα, ὅταν τέκῃ, τὸ τέκνον αὐτῆς καταφάγῃ.

5. Καὶ ἔτεκεν υἱὸν ἄρσενα, ὃς μέλλει ποιμαίνειν πάντα τὰ ἔθνη ἐν ῥάβδῳ σιδηρᾷ· καὶ ἡρπάσθη τὸ τέκνον αὐτῆς πρὸς τὸν Θεὸν καὶ τὸν θρόνον αὐτοῦ.

6. Καὶ ἡ γυνὴ ἔφυγεν εἰς τὴν ἔρημον, ὅπου ἔχει τόπον ἡτοιμασμένον ἀπὸ τοῦ Θεοῦ, ἵνα ἐκεῖ τρέφωσιν αὐτὴν ἡμέρας χιλίας διακοσίας ἑξήκοντα.

VERS. 1. *Et signum magnum visum est in cœlo: Mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus ejus, & in capite ejus corona stellarum duodecim.*

2. *Et uterum gerens clamabat parturiens & cruciata ad pariendum.*

3. *Et visum est aliud signum in cœlo, & ecce Draco magnus fulvus, habens capita septem & cornua decem, & in capitibus suis diademata septem.*

4. *Et cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum cœli, & conjecit eas in terram, & Draco stabat coram Muliere, quæ paritura erat; ut, quum peperisset, prolem ejus deglutiret.*

5. *Et peperit filium marem, qui pasturus erat omnes gentes virga ferrea. Et raptus fuit filius ejus ad Deum & thronum ejus.*

6. *Et Mulier fugit in desertum, ubi habebat locum paratum à Deo, ut ibi nutrirent eam dies mille ducentos & sexaginta.*

Vers. 1. 2. *Signum magnum visum est in cœlo, mulier amicta sole, lunam sub pedibus habens; & supra caput coronam stellarum duodecim; parturiebat, & vociferabatur in partitudine, & cruciabatur, ut pareret.* Est pictura sive emblema significans Ecclesiam fidelium Veteris Testamenti luce verbi divini radiantem, potestate mundana regiminis seniorum suffultam (solemus enim per *lunam* intelligere id, quod recreationem & solatium præbet in hoc mundo; qui est plenus tenebris: velut Luna noctem luce sua distinguit & jucundiorem facit) coronatam sanctis, prophetis, patriarchis duodecim tribuum: quæ expectabat Christum, & in illius expectatione angebatur & cruciabatur. Spes enim habet instar partiritionis. Et verò ipsum, quod expectabatur, erat nativitas filii Dei ex ipsa. De hac spe vide Act. 26: 6. 7. Confer phrasin Joh. 16: 21. 22. Es. 26: 18. Cant. 8: 5. & rem Apoc. 5: 4. *In cœlo visa est hæc Mulier*, quia Israëlitæ fideles, qui in terra erant, & Christum cum desiderio & anxietate expectabant, quoad hoc habebant mentem & cor patrum, qui in cœlis erant; ubi etiam civitas eorum erat; quam Deus ipsis præparaverat; qui Deus ipsorum

ipsorum vocabatur, Hebr. 11: 16. cujus civitatis pignus possidebant, terram sanctam; ipsorum πατρὶς *patria* & *hæreditas* nuncupabatur, quum *patria* & *hæreditas* eorum esse non posset. Itaque per ipsum *pignus*, quod habebant in terra, extollebantur ad desiderium cœlestium, & ad cogitationes eorum, qui in cœlis erant.

Vers. 3. *Et visum est aliud signum in cœlo: draco magnus rufus habens capita septem & cornua decem, & in capitibus diademata septem. Draco in cœlo visus est*, quia ipse quoque ingressus est in pomœria Ecclesiæ parturientis, cujus patria est cœlum. Imò habuit potestatem etiam in eos, qui sedebant in throno Mosis, & tanquam *cœlum* populi Israëlitici constituebant.

Draco notat *diabolum*. vers. 9. Vocatur autem Draco, non tantùm à larva, quam assumsit in paradiso, sed, quia magnum corpus habuit in mundo, quod regebat, & per quod nocebat. Solent autem magna imperia mundana per emblema bestiarum & draconum terrestrium, cetorum, & draconum aquatilium, adumbrari. Vide Es. 27: 1. *Illo die visitabit Jehovah gladio suo difficili & magno & valido super Leviathan, serpente impetuoso, & super Leviathan, serpente tortuoso, & occidet Draconem, qui est in mari.* Ita Ezech. 29: 3. Rex Ægypti cum *dracone magno cubante in amnibus suis* comparatur. *Rufus*, quia est *homicida ab initio*, & imperium, quod illius tanquam corpus erat, multo sanguine erat contaminatum. Nullum enim imperium est, per quod plus sanguinis effusum sit, quàm per Romanos. *Capita septem* sunt *septem* regiones imperii Romani, quod erat, instante nativitate Christi: Italia, Gallia, Hispania, Africa, Syria, Asia, Græcia. cum his appendices sunt intelligendæ. Confer cap. 17. 9. *Decem cornua*, nempe in capite per hæc cæteris capitibus imperante. Hæc non sunt confundenda cum decem cornibus bestiæ. Intelligo decem imperatores, qui Ecclesiam persecuti sunt, usque ad reformationem imperii Romani. Augustinus de civitate Dei lib. 18. c. 52. eos sic recenset. Nero, Domitianus, Trajanus, Antoninus, Severus, Maximinus, Decius, Valerianus, Aurelianus, Diocletianus. *Et in capitibus septem diademata*, h. e. singula capita poterant esse magna imperia, & olim gestarant diademata, & in quibus erant reges servientes, & majestas omnium in unum erat conglomerata, & ex omnibus Senatores &, pro re nata, Principes, sumebantur. Qualia jam olim notavimus in libello nostro de locis de Antichristo agentibus p. 103. 104.

Vers. 4. *Draco visus est cauda sua de cœlo detraxisse tertiam partem siderum*, h. e. tertium ordinem rectorum populi Judaici; nempe judices, qui *dii* vocabantur, & tanquam in solio Dei sedebant, subjectum habentes populum

populum Dei. Herodes non ex Israële ortus Romanorum servus ante natum Christum reipublicam redegerat in potestatem, & judicibus auctoritatem ademerat. Omitto, quòd per Pompejum & Gabinium Romanis subjugati sunt. Tradunt Rabbini in Gemara codicis de Sabbato cap. 1. fol. 15. centum octoginta annis ante excidium urbis invaluisse regnum Edom sive Romanum super Israëlem; quadraginta annis ante excidium migrasse Synedrium ex loco suo in חֲנִיוֹת quasi dicas, tabernas, & judicia saltem capitis ei ademta fuisse. Liquet ex historia Euangelica, non licuisse Judæis supplicium capitis sumere de quòquam, procuratore Pilato. Joh. 18: 31. Quæ & causa est, quare D. Jesum tradiderint gentibus interficiendum. Ergo Draco *tertiam partem stellarum* sive judices detraxit de cœlo, quia eos privavit potestate & auctoritate, quam vice Dei in populo debebant juxta verbum ejus exercere.

Draco constitit coram muliere, quæ parturiebat, ut, cùm peperisset, filium deglutiret, h. e. Draco ita circumsedit populum Judaicum, ut, quum Christus natus esset, sub potestate ipsius esset, omnia huc comparans, ut occideretur, excæcatis sacerdotibus, & in Romanorum dicionem redacta Judæa, ut per Judicem gentilem crucifigeretur. Sunt inter veteres, qui putant, Satanam ignorasse virginitatem Mariæ, & alia quædam; sed verius est, Satanam ea voluisse facere, quæ ipsi facere permissum est. Equidem sum in ea sententia; quod legitur Es. 53: 10. חֶפֶץ דַּכְּאוֹ esse nomen hostis & vindicantis se, cujus voluptas & voluntas fuit, Christum & animo comminuere, & redigere ad desperationem, & corpore, eumque redigere ad minutum. Etiamsi enim Christus dicatur מְדֻכְּא בַּעֲוֹנוֹתֵינוּ *contritus ob pravitates nostras*, id tamen nihil aliud significat, quàm Christi tum λύπαι & ἀδημονίαι, tum etiam corporis defatigationem, per quam ad mortem deductus est. Quippe quæ *contritio* in ipso visa est, quam & Propheta alicujus q. narrantis verbis recitat & describit, ut in morte finitam. At, quando dicitur, *cupiens conterere*, non significatur, volens conterere ad modum certum & mensuram, & deinde *assumere ex vi seu imperio & judicio*; sed simpliciter volens conterere omni modo & corpore & animo. Dei voluntas erat non *conterere ipsum* simpliciter, sed per illam viam contritionis alicujus & mortis adducere ad thronum gloriæ & regni: ut Satanæ voluntas erat *eum conterere* absolutè, ita ut demergeretur & maneret in malis, si fieri posset. Eum autem *Jehovah* חָלָל omnibus *viribus privavit*. Christus eam horam, in qua traditus est & passus, vocavit *horam* hostium suorum & ἐξουσίαν τοῦ σκότους *potestatem tenebrarum*. Luc. 22: 53.

Vers. 5. *Mulier peperit filium masculum, qui pascet gentes virga ferrea.* Christus natus est secundum spem & expectationem fidelium. Si spes &

exſpectatio eſt tanquam partitudo, ergo videre & nanciſci, quod ſperatur & exſpectatur, eſt parere. Accedit, quòd Chriſtus ex patribus fuit & filia Davidis eum peperit. Unde ſynecdochicè de Eccleſia dici poteſt, quòd eum pepererit. Imò patrum fides eum peperit ſeu impetravit. Mulier, quæ peperit, habetur eadem cum ea, quæ parturivit, h. e. quæ exſpectavit. Non magis populus civitatis terrenæ videtur unus etiam in temporibus diſtinctis, quàm Eccleſia diſtinctorum temporum una eſt; in qua eſt unus Spiritus.

Qui paſcet gentes. Cui debebatur regnum in gentes, cuique adeò Draco concedere debebat, donec Chriſtus omnium fieret Rex.

Et raptus eſt is filius ad Deum & thronum ipſius. Nempe *ex ore draconis*, ex inferno ſive ſepulchro, & morte. Reſuſcitatus aſcendit in cœlum & conſedit ad dextram Dei, regnaturus in gentibus. Confer Eſ. 53: 8. *Ex vi ſeu imperio & judicio aſſumtus eſt.* Luc. 23: 46. *Clamavit: Pater in manus tuas deponam ſpiritum meum.* Errant, qui putant, hîc intelligi ſubvectionem hominis nomen Chriſti profitentis ad ſolium imperii Romani. Satanas tunc tenebat thronum imperii Romani, & illum tradidit Beſtiæ; hic filius *ad Deum* & *thronum ejus*, qui in cœlo, *raptus eſt.*

Verſ. 6. *Et mulier fugit in deſertum*, h. e. Eccleſia fidelium quaqua verſum per totum mundum diſperſa eſt. *ubi habet locum præparatum à Deo.* Confer Pſalm. 107: 4. *Errabant in deſerto, in invio; urbem habitationis non inveniebant.* verſ. 7. *Et duxit eos in viam rectam, qua irent ad urbem habitationis.* Dùm fideles cogerentur exire ex populo Judaico permiſti gentibus, errarunt, quærentes, ubi tandem conſiſtere poſſent; Deus autem præparaverat illis alicubi in mundo locum, *ubi gentes paſcerent illam Eccleſiam per dies* 1260. h. e. ubi Eccleſia augeſceret & fides Chriſtiana propagaretur, gentibus ad hoc allaborantibus ſive ſincerè ſive aliud agendo. Nam, qui regnum beſtiæ amplificarunt, putantes, ſe Eccleſiam Dei amplificare, eadem opera, quod neſciebant ſe facere & dicebant ſe facere, fecerunt, h. e. Eccleſiam amplificarunt. Notandum, quòd hoc tempus primæ prædicationis non debeat confundi cum tempore prædicationis Euangelii per totum mundum; de qua eſt Matth. 24: 14. Eventurum erat, ut per tempus Eccleſia *aleretur in certo loco.* Apertum eſt, idem tempus eſſe, cùm Eccleſia alitur *in deſerto*, h. e. inter gentes, & quo gentes conculcant atrium, dum gentes Eccleſiæ ſunt permiſtæ. Vide verſ. 14.

7. Καὶ ἐγένετο πόλεμος ἐν τῷ οὐρανῷ· ὁ Μιχαὴλ καὶ οἱ ἄγγελοι αὐτοῦ ἐπολέμησαν τῷ δράκοντι, καὶ ὁ δράκων ἐπολέμησε, καὶ οἱ ἄγγελοι αὐτοῦ·

8. Καὶ οὐκ ἴσχυσεν, οὐδὲ τόπος εὑρέθη αὐτῶν ἔτι ἐν τῷ οὐρανῷ.

VERS. 7. *Et factum eſt bellum in cœlo. Michaël & Angeli ejus præliati ſunt contra Draconem; & Draco præliatus eſt & angeli ejus.*

8. *Et non valuerunt; neque locus repertus eſt eorum amplius in cœlo.*

9. Et

9. Καὶ ἐβλήθη ὁ δράκων ὁ μέγας, ὁ ὄφις ὁ ἀρχαῖος, ὁ καλούμενος Διάβολος καὶ ὁ σατανᾶς, ὁ πλανῶν τὸν οἰκουμένην ὅλην, ἐβλήθη εἰς τὴν γῆν· καὶ οἱ ἄγγελοι αὐτοῦ μετ' αὐτοῦ ἐβλήθησαν.

9. *Et conjectus est Draco ille magnus, serpens ille antiquus, qui vocatur Diabolus & Satanas, qui seducebat totam habitabilem; conjectus est, inquam, in terram: & angeli ipsius cum ipso conjecti sunt.*

10. Καὶ ἤκουσα φωνὴν μεγάλην λέγουσαν ἐν τῷ οὐρανῷ· Ἄρτι ἐγένετο ἡ σωτηρία καὶ ἡ δύναμις καὶ ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ ἡμῶν, καὶ ἡ ἐξουσία τοῦ Χριστοῦ αὐτοῦ· ὅτι κατεβλήθη ὁ κατήγωρ τῶν ἀδελφῶν ἡμῶν, ὁ κατηγορῶν αὐτῶν ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ ἡμῶν ἡμέρας καὶ νυκτός.

10. *Et audivi vocem magnam dicentem in cœlo: Nunc facta est salus & potentia & regnum Dei nostri, & potestas Christi ipsius: quia dejectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat eos coram Deo nostro die & nocte.*

11. Καὶ αὐτοὶ ἐνίκησαν αὐτὸν διὰ τὸ αἷμα τοῦ Ἀρνίου, καὶ διὰ τὸν λόγον τῆς μαρτυρίας αὐτῶν καὶ οὐκ ἠγάπησαν τὴν ψυχὴν αὐτῶν ἄχρι θανάτου.

11. *Et ipsi vicerunt eum propter sanguinem Agni, & propter sermonem testimonii sui; & non dilexerunt animam suam usque ad mortem.*

12. Διὰ τοῦτο εὐφραίνεσθε οἱ οὐρανοὶ καὶ οἱ ἐν αὐτοῖς σκηνοῦντες. Οὐαὶ τοῖς κατοικοῦσι τὴν γῆν καὶ τὴν θάλασσαν, ὅτι κατέβη ὁ διάβολος πρὸς ὑμᾶς ἔχων θυμὸν μέγαν, εἰδὼς, ὅτι ὀλίγον καιρὸν ἔχει.

12. *Propterea lætamini, cœli, & qui in eo tabernaculum incolitis: Væ habitantibus terram & mare; quia descendit Diabolus ad vos habens excandescentiam magnam, sciens, quòd parvum tempus habeat.*

Vers. 7. *Et factum est bellum in cœlo.* An igitur locum habet Draco in cœlo? An videt faciem Dei, ut angeli Dei? Nequaquam. Sed in cœlo factum est bellum, tanquam coram throno Dei & sub oculis ejus; quando Satanas molitus est de statu cœlesti dejicere credentes in Christum ex Judæis & Gentibus. Non absimiliter dicit Apostolus Ephes. 6: 12. nobis pugnam esse adversus πνευματικὰ τῆς πονηρίας ἐν τοῖς ἐπουρανίοις, *spiritalia nequitiæ in supercœlestibus*, quia nempe illa nequitia cœlestem statum Ecclesiæ concernit. Sed, ut hoc melius intelligamus, cogitare oportet, quis Ecclesiæ status cœlestis sit. Is ille est. Ecclesia in mundo nullam hæreditatem habet, qualis erat terra Canaan; nullam politiam, cui alligetur; nullum altare, ad quod accedat; nullos principes, cui subjecta sit; sed Christum habet in cœlis sacerdotem, fratrem & prodromum, in quo *accedit propè ad Deum*, petens omnia, quæ Ecclesiæ & fidelibus in hac vita dari possunt, & quæ in Promissione & Prophetia descripta sunt, in libertate filiorum. Hunc statum Ecclesiæ impugnavit Draco & Angeli ejus. Quomodo autem? Certè per terrores foris. Sed an tantùm? Non. Etiam per πονηρίας & *nequitias* intus. Simulavit se præconem justitiæ & immisit in Ecclesiam falsos fratres & falsos apostolos (de quibus loquitur Apocalypsis cap. 2: 2.) qui fideles redigerent in servitutem. Et multa delinimenta & blandimenta adhibita sunt. Visum est bonum, ut Ecclesia Christi jugum susciperet. Nam & sic crux Christi fuisset à cervicibus ejus abla-

ta, & omnes Judæi facili negocio in nomen Christianum videbantur perduci posse. Ergo, quia hoc bellum gestum est in meditullio Ecclesiæ per falsos doctores & fratres, rectè *in cœlo* gestum esse dicitur. Accedit, quòd tum nondum abolitum erat cœlum vetus, h. e. potestas omnis sacerdotum & principum populi Israëlitici. Qui in eo prælio cum Dracone fecerunt. Per eos tunc habuit locum in cœlo Satanas, quatenus ipsius fecerunt voluntatem. Habuerat & antea per eos potestatem in cœlo, quia illis data erat Lex, per quam execratio quadamtenus imponebatur populo, dum ab Israëlitis exigebatur chirographum ipsis contrarium, quo confitebantur, peccata sua necdum expiata esse. Quod quia à peccato est, Satanæ attribuitur, qui peccatum introduxit in mundum. Sed per mortem Christi effectum est, ut illud chirographum cassaretur, & principes illam potestatem exigendi chirographum non haberent amplius, Colos. 2: 14. quando peccatum condemnatum est in carne Christi, & Lex desiit esse Lex peccati, & facta est Lex spiritus vitæ in Christo. Rom. 8: 2. 3. Quò respiciens Christus dicit Joh. 12: 13. *Nunc princeps mundi hujus projicietur foras.* At hoc certamen est Draconis & principum, volentium populum retinere in servitute, adversus Christi regnum & justitiam Dei & libertatem Ecclesiæ.

Michaël & Angeli ipsius præliati sunt contra Draconem. Nomen *Michaël* exstat Dan. 10: 13. 21. & 12: 1. in epist. Judæ vers. 9. In hic locis dicitur *princeps populi Dei, stans pro filiis populi Dei, princeps ille magnus, Archangelus*, qui, ut ex hoc loco liquet, est *princeps Angelorum*, h. e. Angelorum Dominus. Errant igitur, qui *Archangelos* putant esse ex Angelis creatis. Unus *Archangelus* est Christus, qui, ut *Immanuel*, ita & *Michaël* recte appellatur; quod significat, *quis est, ut Deus?* Nam in ipso patefactum est, neminem Deo esse parem, videlicet in salute præstanda; neminem ad justitiam quicquam conferre posse, sed solius Dei esse illam dare: quique in illum credit & illius nomen glorificat, is omnem gloriam Deo tradit. confer Apoc. 5: 12. 13. *Bellum gessit Michaël* intercessione sua. Confer vers. 11. *Angeli ipsius*, voto atque approbatione; quin etiam custodia Ecclesiæ, ut non vinceretur à Satana, sed ipsum vinceret; denique turbando opus Satanæ in populo Judaico, ut Politiam illam & cultum externum in templo retinere non posset. *Et Draco præliatus est & Angeli ipsius*, h. e. princeps mundi & principes prioris seculi 1 Cor. 2: 8. qui se Christo noluerunt subjicere, sed regnum in populo retinere. Quibus instigatores & opitulatores fuerunt dæmones, qui Angeli Satanæ nominantur 2 Cor. 12: 7. Principes populi, qui videbantur adhuc sedere in throno Mosis, tanquam in cœlo, accensentur Draconi, quia servi fuerunt Cæsaris,

ris, & fecerunt voluntatem Satanæ, ſtudentis retinere populum in ſervitute.

Verſ. 8. *Et non evaluerunt, neque locus ipſorum amplius repertus eſt in cœlo,* h. e. venit tandem tempus, ut Chriſtus auferret regnum ſuum à Judæis, & diſcipuli ſeſe ab ipſis ſepararent, atque ita inobedientes illi *ſepararentur ab omnibus tribubus Iſraëlis.* Vide Deuter. 29: 21. & ibi conſiderationem noſtram.

Verſ. 9. *Et conjectus eſt Draco ille magnus & Angeli ipſius cum ipſo in terram.* Quamdiu Satanas habuit poteſtatem in populum per legem, & in Sacerdotes, ac Seniores ſedentes in Cathedra Moſis per Romanos; tamdiu habuit locum in cœlo. Quando *ſacrificium & munus abolitum eſt* (Dan. 9: 26.) quoad uſum in Eccleſia fidelium, & fideles deſierunt cum Judæis congregari, atque ita eſſe ſub jugo; non habuit Satanas locum in cœlo; ſed conjectus eſt in terram, quia populus cum ſuis ſacerdotibus & ſenioribus & templo nihil niſi *terra* deinceps reputantur: quam *terram*, una cum iſto populo, Deus ſubjecit *anathemati.* Vide Deut. 29: 22. 23. 24. Malach. 4: 6.

Draco magnus inſignitur ſuis elogiis.

1. *Serpens antiquus*, qui decepit Evam atque ita totum genus humanum redegit in poteſtatem.

2. *Qui vocatur Diabolus*, h. e. calumniator operum Dei; qui calumniatur Deum apud homines, & homines apud Deum; qui etiam apud Evam de Deo locutus eſt falſa, & ex illo tempore vocatur *inimicus & vindex ſui.* Pſalm. 8: 3. & 44: 17.

3. *Satanas.* Ut Job. 1. & 2. Zach. 3. Quia adverſatur homini apud Deum, & imperium in ipſum, quod eſt imperium peccati & mortis, vi legis retinere contendit.

4. *Qui ſeducebat totam habitabilem*, h. e. qui tum imperium ſuum in totum mundum extenderat, in Judæos & gentes, ut omnes facerent voluntatem ipſius, & conſpirarent in unum, ut Chriſto ſe opponerent. Quæ conſenſio & conſpiratio indicatur Pſalm. 2: 1. *Quare convenerunt gentes, & nationes cogitant vanum.* Confer Actor. 4: 27. Quare & meritò ab Apoſtolo 2 Cor. 4: 4. vocatur ὁ θεὸς τοῦ αἰῶνος τούτου, *Deus hujus ſeculi,* quia omnes voluntatem ejus faciebant. Hinc igitur cognoſcitur, quare dicatur *Draco magnus.*

Verſ. 10. Sequitur *vox magna in cœlo, nunc facta eſt ſalus & potentia & regnum Dei noſtri, & poteſtas Chriſti ipſius.* ἐγένετο ἡ ἐξουσία τοῦ Χριστοῦ, h. e. 1. Venit tempus, ut ſecundùm voluntatem Dei faciat & quidem jure ſuo faciat Chriſtus, quæ Pater ipſum facere voluit. 2. Poteſtatis Chriſti effecta

quædam repræsentata sunt : Christus secundùm potestatem suam incepit operari , & porrò operari perget : *quia dejectus est accusator fratrum nostrorum , qui accusabat ipsos coram Deo die ac nocte.* Ecclesia cœlestis militantem Ecclesiam nominat *fratres suos.* Accusatio Satanæ fiebat per legem. Qua per mortem Christi tranfixa, peccatum condemnatum est, Rom. 8:3. & cum peccato Diabolus καθηργηθη *abolitus est.* Hebr. 2: 14. Quamdiu tamen *primum tabernaculum stationem habebat , non manifestata erat via sanctorum* , h. e. quamdiu victimæ offerebantur in altari ante tabernaculum , libertas Ecclesiæ cohibebatur , quia cogebantur servire , & non statim vel prope accedere ad Deum permittebantur , aut saltem non erat manifestum , quam libertatem habeamus accedendi ad Deum in Christo & omnia ab ipso petendi. Deinceps , postquam fons apertus propositus esset , ad abluendum peccatum & menstruum , Zach. 13: 1. Euangelium habiturum videbatur majorem vim & efficàciam ad convertendum gentes & omnia subjiciendum Christo. Nam 1. prædicatio cerimoniarum Legis Mosaicæ , & 2. quòd templum adhuc stabat, mirificè impediebat cursum Euangelii. Porrò , demonstrata libertate Christiana & amoto templo , constitit , salutem esse in Christo. De quo similia Es. 45: 24. *Tantùm in Jehovah omnis justitia & robur. Ad eum accedit quivis , & confundentur , qui ira exarserint contra ipsum.*

Vers. 11. *Et ipsi vicerunt ipsum propter sanguinem agni , & propter sermonem testimonii sui.* Causa , quare vincerent Diabolum , est effusio sanguinis Christi (Confer 2: 14. 15. 17. Coloss. 2: 13. 14. 15.) *& sermo testimonii ipsorum* , quia ille verus erat. Victoria de Satana in illo consistit , ut non seducerentur ab ipso , & ut liberarentur à jugo & accusatione Satanæ. A merito Christi pendent hæc omnia. A fide autem , sive potius veritate verbi , cui crediderunt , liberatio à servitute & accusatione. *Et non dilexerunt animam suam usque ad mortem.* Junge : *vicerunt & non dilexerunt* , h. e. adeò *vicerunt* , ut & *animas suas non diligerent* ; &, quia vicerunt, gratitudinis causa animas suas profuderunt. Confer Psalm. 22: 30. *Comederunt* gentes , *& adorarunt , omnia pinguia terræ : coram illo* (qui habet potestatem in gentibus) *incurvant se omnes descendentes in pulverem , & , qui animam suam non vivificavit.* Apertè hîc notatur illud tempus , quo discipuli Christi inceperunt sanguinem effundere propter Euangelium.

Vers. 12. *Propterea lætamini cœli & qui in illis habitant.* Est lætitia coram Angelis Dei & beatis , super regni Christi manifestatione in mundo & liberatione fidelium à jugo.

Væ habitantibus terram & mare , quia descendit Diabolus ad vos habens iram magnam , sciens , quòd parum temporis habeat , h. e. Væ Judæis & gentibus, ad

ad quos venit Diabolus, post *abolitum sacrificium & munus* in Ecclesia (Dan. 9: 27. Factum hoc, quando gentes in præputio ad baptismum admissæ sunt auctoritate Spiritus sancti & subsequente judicio Apostolorum & Ecclesiæ Actor. 15.) paratus summa vi facere, quæ Deus ipsi permisit. Sunt autem illa non tantùm mala corporalia, sed etiam excæcatio Judæorum in odium Christianorum & in temeritatem, per quam populo Romano ausi sunt se opponere. Ex his consecuta sunt, persecutio Christianorum (quæ quidem fuit fidelium tentatio, sed effectus indurationis infidelium) bellum Judaicum, bella intestina inter Romanos, post cædem Neronis; gesta pro variis imperatoribus Galba, Othone, Vitellio: destructio Hierosolymorum & templi, & cætera, quæ secuta sunt, donec Draco potestatem suam traderet Bestiæ. De quibus in tuba prima & sigillo secundo & tuba tertia actum est. Apoc. 8: 7. 6: 8. 8: 8. 9.

Parvum tempus ei datum esse significat, permissum ipsi fuisse, ad breve tempus pugnare contra Ecclesiam Christi in terrâ. Primo per Judaicum populum, deinde per gentiles; sed coactum fuisse paulò post decedere. Confer cap. 20: 2. 3.

13. Καὶ ὅτι εἶδεν ὁ δράκων, ὅτι ἐβλήθη εἰς τὸν γῆν, ἐδίωξε τὴν γυναῖκα, ἥτις ἔτεκε τὸν ἄρρενα.

14. Καὶ ἐδόθησαν τῇ γυναικὶ δύο πτέρυγες τοῦ ἀετοῦ τοῦ μεγάλου, ἵνα πέτηται εἰς τὸν ἔρημον εἰς τὸν τόπον αὐτῆς, ὅπου τρέφεται ἐκεῖ καιρὸν καὶ καιροὺς καὶ ἥμισυ καιροῦ, ἀπὸ προσώπου τοῦ ὄφεως.

15. Καὶ ἔβαλεν ὁ ὄφις ὀπίσω τῆς γυναικὸς ὡς ὕδωρ ποταμὸν, ἵνα αὐτὴν ποταμοφόρητον ποιήσῃ.

16. Καὶ ἐβοήθησεν ἡ γῆ τῇ γυναικὶ, καὶ ἤνοιξεν ἡ γῆ τὸ στόμα αὐτῆς, καὶ κατέπιε τὸν ποταμὸν, ὃν ἔβαλεν ὁ δράκων ἐκ τοῦ στόματος αὐτοῦ.

VERS. 13. *Et, quum vidit Draco, quòd conjectus esset in terram, persecutus est mulierem, quæ pepererat marem.*

14. *Et data sunt mulieri duæ alæ aquilæ illius magnæ, ut volaret in desertum in locum suum, ubi nutritur tempus & tempora & dimidium temporis, à facie Serpentis.*

15. *Et conjecit post mulierem ex ore suo aquam, ut fluvium, ut hunc flumine abreptam faceret.*

16. *Et opitulata est terra mulieri, & aperuit terra os suum, & absorpsit fluvium illum, quem projecerat Draco ex ore suo.*

Vers. 13. Draco se videns conjectum in terram *persecutus est mulierem, quæ pepererat masculum*, h. e. eos, qui exspectaverant salutare Dei, & id adepti erant, & credebant in Christum, & eos, qui in idem corpus & in eundem populum cum eis coaluerant.

Vers. 14. *Et data sunt mulieri duæ alæ, tanquam aquilæ magnæ, ut volaret in desertum in locum suum (ubi nutritur per tempus, tempora & dimidium temporis) à facie serpentis.* Hoc est duæ magnæ regiones sive potentia duarum magnarum regionum in regno Draconis Ecclesiæ conciliata est, ut, post

post longam fugam in desertum, durante persecutione, tandem illa potentia adjuta obtineret locum, in quo debebat nutriri. Constantius Chlorus, pater Constantini Magni, allectus Cæsar à Diocletiano & Maximiniano, vel Christianus, vel fautor Christianorum, obtinuit Hispaniam & Galliam; cujus appendix erat Britanniæ pars. Is Christianis in fæviſſima Diocletiani perſecutione præbuit ſuffugium in terris ſuis, ut nemo illis poſſet nocere: quod fuit initium dandi Eccleſiæ *locum nutritionis*. ubi alerctur à gentibus, ita ut non tantùm habitaret Eccleſia & non extingueretur, ſed etiam magis atque magis augeſceret. Ut dicitur Eſ. 56: 12. *Adhuc colligam ad illum ultra congregatos ejus.* Debuit eſſe *Iſraël* in gentibus, & ſignati 144000. Debuerunt gentes Chriſto mentiri. Debuerunt agnus & lupus cohabitare. Eſ. 11. Debuerunt gentes affluere: & gladios ſuos in ligones cudere. Eſ. 2: 2. 4. Tempus nutritionis verſ. 6. definitum per *dies*, hoc eſt, annos 1260. (quos dixerat verſ. 6.) hîc diſtribuitur *in tempus, tempora & dimidium.* Sive quòd numerus ille in ſeptem partes diſtribui poſſit; quarum duæ tempus faciunt: ſive quòd in illo ſpatio quatuor tempora notabilia exſtitura erant, in quibus ſe Eccleſia erat evidentiùs oſtenſura coram mundo, non ſine mundi favore. De quo jam incepimus dicere cap. 11: 9. Sed amplius dicendum eſt cap. 14: 1. 2. 3. Sed unde incipiemus *dies* 1260. & ubi terminabimus? Ego ſic exiſtimo, quando gentes ad Eccleſiam accedunt, tum ali Eccleſiam à gentibus: quando autem gentes ſe ſeparant ab Eccleſia, & hoc agunt, ut omni arte, dolo, fallaciis, blanditiis, terroribus, bellis Eccleſiam imminuant, tum non ali eam à gentibus. Quando igitur Eccleſia à gentibus calcantibus atrium exterius aut ſanctam civitatem non ſeparatur, ſed in earum meditullio agit, tum dicitur adhuc à gentibus ali; licèt etiam in civitate magna interficiantur duo teſtes & bellum geratur à Beſtia cum ſanctis. Clarum eſt autem, quando vel legè Imperii præcipui (cujus exemplum alii ſequuntur) confirmatur ſchiſma, ut unicuique liceat vel cum errantibus communicare, vel extra cœtum illorum vivere in cœtu illorum, qui ſe profitentur verbo Dei velle obedire; & anathemate ſeparantur, qui antea in uno cœtu erant; & illi, qui in civitate magna manent, omnia faciunt, ut reducant ad ſe, qui ab illis ſeceſſerunt, eoſque ad apoſtaſiam compellant, idque fit; tum rectè dici, non nutriri Eccleſiam à gentibus: quemadmodum, quum primùm Eccleſia fugiebat in deſertum, non nutriebatur à gentibus; licèt ex gentibus multi ad eam accederent. Quid ſi igitur id ſpacium ordiamur ab eo tempore, quo Mulieri duæ Alæ Aquilæ magnæ datæ ſunt? hoc eſt, quando Conſtantius ſe patronum, defenſorem, amicum Chriſtianorum profeſſus eſt? Factum id

eſt

est anno æræ Christianæ 292. ut Baronius censet. Quanquam Hieronymus ex Eusebii canone A. C. 289. eum Cæsarem assumtum tradat. Inde usque ad annum 1552. sunt anni 1260. Illo anno facta est Passaviensis transactio, approbata deinceps in comitiis Augustanis A. C. 1555. qua cautum est, ne quis Protestantium propter religionem infestaretur. Ibi quidem Cæsar cum Imperio dedit Protestantibus pacem, sed ut ad se non pertinentibus, & ut ex eo Pontificii anathematis, libris, sophismatibus, conviciis, falsis criminationibus infestarent Ecclesiam, quantum possent; & locustæ tanquam equi ad bellum currerent; & tandem suis ἐπηρείαις occasionem darent Principibus & Civitatibus se in fœdus uniendi, mox etiam, irritatis Bohemis, res ad apertum bellum veniret. Et ne nunc quidem quiescit illud mare. Atque etiam rursus Tyrus cum omnibus regnis terræ fornicari incipit. Non igitur ex illo Ecclesia nutrita est à gentibus. Atque hæc quidem temporis illius determinatio eò majorem inveniet fidem, si etiam cætera, quæ de illo tempore dicuntur, in idem tempus conveniant. Quemadmodum id, quòd cap. 11: 3. dicuntur *gentes calcasse civitatem sanctam menses quadraginta duos*; & testes duo per *dies mille ducentos sexaginta prophetasse in saccis.* Sed hæc rursus consideranda erunt capite tertiodecimo vers. 5. ubi dicitur: *Bestiæ datum esse facere menses quadraginta duos.* Hoc tantùm dico: Quando gentes intrant in civitatem sanctam, tum à gentibus alitur mulier. Intrant enim cum cæteris etiam *electi & vocati & fideles* ex gentibus. Quando autem gentes se separant à civitate sancta & populus Dei exit ex Babylone, tum gentes desinunt alere mulierem puerperam. Ergo in illo tempore facilè anni hi Apocalyptici reperiuntur, sive paulò citiùs, sive paulò seriùs eum ordinem inchoes aut finias. Tales enim res, uti non momento incipiunt, ita nec momento finiuntur. Ideò hîc nobis sufficere debet, quòd videmus rem aliquam insignem circa initium & circa terminum, in tanta distantia, quæ manifestò indicet, illa, quæ illi tempori attribuuntur, partim incipere fieri, partim fieri desinere. Nec verò hîc tantùm cogitandum est de parallelia Apocalypseos, sed etiam Danielis. Nam satis clarum est, Apocalypsin voluisse interpretari aut illustrare *tempus, duo tempora & dimidium temporis.* Quippe pro eo dicit non tantùm *tres dies & dimidium*, sed & *quadraginta duos menses*, & *dies mille ducentos sexaginta.* Quæ comperiuntur in re convenire. Igitur hoc ipso compellimur adire Danielem, & scrutari, quid is dicat de עַ֣ד עֵ֤ת מוֹעֲדִים֙ וָחֵ֔צִי cap. 7: 25. & מוֹעֵ֥ד מוֹעֲדִ֖ים וָחֵ֑צִי cap. 12: 7. Quid enim? Annon videtur Scriptura quasi digito intento dicere, confer has prophetias, & vide, annon eæ sint ejusdem temporis? Jam, quæ de cornu parvo dominante in sanctos dicuntur capite septimo,

ea similia sunt eis, quæ de Bestia *patrante* & *sanctos vincente* dicuntur Apocal. 13: 5. 7. At in capite duodecimo, quum *Vir indutus talari* interrogaretur, *quousque finis mirabilium horum?* tum is, *sublata dextra & læva ad cœlum, juravit in eo, qui vivit in seculum, quòd per tempus, tempora & dimidium temporis & כְּכַלּוֹת נְפֹץ יַד עַם קֹדֶשׁ ubi consummaverit dispisare manum populi sanctitatis, illa omnia perficienda sint.* Neque possum præterire, quæ ibi adjunguntur. Daniel, quum ea *audivisset, nec intelligeret*, interrogavit, יְהִי אַחֲרִית אֵלֶּה *quis est horum exitus?* Et *dixit: Abi, Daniel: quia occultata & obsignata sunt verba illa usque ad tempus finis. Purgabunt se, & dealbabunt se & conflabuntur multi, & improbè agent improbi* (justitiæ Dei exsortes) *& non intelligent ulli improbi: sed attendentes intelligent. Et à tempore, quo remotum fuerit juge & ad dandum abominabile stupens* (vel *stupentis*) *dies mille ducenti nonaginta. Beatus, qui præstolatur, & pertingit ad dies mille trecentos triginta quinque.* Quando Apocalypsis nobis indicavit, *tempus, tempora & dimidium* esse dies *mille ducentos sexaginta*, non improbabile est, illos *dies* 1260. contineri in *diebus* 1290. aut saltem, hos dies convenire in res illas, de quibus prophetia loquitur., quibus nondum potest dici, *Beatus, qui expectavit.* Video autem, hîc illas res indicari. 1. Amotum iri sacrificium juge. 2. Datum iri abominabile stupens sive stuporis aut stupentis. Et ita שֹׁמֵם significat Dan. 9: 27. תְּתַךְ עַל שֹׁמֵם *destillabit super stupentem*, h. e. excæcatum & induratum. Non possum hîc accedere ad eorum sententiam, qui amotionem jugis sacrificii putant esse eam, quæ facta est, quum Templum & Hierosolyma destrueretur. Quis enim non videt, Danielem loqui de eo tempore, quo non figura, sed veritas obtinet? De quo Ezechiel prophetat in ænigmate templi, cap. 46: 13. Et loqui Danielem de tempore, temporibus & dimidio temporis, quo cornu parvum sanctos abolet? Ecclesiæ *sacrificium juge* est sine dubio Christus & justitia ejus, cum qua omnes fideles quotidie accedunt ad Deum in fide, eo ipso offerentes sacrificium confessionis & laudis. Psalm. 50: 5. 14. 23. Psalm 51: 20. 69: 31. 32. Hebr. 13: 15. Hos. 14: 3. Qui id offerunt, dicuntur *adorantes in altari*, Apoc. 11: 1. Quomodo igitur hoc sacrificium amovebitur? Summus explicationem ex ipsis verbis Prophetiæ. Quando *gentes civitatem sanctam calcant*, quando *Cornu parvum sanctos antiquat*, quando *Bestia eos vincit*, & *Cornu* sive *imago bestiæ* & *pseudopropheta loquuntur magna contra Deum, & nomen ac tabernaculum Dei & , qui in cœlo tabernaculum habent, blasphemant*, tum sine dubio in cœtu, qui dicitur Ecclesia, & civitas Dei, quum sit *civitas magna Bestiæ*, in cujus medio tamen est *Ecclesia & templum Dei*, non apparet publicè *sacrificium laudis.* Quando *duo testes interficiuntur, & homines gaudent & sibi dona invicem mittunt propterea, quòd*

eos interfecerint, h. e. quia hoc effecerint, ut hi duo testes ipsis non sint odor vitæ ad vitam, sive in ipsis non exserant vitæ sua ἐνέργειαν; quando regnant *tenebræ* (de quibus est in tuba quarta) tum sine dubio in magna civitate regnat *Stupor*, *mors & induratio*. Et, quia tamen Bestia vult videri Ecclesia & populus Dei, necesse est, eam quoque habere sacrificium, quod offerat. Id sine dubio est שִׁקּוּץ *abominabile*. Non enim potest offerri לְרָצוֹן εἰς ἀποδοχήν: ut est Es. 56:3. Fateor, τὸ *Abominabile* latiùs patere, & significare omnia mendacia & omnia peccata, quæ loquitur & facit Bestia; saltem totum χάραγμα, *totam signaturam* Bestiæ, sive legem ejus, h. e. omnem ἀνομίαν καὶ ἀποστασίαν: tamen, quia hîc *jugi sacrificio* opponitur, non potest non intelligi Sacrificium, quod non est juge sacrificium, & ad quod sacrificium offerendum *stupentes* homines & pleni ἀνοίας (2 Tim. 3:9.) tanquam *sacerdotes* accedunt, non ad *altare Dei*, sed ad altare aliud. Nam notum est, non tantùm sacrificium Bestiæ diffamari in scripturis, sed etiam *sacerdotium*. Vide saltem Hos. 4. & 10. Quod verò altare aliud attinet, id *mensam* nominat Esaias cap. 65:11. Quin & templum aliud nominat Daniel cap. 11:38. וֵאלֹהַּ מָעֻזִּים עַל־כַּנְּתָם יְכַבֵּד *& Deum arcium in locamento suo honorabit*. Habes ibi *arces*, domos grandes & bene ædificatas, & in iis מָכוֹן *locamentum*, in quo dicatur ille Deus esse. Quemadmodum & Christus prædicit Matth. 24. vers. 23. 26. dicturos pseudoprophetas: *Hîc est*, *in eremo*, *in conclavi est*. Quod ad sacrificium attinet, id quoque Esaias ex parte dicit כִּכַּפֹּת *crama*, ex parte innuit, quum dicit *mensam*. In *mensa* cibus solet apponi, & quidem primus *panis*. Ad *abominabile* igitur illud pertinent arces illæ sive magnifica illa ædificia, in quibus dicitur Christus esse, & opinio præsentiæ corporis Christi in cœna ad perceptionem oralem, & sacerdotium hominum, qui potestatem conficiendi dicuntur accepisse ab homine, & opinio operis operati, quod sit causa justificationis, h. e. quod conciliet habitum rectum, qui sit hominis justitia, abolitio reatus & omnis mali, quod *peccatum* sit. Nemo potest diffiteri, hasce opiniones valde antiquas esse. Neque aliæ potuêre esse opiniones hominum veritatem non quærentium & volentium Ecclesiæ accenseri. Et verò doctores Ecclesiæ loquentes ad populum ὑπερφολικῶς & mysterium S. Cœnæ non audentes nudè & clarè explicare non parum adjuverunt eas opiniones. Unde & exortæ sunt inquisitiones & disputationes. Sed semper profectum est ad *stuporem* & veritatis obscurationem: donec in Concilio Tridentino maximè opinio illius Sacrificii (quod dicunt esse secundùm ordinem Melchisedec) facta est articulus fidei, addito anathemate, & vera sententia damnata & profligata est. Quo tempore Ecclesia, tanquam Israël ab Ægyptiis ex Ægypto, ita ex Babylone

expulsa est. Quum igitur Daniel numeret *dies* 1290. & tum deinde dicat *Beatum*, *qui exspectaverit dies* 1335. quid aliud cogitare possumus, quàm id *ponere abominabile stupentis* in termino 1290 dierum futurum cum magna abominatione. Nempe, ut ibi ponatur, ubi *sacrificium juge* restitutum erat & ubi ea opinio non simplex error, sed verè *abominabile* sit, & quidem lege ac vi *detur* ac præscribatur offerendum: atque ita id *abominabile* non possit recipi sine apostasia ab agnita veritate. Quod certè factum est in multis locis Germaniæ & Bohemiæ, quum Victor exercitus Cæsareanus totam ferè Germaniam obtineret; & ex illo tempore necdum desinunt tales Reformationes & Apostasiæ quorundam voluntariæ: ut impleatur, quod dictum est, Tyrum redituram ad quæstum suum & scortaturam cum omnibus regnis terræ. Es. 23. Notabile est, quòd A. C. 1622. & Heidelberga capta est, & ejus Academia Jesuitis data; & Pragensis iisdem concessa: quodque eodem anno duo novi sancti Ignatius Loyola & Franciscus Xaverius à Papa canonisati sunt & ubique invocatione honorati; non sine gratulatione de victa Ecclesia. Mihi videtur, illum annum insignem esse inter eos, quibus *datum fuit abominabile stupentis*. Quòd si inde retrò computemus, invenietur annum C. 332. Quomodo autem verè dicere possimus, jam illo tempore *juge sacrificium* amoveri ab oculis & occultari cæpisse, cuivis, ni fallor, patet. Per Constantinum subactus erat orbis Romanus. Quid Christiani tum, nisi quieti se dare? Vide Cantic. 5. v. 2. *Ego dormiebam*, & quæ sequuntur. Ubi cognosces, Sponsam ubique Christum quærere & non invenire, & verberari à custodibus civitatis & peplo nudari, & de Sponso suo disputare cogi. Throni autem confirmati erant in Synodo Nicena A. C. 295. Ariana hæresis damnata quidem, sed non extincta, commovebat lacertos. Stella, quæ Absinthium vocatur, ceciderat in fluvios. Disputationes frequentes cum hæreticis imposterum continuatæ fuerunt, ut de justitia Dei parcus sermo esset. Basilicæ ingentes ædificabantur. Fana deorum claudebantur. Opes in Ecclesiam influebant, quibus possent Episcopi ἐντρυφᾶν. Judæ vers. 12. 2 Petr. 2. v. 13. Quis neget, tum prodiisse Bestiam? Bestia verum cultum Dei non habet: à qua, quæ dicuntur & fiunt, propter auctoritatem hominum dicuntur & fiunt; videlicet potestatum hujus seculi, vel sedentium in thronis. An gentes agminatim intrantes in Ecclesiam & Scripturas non scrutantes & mysterium fidei non intelligentes potuerunt accedere ad Basilicas alia mente, quàm ut putarent, Deum ibi habitare, ut in templo Solomonis; ibi Christum esse, in altari, in Conclavi, in pane Cœnæ; ibique velle adorari; & sacrificium Ecclesiæ esse, Christum ibi præsentem comedere ore; & eo opere operato

rato parari remissionem peccatorum? Sed audiamus porrò Danielem. Is, quemadmodum jam ostendi, clarè docet, 1. sacrificium juge non quidem nullum fore, sed amotum iri, ut non publicè ubivis offeratur. 2. In ejus locum successurum Abominabile. 3. Idque defensuros homines *stupentes*, veritatis cognitione carentes & in errore versantes atque in eo induratos. Qui sunt, ut apertum est, ii, qui פְּשָׁעִים dicuntur (h. e. exsortes veræ justitiæ) qui opponuntur τοῖς σωφροσι; & de quibus dicitur, quòd non sint intellecturi. 4. Id *abominabile dandum* esse, lege & vi, &, sine dubio, abominabiliter admodum. 5. Dum id agitur, longum tempus lapsurum, videlicet fluxuros dies h. e. annos 1290. minimum. 6. Notanda esse *tempus & tempora & dimidium temporis*: quibus hoc futurum, quod cap. 7. de cornu parvo prophetatum erat. 7. Deinde *manum populi sancti dissipatum iri*. In quo intelligitur victoria *Stupentis* ad *dandum abominabile suum*. Sed sunt & alii modi, quibus possint Ecclesiæ vires imminui. Veluti per ipsa illorum, qui egressi videntur ex Babylone, dissidia & bella inter se. Omitto externorum adventum. 8. Prorogandam igitur *exspectationem* sive *præstolationem*, h. e. patientiam cum spe, per omne illud tempus, ex quo cœperit *juge sacrificium* moveri: donec fiant *dies* sive anni 1335. 9. *Beatum* esse, qui patientiam & spem servaverit per id tempus. Unde & hoc patet, qui superfuerint, visuros aliquid boni, quod optaverint videre: sive id consummatum visuri sint, sive ejus initia. Quod nos attinet, res & experientia docet, Ecclesiam adhuc debilitari. Circumspiciatur tota; ubicunque est, debilis est. In convallibus, Germania, Galliæ. Quid dicam de Britannia & Belgio? Quibus possit quis dicere, quod est Jacob. 4: 1. *Unde bella & prælia inter Vos?* Quamdiu igitur exspectabimus? An, donec *Manus abeat & nullus sit inclusus & derelictus?* Deut. 32: 36. Præstolandum sanè. Es. 26: 20. 21. *Abi, populè mi, intra in penetralia tua & claude januas tuas post te: delitesce parvo momento; donec transeat excandescentia. Nam ecce Jehovah exit ex loco suo ad visitandam pravitatem habitantis terram super ipso, & reteget terra sanguines suos & non teget adhuc cæsos suos.* Sed hæc fortasse nimis prolixè. Non potuimus tamen paralleliam Danielis & Apocalypseos negligere.

Vers. 15. *Serpens post mulierem ex ore suo conjecit aquam, tanquam fluvium, ut fluvio abriperetur.* hoc est, Satanas excitavit bellum contra Ecclesiam. Maxentius & Licinius hujus belli duces. Magni exercitus per flumina solent adumbrari. Ex ore Draconis ejectus fuit ille fluvius, quia vel suasio Satanæ fuit, vel edictum Imperatoris.

Vers. 16. *Et auxiliata est terra mulieri & aperuit terra os suum & absorpsit fluvium, quem conjecerat serpens ex ore suo.* Constantinus Magnus, filius

Constantii Chlori, & successor, subnixus potentia earum terrarum, in quibus jam Ecclesia tutò habitabat, in quibus semen verbi Dei seminabatur, coërcito Licinio, totam vim Imperii Romani in se transtulit, atque exinde Imperium Romanum incepit esse terra Christianorum & locus mulieris nutriendæ. Confer Hab. 3: 9. *Fluvios findebat terra.*

17. Καὶ ὠργίσθη ὁ δράκων ἐπὶ τῇ γυναικὶ καὶ ἀπῆλθε ποιῆσαι πόλεμον μετὰ τῶν λοιπῶν τοῦ σπέρματος αὐτῆς, τῶν τηρούντων τὰς ἐντολὰς τοῦ Θεοῦ, καὶ ἐχόντων τὴν μαρτυρίαν τοῦ Ἰησοῦ Χριστοῦ.

18. Καὶ ἐστάθη ἐπὶ τὴν ἄμμον τῆς θαλάσσης.

VERS. 17. *Et iratus fuit Draco in Mulierem & abiit, ut faceret bellum cum reliquis seminis ejus, qui servant præcepta Dei & habent testimonium Iesu Christi.*

18. *Et constitutus sum in sabulo maris.*

Vers. 17. *Et iratus est Draco in mulierem, & abivit, ut faceret bellum cum reliquis seminis ipsius, servantibus præcepta Dei, & habentibus testimonium Jesu Christi.* Hæc est catastrophe prælii Draconis contra Michaëlem & Mulierem puerperam. Tenuius hæc interpretemur de persecutione Christianorum extra Imperium Romanum. Dicitur, *Abiit*, nempe ut thronum suum traderet Bestiæ, ut non modò per Bestiam sanctos oppugnaret, sed etiam, ut in fine dierum iterum aperto bello reliquias seminis Ecclesiæ per Gogum & Magogum infestaret. Vide Apocal. 20: 8.

Vers. 18. Hîc schema visionis mutatur: Johannes *constituitur in sabulo maris.* Fortè Johannes figuram sustinet Ecclesiæ, quæ, potestate mundana translata in hominem de Ecclesia, quasi constituta est in sabulo maris, hoc est, in medio hominum infrugiferorum. Confer Deut. 33: 19. *Nam abundantiam marium sugunt.* Fortè hîc etiam alluditur ad ereptionem Israëlitarum ex Ægypto, qui traducti per mare rubrum viderunt Ægyptios mortuos in litore maris, Exod. 14: 30. Solet Scriptura traductionem Ecclesiæ per gentilium persecutiones comparare cum Israëlitarum traductione per mare rubrum. Hos. 12: 14. Et, quemadmodum Pharao ac copiæ ipsius submersi sunt, ita etiam persecutores interierunt.

CAPUT DECIMUMTERTIUM.

HIc incipit historia Bestiarum. Duæ Bestiæ producuntur, una ex Mari, altera ex Terra. De illa est versibus 10. primis; de hac reliquis. Illius descriptio est vers. 1. & parte 2. Post descriptionem exponitur, quomodo acceperit potentiam, vers. 2. 3. &, cum quo effectu, vers. 4. Succedit usus potestatis in bello gerendo & loquendis blasphemiis. Additur

tur potestatis tempus, & victoria & latitudo imperii, & qualitas eorum, qui ipsi obediunt. vers. 5. 6. 7. 8. Sequitur præconium excitans ad audientiam judicii, vers. 9. & judicium Dei ac consilium circa sanctos. vers. 10.

BESTIA PRIOR.

1. Καὶ εἶδον ἐκ τῆς θαλάσσης θηρίον ἀναβαῖνον, ἔχον κεφαλὰς ἑπτὰ καὶ κέρατα δέκα· καὶ ἐπὶ τῶν κεράτων αὐτοῦ δέκα διαδήματα, καὶ ἐπὶ τὰς κεφαλὰς αὐτοῦ ὄνομα βλασφημίας.

2. Καὶ τὸ θηρίον, ὃ εἶδον, ἦν ὅμοιον παρδάλει, καὶ οἱ πόδες αὐτοῦ ὡς ἄρκου, καὶ τὸ στόμα αὐτοῦ ὡς στόμα λέοντος. Καὶ ἔδωκεν αὐτῷ ὁ δράκων τὴν δύναμιν αὐτοῦ, καὶ τὸν θρόνον αὐτοῦ, καὶ ἐξουσίαν μεγάλην.

3. Καὶ ἓν ἐκ τῶν κεφαλῶν αὐτοῦ ὡς ἐσφαγμένην εἰς θάνατον· καὶ ἡ πληγὴ τοῦ θανάτου αὐτοῦ ἐθεραπεύθη, καὶ ἐθαυμάσθη ὅλη ἡ γῆ ὀπίσω τοῦ θηρίου.

4. Καὶ προσεκύνησαν τὸν δράκοντα, ὅτι ἔδωκε τὴν ἐξουσίαν τῷ θηρίῳ, καὶ προσεκύνησαν τὸ θηρίον, λέγοντες· Τίς ὅμοιος τῷ θηρίῳ; τίς δύναται πολεμῆσαι μετ' αὐτοῦ;

5. Καὶ ἐδόθη αὐτῷ στόμα λαλοῦν μεγάλα καὶ βλασφημίας· καὶ ἐδόθη αὐτῷ ἐξουσία ποιῆσαι μῆνας τεσσεράκοντα δύο.

6. Καὶ ἤνοιξε τὸ στόμα αὐτοῦ εἰς βλασφημίαν πρὸς τὸν Θεόν, βλασφημῆσαι τὸ ὄνομα αὐτοῦ, καὶ τὴν σκηνὴν αὐτοῦ, καὶ τοὺς ἐν τῷ οὐρανῷ σκηνοῦντας.

7. Καὶ ἐδόθη αὐτῷ πόλεμον ποιῆσαι μετὰ τῶν ἁγίων, καὶ νικῆσαι αὐτούς· καὶ ἐδόθη αὐτῷ ἐξουσία ἐπὶ πᾶσαν φυλὴν καὶ γλῶσσαν καὶ ἔθνος.

8. Καὶ προσκυνήσουσιν αὐτῷ πάντες οἱ κατοικοῦντες ἐπὶ τῆς γῆς, οὗ οὐ γέγραπται τὸ ὄνομα αὐτοῦ ἐν τῷ βιβλίῳ τῆς ζωῆς τοῦ ἀρνίου τοῦ ἐσφαγμένου ἀπὸ καταβολῆς κόσμου.

9. Εἴ τις ἔχει οὖς, ἀκουσάτω.

10. Εἴ τις αἰχμαλωσίαν συνάγει, εἰς αἰχμαλωσίαν ὑπάγει· εἴ τις ἐν μαχαίρᾳ ἀποκτανεῖ, δεῖ αὐτὸν ἐν μαχαίρᾳ ἀποκτανθῆναι. ὧδέ ἐστιν ἡ ὑπομονὴ καὶ ἡ πίστις τῶν ἁγίων.

VERS. 1. *Et vidi ex mari Bestiam ascendentem, qua habebat capita septem & cornua decem, & in cornibus suis decem diademata, & super capita sua nomen blasphemiæ.*

2. *Et bestia, quam vidi, erat similis pardo, & pedes ejus, ut ursi, & os ejus, ut os leonis: & dedit ei Draco potentiam suam & thronum suum & potestatem magnam.*

3. *Et vidi unum capitum ejus, ut mactatum ad mortem. Et plaga mortis ejus sanata est: & admirata est tota terra post Bestiam.*

4. *Et adorarunt Draconem, qui dedit potestatem bestiæ; & adorarunt bestiam, dicentes: Quis similis bestiæ? Quis poterit belligerare cum ea?*

5. *Et datum ei est os loquens magna & blasphemias: & data est ei potestas faciendi menses quadraginta duos.*

6. *Et aperuit os suum in blasphemiam in Deum, ut blasphemaret nomen ejus & tabernaculum ejus, & tabernaculum habentes in cœlo.*

7. *Et datum est ei bellum facere cum sanctis & vincere eos: & data est ei potestas in omnem tribum & linguam & gentem.*

8. *Et adorabant eam omnes habitantes in terra; quorum non erant scripta nomina in libro vitæ Agni, mactati à jactu mundi fundamentis.*

9. *Si quis habet aurem, audiat.*

10. *Si quis captivitatem colligit, in captivitatem abit. Si quis in gladio occidit, oportet eum in gladio occidi. Hic est patientia & fides sanctorum.*

Vers. 1. *Et vidi ex mari bestiam ascendentem.* Confer. cap. 11. vers. 7. Sic Dan. 7. v. 3. *Quatuor animalia magna ascendebant ex mari.* Sed Apocalypsis

calypsis commiscet quatuor animalia in unum. *Ascendere ex mari*, nempe *in terram*, significat, ex mundo in Ecclesiam transferri; & multitudini confitentium nomen Christi adjungi, atque ita sub nomine Christi censeri. Nam quid per *mare* intelligemus, nisi mundum alienum à Deo, ventis & agitationibus Principis hujus seculi subjectum, qui respuit accipere sementem verbi Dei, atque ita *Ager* nondum est: licèt in eo sint Ecclesiæ tanquam navigia, referentes similitudinem arcæ Noachi. Etiam maximum Imperium in mundo, in quo multi populi colliguntur & copulantur, ut fluvii in Oceano, rectè *mare* quoddam dicetur. Quando igitur tale aliquod imperium vel mundus recipit Ecclesiam & habitare patitur & sementem fieri finit, aut etiam multi sermonem cum gaudio recipiunt, radicem non habentes, passim verò sunt fideles, tum mutatur *mare* in similitudinem *terræ*, & fit *Ager*. Draco iram suam exsecutus erat in *terra* illa prisca Judæorum & in mundo reliquo, velut *mari*. Quando is *abiit* & desiit se Euangelio palam opponere, & incepit agere præconem justitiæ, subitò *mare* conversum est in *terram*, & in ea imperium obtinuit populus, qui modò in mari fluctuabat. *Bestia* distinguenda est à *muliere*, *quæ pepererat masculum*. Non est Ecclesia, sed est multitudo hominum animalium. Confer Judæ vers. 10. 2 Petr. 2. vers. 12. Supra cap. 6. vers. 12. dicebantur *bestiæ terræ*. Hîc *Bestia* significat systema Bestiarum. Quemadmodum animal, quod visum Ezechieli cap. 1. etiam animalia dicitur, & Johannes quatuor formas unius animalis in quatuor animalia distribuit, ita vice versa quatuor Bestiæ Dan. 7. in unam Bestiam compinguntur. Es. 11. v. 7. dicitur, Bestias cum hominibus habitaturas. ubi fit mentio lupi, pardi, leonis, ursi. Parum hoc abludit à præsenti ænigmate. Ad gloriam Christi facit, non tantùm ex lupis fieri oves, sed etiam lupos ovibus cohabitare. *Habens septem capita & cornua decem.* Vide infra cap. 17. v. 7. & sequent. *Et in cornibus* 10. *diademata.* Vide cap. 17. v. 12. 13. Ibi dicitur, decem cornua significare decem reges, qui sint potestatem accepturi, ut reges; qui potestatem suam Bestiæ sint tradituri. Potestas regia significatur per diademata in cornibus. Bestia gerit hæc cornua, quia hi reges tradunt potestatem suam Bestiæ. Quòd autem non sint eadem hæc cornua cum cornibus Draconis, patet, quia Apocalypsis dicit, eos una hora cum Bestia potestatem habituros. Nec tantùm differunt à decem cornibus Draconis, sed & à decem cornibus quarti Animalis, quod describitur Dan. 7. Nam hæc cornua sunt μίαν ὥραν. At illa apud Danielem succedunt sibi invicem. Nam coram parvo cornu dicuntur *tria ex prioribus* effracta. Saltem tria illorum cornua effringuntur coram parvo cornu: quod non dicitur de his decem aut tribus horum

horum decem : quæ poteſtatem ſuam unanimi conſenſu tradunt Beſtiæ. *Et in capitibus ſuis nomina blaſphemiæ.* Confer cap. 17. v. 3. Plena elogiis tituliſque ſuperbis Deoque injurioſis : qualia multa obvia ſunt. Sed notandum eſt, *nomen* in ſcripturis ſignificare objectum adorationis & fidei. Cui paremus, ſervimus, confidimus, credimus, eum nominamus tanquam auctorem noſtræ fidei & ſpei, & actionum omnium. Ita ſolus Deus nominari vult. Confer Epheſ. 1. v. 21. Phil. 2. v. 9. 2 Tim. 2. v. 19. Act. 4. v. 12. 3. v. 16. Quando igitur alius nominatur, quàm Deus, aut verbum non Dei habetur pro divino, aut cultus aſtringitur ad locum aut medium, de quo Deus non dixit, ſe ibi poſuiſſe nomen ſuum, hoc eſt nomen blaſphemiæ. Imprimis huc pertinet auctoritas epiſcoporum, tanquam juriſdictionem habentium, aut infallibiliter teſtantium : de qua cognoſcemus in conſideratione Beſtiæ ſecundæ. In montibus dicuntur eſſe nomina blaſphemiæ, quia populorum conſenſu & potentia omnis illa auctoritas illegitima ſubnixa eſt. Alluditur ad cultum Dei, quem Jaroboam & alii ſe dicebant exercere in celſis. Quo reſpiciunt etiam prophetiæ; ut Eſ. 65. v. 7. *Pravitates veſtras & pravitates patrum veſtrorum una, dixit Jehovah, qui adoleverunt in montibus, & in collibus me blaſphemarunt.* Sed quandoquidem Beſtiæ capitibus dicitur q. inſcriptum nomen blaſphemiæ, maximè promta hujus dicti interpretatio eſt : In omnibus partibus hujus imperii homines præ ſe ferre *nomen blaſphemiæ*, h. e. nominare aliud nomen, quàm quod Deus dedit in hominibus, in quo oportet eos ſalvari. Actor. 4: 12. *Non eſt nomen aliud ſub cœlo datum in hominibus, in quo oporteat ſalvari nos.* Nemo eſt hominibus nominatus à Deo, quem oporteat nominare cauſam ſalutis & ejus credendæ teſtem atque auctorem. Solebant idololatræ etiam ſtigma ſibi inurere, ſignum, cujus dei ſe eſſe gloriarentur. Id vetat Lex Levit. 19: 28. Paulus, ſive huc alludens ſive ad id, quòd ſervi notabantur à dominis ſuis, ait, ſe στίγματα τοῦ κυρίου *ſtigmata Domini in corpore ſuo portare.* Galat. 6: 17. Et mox verſu 16. dicit Prophetia, Imaginem Beſtiæ ſignaturam dediſſe in frontem. Contra cap. 14: 1. dicuntur, qui cum Agno ſunt, *nomen* patris ejus gerere in frontibus. Adde ad hæc, quòd in univerſum dicere, *Hic eſt Chriſtus*, ſit blaſphemia. Quod etiam fit, quando populi dicunt, penes nos eſt regnum Dei, apud nos eſt Chriſtus, nos ſumus Eccleſia, & volunt omnes fideles vocari à ſuo aut metropoleos ſuæ nomine Romanos. Hanc blaſphemiam indicari exiſtimo Deut. 33: 19. *Populi* ad *montem vocabant.* In omnibus hujus populi montibus nominatur nomen hominum, Eccleſiæ, quæ paret hominibus, & quæ, quum debeat eſſe Catholica, dicitur *Romana.*

Verſ. 2. *Et beſtia, quam videbam, erat ſimilis pardo.* hoc eſt, varii colo-

ris erat. Ad hanc Bestiam enim pertinent Christiani servientes episcopis, & aliud principium fidei constituentes, item Ariani, Musulmanni, &c. In quibus omnibus idem spiritus regnat. Daniel c. 7. v. 6. *tertium animal pardum* vocat, quod significat imperia Musulmannorum, sive Chalifarum, in Syria, Ægypto, Asia, Græcia; quemadmodum monuimus ad locos de Antichristo agentes. *Et pedes ipsius, ut ursi.* Hoc est animal Danielis secundum, notans gentes Arianas: sævas & fusco colore, h. e. abominabiles abnegatione magnitudinis Christi. *Et os ejus tanquam os leonis.* Hoc est ænigma rapacitatis & crudelitatis. Danieli *primum animal* vocatur *Leo.* Hactenus descriptio. *Et dedit ipsi Draco potentiam suam, & thronum suum, & potestatem magnam.* Draco ligatus & conjectus in abyssum (cap. 20. v. 2. 3.) cedit locum bestiæ. Significatur mutatio Imperii Romani à cultu Deorum, & persecutione nominis Christiani, ad illius nominis professionem: de qua etiam Dan. 11. v. 37. *Et ad Deos patrum suorum non attendit.* Rex & regnans populus, post Seleucidas Lagidasque & Antiochum Epiphanem, tandem relicturus erat superstitionem Patrum suorum, & Deos illorum, Saturnum, Jovem & ceteros. Fuit hæc regni Christi quædam gloria, sed non sine dolo Satanæ. Gloria Christi est, quod *mentiuntur ipsi hostes ipsius.* Dolus Satanæ est, quod *mentiuntur.* Ex illo tempore operatio Satanæ fuit prædicare Euangelium, sed in fraude. Aliquando etiam hæreses damnavit, sed ut thronum suum confirmaret. Ita *se mutavit in Angelum lucis.* Confer 2 Thess. 2. v. 9. Ergo Bestia hæc est populus Romani imperii habens potestatem in mundo, nominans aliud nomen, præter Christum, vel Christum non sincerè nec solum nominans. Artificium Satanæ præcipuum est, quòd voluit Ecclesiam præesse politiæ, & reges scortari cum Bestia, & ei omnem suam potestatem tradere. confer cap. 17. v. 13. Ita effecit duplex regnum in uno, ut responderet veritas colossо Nabuchodonosoris, Dan. 2. Necesse est omninò *Bestiam* intelligere eo modo, quo apud Danielem *Bestia* vel *Animalia* dicuntur: quæ sunt *Regna*, sive *Reges*, h. e. regnantes aut dominantes populi. Ut Judæ tribus cum *Leone*, ita aliæ cum *Asino* & *Cerva* comparantur. Per talia emblemata populi significantur. In Hebræo & Chaldæo est vocabulum, quod & *feram & animal* notat. Apocalypsis *quatuor* ζῶα dicit, sed duo Συρία: in illis *vitam*, in his *feritatem* & brutum animum designans. Jam Draco absque omni dubio, ut describitur capite duodecimo, notat populum Romanum à Diabolo agitatum, idololatriæ deditum. Et succedit non Ecclesia, sed *Bestia*, ut in eodem throno sedeat. Quid evidentius dici potest? quando populus ille alium statum & aliud nomen, post nomen cultoris deorum, induit, alio signo hieroglyphico sive parabolico

bolico denotatur. Cogimur ergo fateri, quando populus Romanus, desinens persequi Christianos, abjecit deos patrios & nomen Christi assumsit, & se subjecit Episcopis, tum eum populum non factum esse Ecclesiam, nec Ecclesiam factam esse regnum de hoc mundo: licèt in medio illius populi (ut & extra pomœria ejus) essent fideles & sancti. qui sunt Ecclesia.

Vers. 3. *Et vidi unum ex capitibus ipsius tanquam mactatum ad mortem.* Deus initio istius imperii Ecclesiastici voluit manifestare, Bestiam non esse Ecclesiam: quia Ecclesia interfici non potest, Bestia autem potest interfici. *Unum caput ex septem.* Significat provinciam aliquam præcipuam illarum terrarum, in quibus bestia imperium habebat. Infra cap. 17. v. 9. septem capita dicuntur esse septem montes, in quibus mulier sedet. Si intelligeremus septem montes urbis Romæ, prædicata montium illis non convenirent: nisi si velimus septem montes à septem regibus distinguere. Nam *septem capita* & *septem reges* designant. Inter partes imperii Romani nobilissima erat Græcia, quæ sub Constantino facta erat sedes imperatorum. In hac parte Bestia accepit vulnus letale, quando Julianus cultum Deorum restituit. Tunc enim visi sunt imperare gentiles, & Christiani ferè ad incitas redacti: quanquam revera illa plaga ferè tantùm id effecerit, ut ex multorum cordibus cogitationes manifestæ fierent, & ab Ecclesia recederent gentes, quæ eam inceperant calcare; atque ita fuerit vulnus Bestiæ h. e. populi regnantis, qui se vocabat Ecclesiam; non Ecclesiæ. De qua re paulò pluribus egimus in locis de Antichristo. Quæ alii dicunt de ista plaga, minùs evidentia sunt. Nihil tamen impedit, quò minùs Bestia sæpiùs vulneretur & languere videatur, atque etiam sanari. Interim primum nobilissimumque exemplum & ordini prophetiæ maximè conveniens, hîc spectandum est, ut initar omnium.

Et plaga mortifera ipsius, nempe Bestiæ, *sanata est*, h. e. sublatus est è medio Julianus, eique successit Jovianus Catholicus, quem excepit Valentinianus, qui in consortium potestatis assumsit fratrem Valentem; qua re, ut Ammianus loquitur, *occursum putabatur fragilitati sublimium fortunarum.*

Et mirata est tota terra post Bestiam, h. e. omnes homines cæperunt suspicere illud imperium ecclesiastico politicum, tanquam ipsam Ecclesiam & regnum Christi.

Vers. 4. *Et adorarunt Draconem, qui dederat potestatem Bestiæ.* Verbo quidem laudarunt Deum & Christum, qui tantam potestatem dedisset Ecclesiæ: sed revera, quia illa non erat Ecclesia, sed Bestia, & potestas mundana, quam sibi arrogabat, erat potestas concessa à Dracone se transfigu-

rante in Angelum lucis, is, quem adorarunt, fuit Draco. Hîc etiam recordari debemus Ecclesiæ Pergamensis, *ibi habitantis, ubi erat thronus Satanæ*, cap. 2: 13. Tenetur regula, quòd gaudere opibus terrestribus sit abnegare Deum. Job. 31: 25. 28. Zacharias testatur capite quinto, postquam Adjuratio scripta in volumine venisset in domum non Dei sed furis & jurantis in nomine Jehovah falsò, prodiisse Ephan (Modium) & in ea consedisse fœminam, cujus nomen vocat רִשְׁעָה *injustitia*; & dicit, *Eum esse oculum totius terræ*, h. e. omnes in tota terra spectare opes hujus seculi. Quod tantundem est, atque si dicat, post pessundatam Rempublicam Judæorum prodituram aliam Rempublicam, in qua regnet Ἀνομία & doctrina non veræ justitiæ. Omnes verò habitantes in terra admiraturos esse id imperium propter opulentiam.

Et adorarunt Bestiam; *dicentes, quis est similis bestiæ? quis potest cum illâ bellum gerere?* Suspiciunt splendorem, divitias, felicitatem, potentiam, terribilitatem Bestiæ. Dei solius est hoc elogium Es. 40: 18. *Cum quo comparabitis Deum?* & vers. 25. *Quis, ut ego?* & 44: 7. Psalm. 113: 5. Mich. 7: 18. Rom. 9: 21. Convenit jactatio ipsius meretricis Es. 47: 8. *Ego sum & præter me nihil. Non ero vidua.* Confer Apocal. 18: 7. Quod Christus dixerat de Ecclesia, *portas inferni illi non esse prævalituras*, Matth. 16: 9. id *incolæ terræ* tribuunt Bestiæ.

Vers. 5. *Et datum est ipsi os loquens magna & blasphemias, & data est ipsi potestas bellum faciendi.* Duo hæc sunt, quæ data sunt Bestiæ, quibus jungitur tertium vers. 7. *potestas in omnem tribum* &c.

Datum est ipsi os, h. e. Deus permisit, ut homines crederent, bestiam infallibiliter loqui. *Data est ipsi potestas bellum faciendi*, h. e. permisit Deus, ut & vi & dolo atque seductione bellum faceret. Quod non statim in ipsis initiis apparuit, sed tandem profecit ad apertam oppugnationem. Quidam codices pro πόλεμον ποιῆσαι, *bellum facere*; quod habet Complutensis; habent ποιῆσαι *facere*. Ita Vulgata Latina, *potestas facere*, & Primasius, *Et data est ei potestas faciendi mensibus quadraginta duobus.* Syrus, לְמֶעְבַּד *faciendi*. Arabs, *pugnandi*. Æthiops, *faciendi signa*. Sed hi voluerunt exponere, quid intelligerent per facere. Waltonus edidit ποιῆσαι, ne mentionem quidem faciens lectionis alterius. Et Beza edidit ποιῆσαι, & vertit, *agendi*. Et sanè videtur ea lectio potior esse; sive quia non est admittenda tautologia (mox enim vers. 7. demum dicitur, quòd *ei data sit potestas bellum faciendi cum sanctis*) sive quia non convenit absolutè dici, *datum esse ei bellum facere*, non addito, cum quo: sive quia bellum facit non tantùm quadraginta quatuor menses. Quamobrem hanc lectionem potiùs sequimur. *Facere* phrasi Hebraica est facere sine impedimento, perficere,

ficere, patrare. Phrasis ea Danielis cap. 8: 24. & 11: 7. 20. 30. Similiter est Psalm. 22: 32. Es. 44: 23. Psalm. 52: 11. Hîc additur tempus *faciendi*, *menses* 42. Bellum, quod gerit, diutius, ut diximus, durat. Sed *ex voto facere* ad istos terminos adstringitur. Dan. 7: 25. Sancti *dabuntur in manum cornu parvi per tempus tempora & dimidium temporis*. Quamdiu *sancti dantur in manum ejus*, tamdiu *facit*; sed, iis ereptis ex manu ejus, non cessat *bellum facere*.

Quadraginta duos menses, qui cap. 11: 2. notati sunt. Inveniemus, si omnia prædicata illius spatii conferamus, ea competere in annos 1260. qui videntur terminari in anno 1552. quando facta est transactio Passaviensis, cui successit Pax Religionis confirmata Augustæ anno 1555. Tunc desiit bestia *facere*. Tunc confirmata est separatio Ecclesiæ Reformatæ ab Antichristiana. Incipiet hoc spatium ab anno 292. quo anno Constantius Chlorus Cæsaream dignitatem & patrocinium Christianorum suscepit. Dehinc *mulier* quidem *nutrita est inter gentes*, *sed hostes mentiti sunt Christo*, *& calcarunt civitatem sanctam*, & cæpit existere *Bestia*, & cæpit *facere*, & *duo testes interfecti sunt*, & mortui fuerunt in plurimis, & *cadavera eorum fuerunt ostentui*. Hoc est, quod Daniel dicit cap. 11: 36. *Et faciet secundùm votum suum Rex*. Sive dicas, ille populus dominans, sive dicas, *Rex aliquis*, qui scil. imposterum noscetur: ex quo scilicet *Princeps* exstitit inter Romanos, qui βασιλεὺς nominatus fuit. Inter cujus acta, quæ faciens dicitur *facere pro voluntate sua*, recensentur & ista: *Non attendere ad deos patrum suorum*, patriam religionem aut superstitionem & idololatriam relinquere: deinde *non attendere ad desiderium mulierum*, h. e. matrimonium justum & amorem conjugum, *& non attendere ad omnem Deum*, etiam illum, quem nominat, Christum Filium Dei; *& supra omnia se magnificare*; *& Deum arcium in suo locamento honorare*, *& Deum*, *quem non agnoverant ulli patres ejus*, *honorare auro & argento & lapide precioso & rebus desiderabilibus* &c. Quod dicitur de *Rege*, hoc rectè partim de *Dracone*, partim de *Bestia* dicitur. Mutatur enim regni status aut conditio, quando mutatur superstitio una cum altera, & introducitur potestas mundana, tanquam potestas Ecclesiæ. Cæterum, quod ad ordinem rerum prophetiæ attinet, Apocalypsis dicit, 1. Bestiam illam ex Abysso erupisse: quum antea cap. 12. v. 14. dixisset, Mulieri datas esse duas alas instar alarum Aquilæ illius magnæ. 2. Unum ex capitibus ejus tanquam vulneratum esse ad mortem. 3. Id vulnus sanatum esse. 4. Totam terram admiratam esse eam. 5. Datum ei esse os magna loquens. 6. Datum esse ei facere menses quadraginta duos. Non putandum est, omnia, quæ Bestiæ attribuuntur, esse ejusdem spacii, sive habere idem initium: quasi Bestia simul

exſtiterit, ſimul vulnerata ſit, ſimul ſanata ſit, ſimul omnia fecerit: aut, τὸ *facere Beſtiæ* durare ſine interruptione per *quadraginta duos menſes*. Ratio ſuadet, ut illa pedetentim facta intelligantur: tamen, τὸ *facere* ipſius intelligatur terminari cum menſibus quadraginta quatuor, ex quo cœpit eſſe. Certum eſt; non habuit Beſtia ſeptem capita, niſi poſtquam totum imperium Romanum in nomen Chriſti conceſſit. Ita etiam, quæ dicuntur Leonis, Urſi, Pardi, ſuis temporibus patefacta ſunt. Tamen etiam tum, quando Mulieri datæ ſunt duæ alæ, incepit illa Beſtia eſſe, in ſui parte. Statim enim apud Cæſarem rerum potiti ſunt, qui Chriſtiani vocabantur. Narrat Euſebius, Cæſarem finxiſſe, ſe velle diis immolare, & juſſiſſe domeſticos ſuos idem facere. Tum quoſdam Chriſtianorum nomen depoſuiſſe, alios ab aula diſceſſiſſe. Cæſarem verò indignatum hiſce uſum eſſe miniſtris, illos à ſe repuliſſe. Si hæc vera ſunt, fuit ea invitatio ad Chriſtianiſmum profitendum, & impoſterum conſtantius id nomen retinendum, ſi qui in aula vellent eſſe accepti.

Verſ. 6. *Et aperuit os ſuum ad blaſphemiam.* Hæc eſt cauſa belli ſive initium belli gerendi. Statim atque nata fuit Beſtia, blaſphemavit. Nam, qui ſine fide nomen Chriſti nominat, blaſphemus eſt. Sed tamen apertio oris ad blaſphemandum ſignificat progreſſum impudentiæ, fiduciæ, & abundantiæ in blaſphemando. Ἄνοιξις στόματος *apertio oris* notat παῤῥησίαν & confidentiam in loquendo. Incepit *revelari* Beſtia, quando aperuit os ad blaſphemandum. Intelligendi hîc omnes ſermones ἄκυρα & non ad gloriam Dei pertinentes, qui in imperio auditi ſunt, poſtquam incepit Chriſtiana Eccleſia nominari. *Blaſphemavit autem nomen Dei, & tabernaculum ejus, & qui in cœlo habitant.* *Nomen Dei* dicitur vel omne id, quod Deus de ſe revelat, & credi vult (nam Deo attribuere, quæ ipſe habet, eſt Deum nominare) vel ipſam auctoritatem Dei, qui auctor fidei primus, proximus & immediatus, nominandus eſt: vel ipſum inſtrumentum, per quod Deus ſe nominat nobis. Quemadmodum Deus, quando *vias ſuas revelavit Moſi*, dicitur *nomen ſuum prædicaſſe*. Exod. 33: 13. & 34: 5. 6. 7. Ergo intelligitur, Beſtiam blaſphemare veritatem, quæ de Deo credenda eſt, & auctoritatem Dei, & inſtrumentum revelationis, nempè Scripturam. Qui hoc facit, ad Beſtiam pertinet. *Tabernaculum Dei* eſt partim Chriſtus, in quo eſt Deus, & in quo habitat inter nos, partim ipſa Eccleſia, in qua Deus habitat. Chriſtus blaſphematus eſt à Beſtia multis modis. Imprimis, quia non ſolus pro capite habetur; & dicitur habere Vicarium caput; & habere regnum aſpectabile; & eſſe ἐν ταμείῳ, & velle in arcibus coli; & non inveniſſe ſufficientem ἀπολύτρωσιν. &c. Tertiò eos, *qui in cœlo habitant*, blaſphemat, h. e, 1. Angelos

&

& ſanctos, quos blaſphemat invocando, & adorando; de quibus falſum teſtimonium dicit, quòd ſcilicet mendacium docuerint; verbi cauſa Prophetæ, Apoſtoli, martyres: dum ſcilicet eos patronos facit ſui erroris, & veritatem ab ipſis prædicatam perſequitur. 2. Fideles, qui habent civitatem in cœlo, qui ſunt à Chriſto facti ſacerdotes & reges, & dicunt: Hîc eſt Chriſtus: neque conſentiunt cum admirantibus Beſtiam, qui regnum cœleſte & ſpirituale transformant in terreſtre & humanum. Notatur hîc differentia Eccleſiæ Novi Teſtamenti ab Eccleſia Veteris Teſtamenti, quæ habebat civitatem terrenam. Nam Eccleſia Novi Teſtamenti talem civitatem non agnoſcit. Ideo cap. 3: 12. *Nova Jeruſalem* dicitur *de cœlo deſcendere*. Noſcitur hîc character Beſtiæ. *Blaſphemat*, & vult *adorari*, & *adoratur ab habitantibus in terra*, h. e. ab illis, qui externa & terreſtria Eccleſiæ habent cum ea communia. Nam Beſtia conſtat *gentibus*, quæ mentiuntur Chriſto. Nam alioqui nihil eſſet, quo *Draco* & *Beſtia* diſtinguantur.

Verſ. 7. *Et datum eſt ipſi bellum facere ſanctis, & vincere eos.* Dan. 7: 20. 25. *Sancti* ſunt ſanctificati per ſanguinem & ſpiritum Chriſti, in fide veritatis. Cum iis pugnat eo ipſo, quòd Beſtia eſt. Pugna tamen illa habet diverſos actus & gradus, qui ſunt 1. non obedire piis veritatem loquentibus, ut illi eos pro fratribus genuinis habere, & eorum cauſa Deo gratias agere poſſint. 2. Iis contradicere, & ab eorum amore alios abducere. 3. Offendere doctrinis falſis & ſcandalis; imò ipſa proſperitate tentare. 4. Odiſſe. 5. Iraſci redarguentibus. 6. Vi perſequi & opprimere. *Sanctos vicit* etiam non uno modo. 1. Minuendo gaudium & lætitiam ipſorum. 2. Impediendo ædificationem & diſciplinam ſecundùm verbum Dei. Nam, quando forma regiminis mutatur, & quando ab illis, qui præſunt quaſi cum poteſtate ſingulari & ſupereminenti, falſa dicuntur, aut dici permittuntur, impeditur officium Eccleſiæ in ædificando & judicando. 3. Diſſipando eos, & in latebras adigendo; itaque privando fructu communionis ſanctorum. Quando etiam plerique, cum quibus commercium eſſe poteſt, inquinati ſunt, ut cogantur pii dicere, *defecit fidelis.* Pſalm. 12: 2. tunc Sanctis nihil eſt reliquum, niſi ut ſeſe abſcondant, & omnes tanquam ſuſpectos fugiant. 4. Eos abſterrendo à contradictione, & ad κοινωνίας & μεθοχὼ peccati ſui abſtrahendo. Confer c. 2: 20. 5. Pabulum animæ ſubtrahendo, nempe purum putum verbum Dei & ſolidam ejus interpretationem. Etiam ſecundùm hominem viſi ſunt *vinci*, quibus vita hæc terrena erepta eſt à beſtia. Sed illa mors ſanctorum victoria eſt, quam reportarunt de beſtiâ. Niſi quòd, juſtis & δοκίμοις ſublatis, ſimpliciorum fides magno fuit orbata adjumento, & verbum quaſi ad ſilentium redactum eſt.

Et

Et data est ipsi potestas in omnem tribum, linguam & gentem. Quando reges terræ fornicati sunt cum bestiâ, & ei tradiderunt potestatem suam, habuit potestatem civilem in omnem tribum & gentem. Sed præterea per ἐνέργειαν πλάνης, 2. Thess. 2: 11. subjecit sibi propenodum omnes gentes. *Et adorabunt illam.* Hic mutatur phrasis. In visione sanctus Joh. locutus erat per modum narrantis: hîc mutatur narratio in prædictionem: nisi velimus per Hebraismum futurum pro imperfecto accipere. Quod in Apocalypsi sæpe fit. *Omnes habitantes in terrâ*, h.e. profitentes nomen Christi, & externa Ecclesiæ participantes. *Quorum nomina non sunt scripta in libro vitæ agni mactati à fundatione mundi.* Hîc non tam profitentes nomen Christi distribuuntur in duas classes; quorum una sit eorum, *qui scripti sunt in libro agni mactati à fundatione mundi* (pro quo dicitur cap. 17: 14. *Vocati & electi & fideles*) altera eorum, qui in libro agni non sint scripti: quàm ii, qui in tota Prophetia dicuntur *habitantes in terra*, definiuntur; quòd non vivat in illis Agnus; neque ab ipso scripti sint ad vitam; neque ad eum pertineant. Unde intelligitur, eos dici tantùm *habitare in terra, & in cœlo non habere tabernaculum*, neque pertinere ad templum Dei aut ad *Hierosolymam*, quæ *descendit de cœlo*: quia terrena quærunt & sapiunt: & in terra habent thronum, & nomen, & pseudoprophetam & imaginem bestiæ & signaturam propriam. His attribuitur, quòd *adoraverint bestiam*; illis, quòd eam non adoraverint. Simul distinguitur hîc scriptio in libro agni duplex. una, quæ est scriptio Christi, & ea est à fundatione mundi: & qui ita scripti sunt, illorum nomen non deletur. altera est scriptio manus propriæ. Vide cap. 3. v. 5. ex Es. 44. v. 5. Nempe omnes incolæ terræ, dum profitentur, nomina sua tanquam credentium in Christum, se ipsos scribunt in albo viventium, & sic obtinent nomen viventium, etiamsi mortui sint. Horum nomina magna ex parte deleri possunt, quia non omnes sunt electi & fideles. Apparet hinc, quòd hæc verba à *fundatione mundi* possint conjungi cum verbo *scripta sunt*. Quia scriptio nominum in libro vitæ, quæ fit in tempore, non distinguit non adorantes Bestiam ab adorantibus. Est enim communis omnibus profitentibus. De scriptione hac in libro vitæ, quæ est à fundatione mundi, intelligendus est cap. 20. v. 14. ubi dicitur, *si quis non est inventus scriptus in libro vitæ.* Præterea hic καὶ ἐξοχὴν dictus *liber vitæ* distinguitur à matricula, quam homines faciunt, etiam eo, quòd vocatur liber *agni*, & quidem *mactati.* Quo significatur, illos scriptos esse, ut datos agno & ab agno emtos. Confer cap. 17. v. 8. & 21. v. 27. Porrò verum est, & ex hoc loco probatur, quòd nullus sit *liber vitæ*, nisi agni *mactati*, atque adeò nemo, nisi per mortem agni & fidem in agnum, particeps vitæ fiat aut factus sit. Unde patet, rectè etiam dici *Agnum macta-*

mactatum à mundi fundatione, quia etiam ante fundationem terræ in Christo, ut agno mactato, electi sunt hæredes vitæ. Christi mors habet efficaciam etiam ad fundationem terræ. Nam in Christo, ut morituro, fecit Deus consilium seculorum. Ephes. 3: 11. Tamen ita dicitur *mactatus ante fundationem terræ*, ut simul verum sit, eum non esse mactatum nisi in consummatione seculi ad abolitionem peccati. Hebr. 9: 20. Quædam sunt facta à Deo, antequam Christus moreretur, quæ decenter fieri non potuissent, nisi Christus moriturus esset; & eorum respectu dicitur mactatus ante fundationem mundi sive terræ: quædam fieri non potuerunt, vel propter decretum Dei, vel propter decentiam Dei, nisi Christus mortuus esset. Non potuit dici, Christum mortuum esse & peccatum abolevisse, non voluit Deus ad gentes pervenire regnum Dei; antequam mortuus esset. Videmus etiam in hoc versu statum Ecclesiæ pugnantis cum Bestia. Omnes cohabitant, nempe ut oves & lupi; quod prædixerat Es. 11. Censentur ejusdem esse cœtus. Quando igitur interrogamur, ubi fuerit Ecclesia mater nostra illis temporibus; respondebimus, *sanctos victos esse à Bestia*: illos esse parentes nostros & fratres nostros, qui *Bestiam non adorarunt*: neque necesse esse, ut nos illos demonstremus, sed nos tutò credere, illos fuisse, quia scriptura testatur, agnum eos habuisse in catalogo suo. Homines catalogum *incolarum terræ* videre possunt, *librum agni* inspicere non possunt.

Vers. 9. *Si quis habet aurem, audiat.* Hæc est partim excitatio ad audiendum; partim regula probationis illorum, qui habent aurem; nempe, si Deum audiunt, aurem habent. Joh. 10. *Oves meæ audiunt sermonem meum.* Partim est promissio; futuros esse, qui audiant. Partim est indicatio finis, quare hæc scripta sint; nempe ut aurem habentes audiant. Et propter illos tota scriptura est condita. Non igitur, si multi non audiant, sequitur, scripturam esse inutilem, aut audiri non posse, quid illa dicat. Deus *dat aurem.* Deut. 29. vers. 4. Et, quibus dat aurem, audiunt.

Vers. 10. Post excitationem præcedentem subjicitur sententia Dei in ἀνδραποδισὰς, *qui in captivitatem ducunt*, & homicidas. Ea sententia est in Bestiam & in eos, qui cum ea scortantur. Hac sententia muniuntur *sancti* cùm adversus speciem felicitatis, tum adversus speciem judicii. Utraque enim est fallax. Bestia accipit potestatem in omnes gentes; captivos agit & ἐξανδραποδίζει, & *sanctos* abolet, fugat, occidit. Noli moveri. Captiva fiet, occidetur gladio. Et hujus sententiæ exsecutio quædam est illa multarum provinciarum Romani Imperii redactio in potestatem gentium immanium, sævarum & grave jugum imponentium eis, quos perdomuerunt. Ideò & de *casu montium* quorundam prophetat cap. 17: 10. Patet

hoc tempore, magnam partem imperii, in quibus Bestia olim dominata est, pati dominos valde graves. Quid justius, quàm ut, qui Deum nolunt esse dominum, sed ipsi volunt dominari in cleros, aut volunt esse sub hominum dominatione, dominos alios ferre cogantur? Rursus vides homines, qui Christiani vocantur, captivos agi à Saracenis, à Turcis; vides Christianos inter se bella gerere. Noli moveri. Bestia ista est, &, quæ merita est, patitur. Involvuntur his sancti? *Patientia fides* eorum *probanda est. Hic est patientia & fides sanctorum.* hoc est, Deus hæc ita ordinavit in medium operandæ patientiæ in sanctis; & exspectatio atque timor illius judicii est fundamentum patientiæ sanctorum & fidei illorum exercitium. Fides etiam exspectat ea, quæ Deus Ecclesiæ promisit danda in hac vita. Ea igitur scrutatur & investigat, ut & olim Veteres Prophetæ fecerunt; qui quasi in statione steterunt, & ut vigiles matutini exspectarunt matutinum. Quidni sancti etiam sub Novo Testamento stabunt in muris & commonefacient Deum, ut ponat Hierosolymam laudem in tota terra, Es. 62: 6. & auscultabunt, quid Dominus dicat ad populum suum? Psalm. 85: 9. Non est magna fides aut charitas non velle scire, quid Deus paret, quis sit futurus exitus omnium mirabilium operum Dei? Dan. 12: 6. 8.

Vers. 10. Postquam sub nomine Bestiæ ascendentis ex mari depinxerat rempublicam Christianam, quæ visa est esse Ecclesia & ipsum regnum Dei, quod exspectabant martyres, & in quod Apostolus dicit per multas tribulationes intrandum esse Actor. 14. v. 22. cùm tamen esset Bestia & persecutrix sanctorum: in ὑπηγήσει gubernationem illius Bestiæ explicat. Neque enim debemus duas Bestias à se invicem dividere, quasi una sit posterior altera & illi succederet. Simul enim sunt. Quod ex vers. 12. apparet. Describit illam ab ortu, à proprietate, qua distinguitur à priori bestia & ab agno vers. 11. Tum enarrat illius operationes, per quas seducit, primo, ad adorandam Bestiam primam vers. 12. Secundò ad faciendum imaginem Bestiæ vers. 13. 14. & constituendam tyrannidem in Ecclesia: de qua agitur vers. 15. 16. 17. Subjicitur excitatio ad computandum numerum Bestiæ vers. 18.

11. Καὶ εἶδον ἄλλο θηρίον ἀναβαῖνον ἐκ τῆς γῆς, καὶ εἶχε κέρατα δύο ὅμοια ἀρνίῳ· καὶ ἐλάλει ὡς δράκων.

12. Καὶ τὴν ἐξουσίαν τοῦ πρώτου θηρίου πᾶσαν ποιεῖ ἐνώπιον αὐτοῦ, καὶ ποιεῖ τὴν γῆν καὶ τοὺς κατοικοῦντας ἐν αὐτῇ ἵνα προσκυνήσουσι τὸ θηρίον τὸ πρῶτον, οὗ ἐθεραπεύθη ἡ πληγὴ τοῦ θανάτου αὐτοῦ.

VERS. 11. *Et vidi aliam Bestiam ascendentem ex terra: & habebat cornua duo similia Agno; & loquebatur, ut Draco.*

12. *Et potestatem prima Bestia omnem faciebat coram ea, & faciebat terram & habitantes in ea, ut adorarent Bestiam primam, cujus plaga letalis sanata erat.*

13. *Et*

13. Καὶ ποιεῖ σημεῖα μεγάλα, ἵνα καὶ πῦρ ποιῇ καταβαίνειν εἰς τὴν γῆν ἐνώπιον τῶν ἀνθρώπων.

14. Καὶ πλανᾷ τοὺς κατοικοῦντας ἐπὶ τῆς γῆς, διὰ τὰ σημεῖα, ἃ ἐδόθη αὐτῷ ποιῆσαι ἐνώπιον τοῦ θηρίου· λέγων τοῖς κατοικοῦσιν ἐπὶ τῆς γῆς, ποιῆσαι εἰκόνα τῷ θηρίῳ, ὃ ἔχει τὴν πληγὴν τῆς μαχαίρης, καὶ ἔζησε.

15. Καὶ ἐδόθη αὐτῷ δοῦναι πνεῦμα τῇ εἰκόνι τοῦ θηρίου, ἵνα καὶ λαλήσῃ ἡ εἰκὼν τοῦ θηρίου, καὶ ποιήσῃ, ὅσοι ἂν μὴ προσκυνήσωσι τῇ εἰκόνι τοῦ θηρίου, ἵνα ἀποκτανθῶσι.

16. Καὶ ποιεῖ πάντας, τοὺς μικροὺς καὶ τοὺς μεγάλους, καὶ τοὺς πλουσίους καὶ τοὺς πτωχούς, καὶ τοὺς ἐλευθέρους καὶ τοὺς δούλους, ἵνα δῶσιν αὐτοῖς χάραγμα ἐπὶ τῆς χειρὸς αὐτῶν τῆς δεξιᾶς, ἢ ἐπὶ τῶν μετώπων αὐτῶν.

17. Καὶ ἵνα μή τις δύνηται ἀγοράσαι ἢ πωλῆσαι, εἰ μὴ ὁ ἔχων τὸ χάραγμα, ἢ τὸ ὄνομα τοῦ θηρίου, ἢ τὸν ἀριθμὸν τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ.

18. Ὧδε ἡ σοφία ἐστίν. ὁ ἔχων τὸν νοῦν ψηφισάτω τὸν ἀριθμὸν τοῦ θηρίου· ἀριθμὸς γὰρ ἀνθρώπου ἐστίν, καὶ ὁ ἀριθμὸς αὐτοῦ χξϛ'.

13. *Et faciebat signa magna, ut & ignem faceret descendere ex cœlo in terram coram hominibus.*

14. *Et seducebat habitantes in terra propter signa, quæ ipsi datum erat facere coram Bestia: dicens habitantibus in terra, ut facerent imaginem Bestiæ, quæ habebat plagam gladii, & sanata erat.*

15. *Et datum est ipsi dare spiritum imagini Bestiæ, ut & loqueretur imago Bestiæ, & faceret, quicunque non adorarent imaginem Bestiæ, ut occiderentur.*

16. *Et faciebat omnes, parvos & magnos, & divites & pauperes, & liberos & servos, ut daret ipsis signaturam in manu illorum dextra aut in frontibus eorum.*

17. *Et ut ne quis posset emere aut vendere, nisi qui haberet signaturam illam, aut nomen Bestiæ, aut numerum nominis ejus.*

18. *Hic sapientia est. Qui habet mentem, numeret numerum Bestiæ. Numerus enim hominis est: & numerus ejus 666.*

Vers. 11. *Et vidi aliam bestiam ascendentem ex terra.* Possumus verba Johannis sic ordinare, ut concipiamus illum vidisse Bestiam priorem & illius vulnerationem ac sanationem & adorationem. Tum cognovisse ipsi datum esse os ad loquendum magna, & ei apperuisse, datumque ipsi esse, postquam os aperuerat, ut bellum faceret, utque adorent ipsam &c. Atque ideò videtur vers. 8. usus esse futuro προσκυνήσουσι. Consequens erat, ut, quæ cognoverat futura esse, videret etiam fieri. Ita secunda Bestia cum initiis primæ Bestiæ conjungetur. Nec abs re erit hîc cogitare, quando Bestia inceperit blasphemias loqui, sive aperuerit os ad loquendum blasphemias. Prima blasphemia, quæ audita est in Imperio Romano post susceptum nomen Christi, est blasphemia Arii. Et hac ipsa occasione se aperuit *secunda Bestia ascendens ex terra.* Erat in *terra*, quoad radices suas, id est, materia illius Bestiæ jam in terra inveniebatur, sed ea nondum erat conglobata in Bestiam. Erant Episcopi, quos Zacharias cap. 11. vocat חַלִּילִים h. e. *nucleros*, quos Christus adhibuit tanquam virgam sive pedum ad regendum Ecclesiam pro tempore. Hi cum presbyteriis & Ecclesia ordinem curabant, & veritatem custodiebant, aliquando etiam, sed rarò, conveniebant in unum ad statuendum de moribus. Ut in Concilio

Ancyrano & Neocæsarienſi. Poſtquam Beſtia in Ario os aperuit ad blaſphemiam, coacta eſt Synodus Nicæna; in qua error quidem Arii damnatus eſt, ſed etiam multa, quæ ad Hierarchiam pertinent conſtituta aut confirmata ſunt, & Epiſcopis majorum civitatum ſive μητροπόλεων diſtributæ ſunt ἐξουσίαι. Sic enim habet Canon 6. Τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω, τὰ ἐν ἀγύπτῳ καὶ λιβύῃ καὶ πενταπόλει, ὥστε τὸν ἐν ἀλεξανδρείᾳ ἐπίσκοπον πάντων τούτων ἔχειν τὴν ἐξουσίαν· ἐπειδὴ τῷ ἐν τῇ ῥώμῃ ἐπισκόπῳ τοῦτο σύνηθές ἐστιν. ὁμοίως δὲ καὶ κατὰ τὴν ἀντιόχειαν καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις ἐπαρχίαις τὰ πρεσβεῖα σώζεσθαι ταῖς ἐκκλησίαις. καθ' ὅλου δὲ πρόδηλον ἐκεῖνο, εἴ τις χωρὶς γνώμης τοῦ μητροπολίτου γένοιτο ἐπίσκοπος, τὸν τοιοῦτον ἡ μεγάλη σύνοδος ὥρισε μὴ δεῖν εἶναι ἐπίσκοπον &c. Videmus legem eamque Imperatoris auctoritate munitam. Videmus Hierarchiam & capita ac principes *poteſtatem habentes* in alios tanquam inferiores. Modeſta tamen hæc ſunt, quia reliquuntur Eccleſiis ſua ſuffragia, tantùm γνώμη & ſententia metropolitani, ut neceſſaria requiritur. Hæc tamen ſunt primordia poteſtatis eccleſiaſticæ, & aſcenſus quidam Beſtiæ. Quæ *ex terra* dicitur *aſcendere*, quia eſt corpus hominum ad nominatam Eccleſiam pertinentium, paulatim ſeſe efferens & ὑπεραιρομένη ſupra fideles, quibus datum eſt *in terra ſtare*. Pſalm. 115: 16. *Cœli, cœli Domino: & terram dedit filiis hominum.* Per hanc ἔπαρσιν efficitur cœlum illud, quod cap. 6: 14. vidimus convolutum inſtar voluminis. *Beſtia* eſt, quia eſt, pro maxima parte, multitudo hominum animalium: & certè, qui inter epiſcopos talia fecerunt, qualia hîc prædicantur, animales homines fuerunt. Nihil enim vetat epiſcopos pios collegio cæterorum fuiſſe adſcriptos, qui nec ſimiliter animales eſſent, neque ſimilia facerent: quemadmodum etiam prior *Beſtia* cum *ſanctis* confunditur, quo ad externam communionem. Quando *Beſtia* cum *Beſtia* conjungitur, apparet duplex Regnum in uno: juxta prophetiam Danielis cap. 2: 41. *Habuit cornua duo ſimilia agni.* Ni fallor, poteſtatem ligandi & ſolvendi, quam hi in ſe tranſtulerunt, putantes ſibi ſolis dictum eſſe, quod eſt Joh. 20: 21. 23. *Quemadmodum miſit me pater, ita ego mitto vos. Quorum remiſeritis* &c. Hæc *Beſtia* infra cap. 16: 13. vocatur *pſeudopropheta*. Et id patet ex communi prædicato, nempe *facere ſigna coram Beſtia*, quod hic verſ. 13. tribuitur *Beſtiæ alteri*, & cap. 9: 20. *pſeudopropheta*. Antiqui quidam intellexerunt miniſtros vel prædicatores Antichriſti. quos citat Blaſius Viegas p. 744. Arethas, Rupertus, Haimo, Gregorius. Et id Apocalypſis confirmat verſ. 14. Suadet enim fieri *Imaginem Beſtiæ*. Qui eſt Antichriſtus. Primaſius ex hoc attributo efficit, hanc Beſtiam *in hypocriſi ſimulatæ veritatis decipere, quos accipit. Agni enim*, inquit, *ſimilis non eſſet, ſi apertè ut Draco loqueretur.* Et Gregorius 33. moral. c. 36. *Aſſumit agni ſpeciem,*

ciem, ut Draconis exerceat operationem. Quod etiam confirmat id, quod antea diximus, Bestiam priorem esse populum, qui Christi nomen assumit. Non est igitur politicus Monarcha hæc Bestia. *Et loquebatur, ut Draco.* Audi loquelam Agni Joh. 5: 30. *Non possum ego quicquam à me ipso facere. Ut audio, ita judico. Et judicium meum justum est: quia non quæro voluntatem meam, sed voluntatem Patris, qui me misit.* Quia Filius unum est cum Patre, non poterat aliud loqui, quàm quod audiverat, quod etiam populus Dei audiverat dictum per Patriarchas & per Mosen. Neque alia erat *voluntas Patris*, ad quam faciendam venit, quam quæ per Legem & Prophetas fuerat significata. Ita dicit Psalm. 40: 8. *Tunc dixi: Ecce veni. In volumine LIBRI SCRIPTUM EST DE ME. Facere VOLUNTATEM TUAM, Deus mi, volupe mihi est; & LEX TUA in medio viscerum meorum.* Audi etiam Draconis loquelam. Luc. 4: 6. *Tibi dabo omnem hanc potestatem: quia mihi data est; &, cui volo, do illam.* Ita hæc Bestia dicit, *sibi omnem potestatem datam esse.* Neque enim ut agnus venit in nomine patris Joh. 5: 34. &, ut secutores agni, in fronte habet nomen agni & patris ejus; ut 144000. cap. 14: 1. sed agit & loquitur ex plenitudine potestatis in nomine suo. Joh. 5: 43. Negat enim, se teneri, ut demonstret, quæ loquitur, ex *volumine libri:* sed postulat sibi credi, quia ipse nomen habet, quod ipsi dedit Bestia, vel ipse sibi, h. e. quod gerit ex voluntate & consensu eorum, qui idem faciunt, & talem potestatem usurpant. 1 Tim. 3: 6. Episcopus inflatus dicitur incidere in judicium diaboli. Paulus 2 Cor. 1: 24. negat se dominum fidei. Et c. 2: 17. testatur, se *ex Deo, coram Deo in Christo loqui.* Hæc Bestia loquitur ex Draconе, *coram Bestia*, ut potestatem habens. Λαλεῖν significat etiam διδάσκειν *docere.* Confer 1 Pet. 4: 11. & Apoc. 2: 14. 15. 20. 24. Nam, quæ ibi *Jezabel* nominatur, *dicens se prophetissam*, ea est Bestia hæc.

Vers. 12. *Et potestatem omnem prioris Bestiæ facit coram ipsa.* Draco dederat priori Bestiæ potestatem omnem suam magnam vers. 2. Est autem potestas Draconis, partim ἐνέργεια & πλάνης, *efficacia erroris*; partim dominatus Secularis. Bestia prima in hoc consensit, ut Bestia secunda per ἐνέργειαν & πλάνης imperium obtineret in Ecclesia, & ut reges terræ ipsi servirent & potestatem suam ei traderent. Confer cap. 17: 13. Quam enim potestatem reges tradiderunt Bestiæ ascendenti ex Abysso, eam hæc tradidit Bestiæ *ascendenti ex terra.*

Et facit terram & habitantes in illa ut adorent Bestiam priorem, cujus plaga mortifera sanata erat. hoc est, persuadet hominibus, qui audiunt Evangelium, & illis, qui Ecclesiæ sacramenta participant, sed interiora & cœlestia Ecclesiæ ignorant, hoc esse regnum Dei & hanc esse Ecclesiam,

quæ à portis inferni ſuperari non poſſit, eoque ſit infallibilis, vi promiſſionis Chriſti; eique propter ſalutem obediendum eſſe. Nempe, ut apparet, maximè neceſſarium eſt diſtinguere *Beſtiam* ab *Eccleſia*. quod fieri non poteſt, ſi Eccleſia definiatur multitudo parens ſuis præpoſitis, & legibus ipſorum, tanquam poteſtatem habentium infallibiliter docendi & leges novas dicendi, & de omnibus judicandi ſine Scriptura. Hoc Spiritus ſanctus vocat adorare Beſtiam. Non deterius erit, etiam hîc repræſentare verba Primaſii. *Dicit adoratum Draconem, adoratam & Beſtiam. Recedebam, quum ſolus Draco adoraretur à ſuis. Non enim, ſicut Eccleſia habet mediatorem corporaliter inter Deum & ſe, ita & Diabolus inter ſe & ſuos, ſed ſolo nomine Dei imitatione Chriſti. Beſtia iſta, quam dicit, intra Diabolum & ſuos perſonam non habet. Quia in ſolo vocabulo eſt, quo dicunt adorare Chriſtum, qui mortuus eſt & reſurrexit, in quo vocabulo Diabolum adorant. Qui hoc ſimulacrum ſuis invenit, &c. Tres igitur, Diabolus, Beſtia velut occiſa, populus cum præpoſitis ſuis, duo ſunt mediante Imagine: & ſi quando mediam Beſtiam dicit adorari, in Diabolum res cadit, qui ſuum & hujus medii nominis implet locum, quum ſe ſuis opponit damnabiliter adorandum, de imitatione furti, ſimulata obumbratione vocabuli.*

Verſ. 13. *Et facit ſigna magna.* Huc pertinent omnia ſigna, quæ inter Chriſtianos facta ſunt poſt conſtitutam Hierarchiam, ſive etiam fieri viſa ſunt, aut credita. Quanquam enim, quæ verè facta ſunt, in nomine Chriſti facta ſunt, atque ita probent Chriſti poteſtatem, & veritatem Euangelii, & excitent ad Euangelium ſcrutandum, &, præmonſtrante Euangelio, doceant, eos, qui ea faciunt, diligenter eſſe examinandos, ne fortaſſe pſeudoprophetæ ſint: tamen omnia iſta ſibi pſeudopropheta arrogat & vindicat tanquam teſtimonia ſuæ poteſtatis. Præterea huc referenda ſunt omnia mirabilia eventa ſecundùm prophetiam in amplificatione profitentium nomen Chriſti ſub iſto regimine. *Ut* (h. e. adeò ut, λαλιτισμὸς non inuſitatus in Nov. Teſtam.) *etiam ignem faciat deſcendere ex cœlo in terram coram hominibus.* Ignis ſignificat divinam vindictam. Confer cap. 11: 5. Quando ſecundùm ſententias Epiſcoporum contra principes, populos & quoſvis homines, qui ſententiis illis erant innodati, perierunt & victi ſunt & miſeri effecti ſunt, viſi ſunt ignem de cœlo feciſſe deſcendere. Huc refer Jer. 5: 14. *Faciam verba mea in ore tuo ignem & populum hunc ligna & conſumet eos.* Ita imitatur hic pſeudopropheta duos teſtes Apocal. 11: 5. Huc refero, quòd Dan. 7: 8. 20. 24. dicuntur tria cornua effracta coram parvo cornu. Maximè hæc ira patuit in hæreticis, qui per ſententias conciliorum damnati interierunt, vel etiam plagis horribilibus ſunt pulſati. Ita Africa, cùm Epiſcopi diſputare auſi eſſent de auctoritate

ritate Papæ in Concilio, cui interfuit Augustinus, est occupata à Vandalis. Græcia æmulans Romanos in Turcarum potestatem venit; & antea Orientales hæresibus dediti à Persis & Sarracenis vexati sunt. Non negligamus etiam expositionem Primasii. Is censet, donum linguarum intelligi. Sed melius est hoc ita interpretari. Per Pseudoprophetam multos populos adductos esse ad Ecclesiam, & in eis dona Spiritus sancti multiplicia apparuisse. Nam quis neget, etiam martyres inter eos fuisse, ad quos nomen Christi per pseudoprophetam delatum est? Quemadmodum Bileam potuit verba Dei loqui, & sacerdotes pugnantes cum Christo potuerunt loqui verba Mosis & Prophetarum; ita pseudopropheta potuit verba Euangelii & in iis verba fundamenti loqui. Deus autem per ea potuit ad fidem veram regenerare, quos voluit. Sed Primasius, si vidisset ea, de quibus jam nobis constat, sine dubio de his apertiùs & luculentiùs scripsisset. Fuit is episcopus Uticensis, si Trithemio creditur. Baronius ostendit, eum Cassiodori σύγχρονον fuisse & sub Justiniano vixisse, ad A. C. 551. num. 13. putarque, eum Adrumetinum fuisse Episcopum.

Vers. 14. *Et seducit habitantes in terra propter miracula, quæ datum est ipsi facere coram Bestia, dicens incolis terræ, ut faciant imaginem Bestiæ* &c. Episcopi, sibi arrogantes legislationem & jurisdictionem in Ecclesia, omnibus miraculis hoc effecerunt, ut homines iis suadentibus, faciendam esse imaginem Bestiæ, crederent. *Imago Bestiæ est* id, quod dicitur Pontificiis *Ecclesia representativa*; cujus interpretationes, leges, traditiones, judicia, acta dicuntur esse acta Ecclesiæ. Illa Ecclesia, quæ in terra habet *Imaginem*, in qua conspiciatur omnis ejus sensus, propterea, quòd ei velit in omnibus obedire, est, definiente Apocalypsi, Bestia: qui ita dicit & agit, ut auctor dicendorum & agendorum, & cui illa Ecclesia vel explicitè vel implicitè se subjicit, is est imago bestiæ. Talis *imago* est *dominus fidei*. Christus est imago Dei Patris, quia in ipsius virtutibus divinis, & in ipsius voluntate Dei voluntas & virtutes conspiciuntur, propter unitatem: hic est imago Bestiæ, quia in illo cernitur defectio bestiæ & hypocrisis, propter obedientiam. Occultè nomen *imaginis bestiæ* opponitur gloriationi istius imaginis. Nominat se *vicarium Dei*, & *assimulat. sese altissimo*, h. e. Christo. Scriptura subsannat hanc gloriationem, & declarat, illum esse *imaginem bestiæ*, non Dei.

Quæ habet plagam gladii & convaluit. Quòd Julianus & similes manifesto Dei judicio sublati sunt, id argumentum est pseudoprophetis, ut *bestiam* vocent *Ecclesiam*, quæ vinci à portis inferni non potest, & propterea scilicet communem errorem habere non potest; apud quam propterea

pterea necesse sit existare aliquam cathedram, in qua sit successio veritatis; quæ cathedra sit testis eorum, quæ semper Ecclesia credidit; propter quam causam illi cathedræ obediendum sit, ut, propter obedientiam totius Ecclesiæ, illa cathedra possit esse testis eorum, quæ sentit Ecclesia. Atqui spiritus id ipsum argumentum intorquet, ad ostendendam vanitatem istius consilii. Quod enim regnum accepit aliquando *plagam mortis*, non potest esse Ecclesia, sed est bestia. Atqui & multitudo ista pleraque, & ipsi sedentes in cathedra Romana plagam mortis aliquando acceperunt, per quam factum est, ut appareret, illos esse mortuos & non vivos. Ergo bestia sunt, non Ecclesia.

Vers. 15. *Et datum est ipsi dare spiritum imagini bestiæ.* h. e. Deus illam efficaciam erroris illis immisit, ut illi Episcopi docerent, & homines crederent, eum, cui obedit illa multitudo, habere Spiritum sanctum. *Ut & loqueretur imago bestiæ*, h. e. ut doceret, tanquam auctoritatem habens. *Et faceret, quicunque non adoraverint imaginem bestiæ, ut occidantur.* h. e. ut excommunicentur, à civitatibus depellantur, & gladio regum interficiantur, qui imagini bestiæ non obediunt.

Vers. 16. *Et facit omnes parvos & magnos, divites & pauperes, liberos & servos, ut det ipsis signaturam in dextra manu aut in fronte.* In regno isto non sunt tantùm *parvi & magni*, per differentiam ætatis doctrinæ & potestatis; *divites & pauperes* per differentiam opum; sed etiam *servi & liberi* (quam differentiam Christus in regno suo sustulit Gal. 3: 28.) h. e. alii habentes potestatem imperandi, alii habentes obligationem obtemperandi. *Signatura* ponenda in dextra aut in frontibus est lex diversa à lege Dei. Alluditur hic ad Exod. 13: 9. Deut. 6: 8. & similes locos, in quibus lex Dei jubetur haberi pro signo in manu & in fronte: in fronte per confessionem; in manu per obedientiam. Primarium operandi instrumentum est manus, quam inter operandum aspicimus, ut illam rectè dirigamus; ergo tanquam signum in manu videtur esse, quod inter agendum observamus. Hìc dicitur, *aut in fronte*, quia bestia est contenta professione.

Vers. 17. *Et ut ne quis possit emere aut vendere, nisi qui habet signaturam aut nomen bestiæ, aut numerum nominis ejus.* Quod de emendo & vendendo dicitur, id propriè potest exponi. Nam, cui non licet vivere, ei nec emere aut vendere, sed aqua & igni interdictum est. Tamen etiam subest respectus ad *magnam civitatem.* Ea est emporium. Ideò & Tyrus vocatur. Vide & cap. 18: 11. In ea emunt justitiam meritis, absolutionem satisfactionibus, indulgentias pecunia, merita aliorum ære & obedientia erga Papam, officia tributis. Deus ille peregrinus & Rex distribuunt *munimentis*

mentis arcium terræ pro pretio, & *ea honorant auro*, *argento*, *gemmis*. Dan. 11: 39. Requisita nundinationis, quæ Bestia imponit, sunt habere *signaturam*, aut *nomen*, aut *numerum* bestiæ. *Signatura* est (ut diximus) lex. *Nomen* est Ecclesia Catholica. *Numerus* est id, quo addito numerus sanctorum corrumpitur, nempe traditio ἄγραφος. ut mox dicemus.

Vers. 18. *Hic est sapientia*, h. e. nosse bestiam & nomen ejus & numerum nominis ejus est sapientia sive pars sapientiæ salutaris. Licet enim fieri possit, ut ista vocabula quisquam non intelligat, quemadmodum oportet; tamen, qui habent cœlestem sapientiam, norunt distinguere Bestiam ab Ecclesia, imaginem Bestiæ ab imagine Dei & capite Ecclesiæ; nomen, quod datum est in hominibus, ut salventur, ab eo, quod nominat Bestia; neque turbantur specie ac pulchritudine illius nominis, quod sibi facit Bestia, neque recipiunt signaturam Bestiæ, neque numerum ejus, neque numerum nominis ejus. Potest quis rem videre, & tamen hæc ænigmata non intelligere.

Qui habet τὸν νοῦν. q. d. *mentem illam*, sive *intellectum illum*, qui necessarius est ad discretionem; aut, qui habet sensus exercitatos in Scripturis, *calculet numerum Bestiæ*, h. e. sciat, se habere potestatem hoc ænigma solvendi, & rei suæ sive subjecto applicandi. Numerus enim hic non est datus, ut medium intelligendi, sed ut confirmatio & obsignatio intellectus; & ex intellectu aliarum prophetiarum hic calculus procedit. *Numerus enim hominis est*. h. e. facile potest ab homine reperiri. *Et numerus illius est 666*. Hic numerus comparandus est cum numero signatorum agni; qui est 144000. Quamvis in mundo multitudo Bestiæ sit major multitudine sanctorum, tamen minor est Bestia, quàm Ecclesia. Salomo numerabat certi reditus annui 666. talenta. 2 Chron. 9. 13. Hoc est, quod libenter numerat Bestia. Ipsa vox בְּנָבְרוּת facit 666. Quidam putant alludum ad familiam Adonikam. Ezræ 2: 13. quæ constabat 666. filiis, & Adonikam interpretantur Dominum stantem vel surgentem sive Domino repugnantem. Alii (nec ineptè) numerum nominis Bestiæ ex literis, quibus nominari solet, conficiunt; quale est λατεῖνος, רומית, παραδοσις, βενεδικτος. Blasius Viegas hoc affert. Nomen id est patris monachorum. Sed, ut dixi, comparemus hunc numerum cum numero agni. 666 si dividant 144000. non tollunt illum numerum, sed relinquunt 144. Radix 144000. est duodecim. duodecies duodena millia hunc numerum constituunt. Et, ad 12. respici, testatur cap. 7. Qui ad agnum pertinent, per 12. Apostolos ducuntur ad communionem 12. tribuum Israëlis, ædificati in fundamento 12. Apostolorum. Ita & veteres hunc numerum acceperunt. Si 666. dividas per 12. ea quinquagies quinquies

reperientur in isto numero, sed supererunt 6. Per senarium igitur superadditum, qui est dimidium duodenarii, dividuntur à fundamento Apostolorum; tanquam Christiani ex dimidio, non ex toto corde sive εἰλικρινείᾳ, sed tanquam in duabus ambulantes viis. Fidem huic rationi facit etiam Ezechiel cap. 39: 2. ubi dicit, *& reducam te & sextabo te*, h. e. senario te insigniam. Is senarius imprimis notat aliquid additum ad fundamentum Apostolorum & Prophetarum: quod scil. dicit per solam traditionem & non per scripturam ad se perveniisse, neque demonstrat in fundamento contineri. Et potest intelligi senarius decretorum papalium absolutus à Bonifacio octavo, qui in præfatione libri sexti decretalium dicit, *altitudinem divinæ providentiæ imperscrutabilem Romanam Ecclesiam sacrosanctam universis dispositione incommutabili præstitisse Ecclesiis, & totius orbis præcipuum obtinere voluisse magistratum.* Et dicit, se *hunc librum censuisse sextum nuncupari, ut idem volumen, senarium (qui numerus est perfectus) librorum illo adjuncto, numerum comprehendens, perfectam in rebus agendis formam tribuat, & in moribus disciplinam.* Quod est jus Canonicum non tantùm æquiparare verbo Dei, sed in illius locum intrudere. Hæc etiam Franciscí Junii observatio est minimè aspernanda. Ita, si senarium accipiamus, ut dimidium duodenarii, inveniemus, quòd Bestia fundamentum totum non habeat. Si eundem accipiamus, ut additum duodenario, intelligemus, verbis fundamenti aliquid addi à Bestia, ut fundamentum. Multiplicatio notabit multitudinem. Et ejus comparatio cum numero signatorum Agni notabit hujus præponderationem & permansionem, illius autem levitatem & imminutionem. Verùm, cùm multa possint esse inter sese congruentia, quæ hunc numerum referunt, calculationi istius numeri non est ponendus modus. Id verò negligendum non est, quòd Bestia (licèt calculum cum Spiritu sancto non ponat, qui illius numerum irridet) maximùm suæ auctoritatis fundamentum ponat in numero, nempe in diffusione, & prægrandi multitudine eorum, qui cum ipsa faciunt. Quod & Esaias cap. 57: 13. & 66: 18. notavit. Adde, quia Bestia non est contenta uno Deo, Christo, rege, capite, mediatore, merito justificante, sacrificio, verbo; sed ea multiplicat: igitur Es. 56: 11. dicitur, eos, qui deserunt Jehovam, & obliviscuntur montis sancti ejus, *mensam apparare turmæ & libamen fundere numero.* In Missa à Bestia invocantur & sancti. Numerat Bestia etiam annos. Vult enim id suscipi, quod ipsa crepat antiquum & primum. Relinquo cogitandum, utrum 666. anni post Christi nativitatem vel exaltationem debeant intelligi, ut, quod post eos annos fuit, habeamus pro manifestatione Bestiæ & Antichristi: an 666. retrò debeamus putare à fine 1260. dierum; quia tum Bestia sibi fuerit maximè simi-

similis: vel etiam an in 666. contineatur annorum numerus, quo finito Ecclesia possit gaudere, eum finem esse. Sed id dies docebit. Nos præferimus omnibus, quod ex analogia.144. chiliadum deduximus.

CAPUT DECIMUMQUARTUM.

IN hoc capite producitur altera acies, pugnans cum Bestia, nempe Agnus & qui cum ipso sunt. Ipse congressus consistit in vocibus. vers. 1. 2. 3. 4. 5. Quas sequitur Angelus volans in medio cœlo, & prædicans Euangelium æternum vers. 6. 7. Succedit vox Angeli secundi prædicantis casum Babylonis vers. 8. & tertii comminantis judicium communicantibus cum Bestia vers. 9. 10. 11. & fideles ad patientiam hortantis vers. 12. 13. Sequitur sedens in nube alba habens falcem ad messem faciendam vers. 14. 15. 16. Denique alius Angelus vindemiam faciens. vers. 17. 18. 19. 20.

AGNUS IN SION.

1. Καὶ εἶδον, καὶ ἰδοὺ ἀρνίον ἑστηκὸς ἐπὶ τὸ ὄρος Σιών, καὶ μετ' αὐτοῦ ἑκατὸν τεσσαρακοντατέσσαρες χιλιάδες, ἔχουσαι τὸ ὄνομα αὐτοῦ καὶ τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς αὐτοῦ γεγραμμένον ἐπὶ τῶν μετώπων αὐτῶν.

2. Καὶ ἤκουσα φωνὴν ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ὡς φωνὴν ὑδάτων πολλῶν, καὶ ὡς φωνὴν βροντῆς μεγάλης· καὶ φωνὴν ἤκουσα κιθαρῳδῶν κιθαριζόντων ἐν ταῖς κιθάραις αὐτῶν.

3. Καὶ ᾄδουσιν ὡς ᾠδὴν καινὴν ἐνώπιον τοῦ θρόνου, καὶ ἐνώπιον τῶν τεσσάρων ζώων, καὶ τῶν πρεσβυτέρων· καὶ οὐδεὶς ἐδύνατο μαθεῖν τὴν ᾠδὴν, εἰ μὴ αἱ ἑκατὸν τεσσαρακοντατέσσαρες χιλιάδες, οἱ ἠγορασμένοι ἀπὸ τῆς γῆς.

4. Οὗτοί εἰσιν, οἱ μετὰ γυναικῶν οὐκ ἐμολύνθησαν· παρθένοι γάρ εἰσιν· οὗτοί εἰσιν οἱ ἀκολουθοῦντες τῷ ἀρνίῳ, ὅπου ἂν ὑπάγῃ. οὗτοι ἠγοράσθησαν ἀπὸ τῶν ἀνθρώπων, ἀπαρχὴ τῷ Θεῷ καὶ τῷ ἀρνίῳ·

5. Καὶ ἐν τῷ στόματι αὐτῶν οὐχ εὑρέθη δόλος· ἄμωμοι γάρ εἰσιν ἐνώπιον τοῦ θρόνου τοῦ Θεοῦ.

6. Καὶ εἶδον ἄλλον ἄγγελον πετόμενον ἐν μεσουρανήματι, ἔχοντα εὐαγγέλιον αἰώνιον, εὐαγγελίσαι τοὺς καθημένους ἐπὶ τῆς γῆς, καὶ

VERS. 1. *Et vidi, & ecce Agnus stans in monte Sion, & cum eo centum quadraginta quatuor chiliades habentes nomen Patris ipsius scriptum in frontibus suis.*

2. *Et audivi vocem ex cœlo, ut vocem aquarum multarum, & ut vocem tonitrui magni; & vocem audivi citharœdorum citharis suis canentium.*

3. *Et canebant, ut canticum novum, coram throno & coram quatuor animalibus & senioribus: & nemo poterat intelligere Canticum illud, nisi centum illa & quadraginta quatuor chiliades, ii, qui emti erant à terra.*

4. *Hi sunt, qui cum mulieribus non inquinati sunt. Virgines enim sunt. Hi sunt, qui sequuntur Agnum, quocunque vadat. Hi emti sunt ab hominibus primitiæ Deo & Agno.*

5. *Et in ore eorum non est repertus dolus. Irreprehensibiles enim sunt coram throno Dei.*

6. *Et vidi alium Angelum volantem in medio cœli, qui habebat Euangelium æternum, ad annunciandum habitantibus*

πᾶν ἔθνος καὶ φυλὴν καὶ γλῶσσαν καὶ λαόν.

7. Λέγοντα ἐν φωνῇ μεγάλῃ· Φοβήθητε τὸν Θεὸν, καὶ δότε αὐτῷ δόξαν, ὅτι ἦλθεν ἡ ὥρα τῆς κρίσεως αὐτοῦ· καὶ προσκυνήσατε τῷ ποιήσαντι τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν καὶ θάλασσαν καὶ πηγὰς ὑδάτων.

8. Καὶ ἄλλος ἄγγελος ἠκολούθησε, λέγων· Ἔπεσε, ἔπεσε Βαβυλὼν ἡ πόλις ἡ μεγάλη, ὅτι ἐκ τοῦ οἴνου τοῦ θυμοῦ τῆς πορνείας αὐτῆς πεπότικε πάντα τὰ ἔθνη.

9. Καὶ τρίτος ἄγγελος ἠκολούθησεν αὐτοῖς, λέγων ἐν φωνῇ μεγάλῃ· Εἴ τις τὸ θηρίον προσκυνεῖ καὶ τὴν εἰκόνα αὐτοῦ, καὶ λαμβάνει χάραγμα ἐπὶ τοῦ μετώπου αὐτοῦ ἢ ἐπὶ τὴν χεῖρα αὐτοῦ,

10. Καὶ αὐτὸς πίεται ἐκ τοῦ οἴνου τοῦ θυμοῦ τοῦ Θεοῦ, τοῦ κεκερασμένου ἀκράτου ἐν τῷ ποτηρίῳ τῆς ὀργῆς αὐτοῦ· καὶ βασανισθήσεται ἐν πυρὶ καὶ θείῳ ἐνώπιον τῶν ἁγίων ἀγγέλων καὶ ἐνώπιον τοῦ ἀρνίου.

11. Καὶ ὁ καπνὸς τοῦ βασανισμοῦ αὐτῶν ἀναβαίνει εἰς αἰῶνας αἰώνων· καὶ οὐκ ἔχουσιν ἀνάπαυσιν ἡμέρας καὶ νυκτὸς οἱ προσκυνοῦντες τὸ θηρίον καὶ τὴν εἰκόνα αὐτοῦ, καὶ εἴ τις λαμβάνει τὸ χάραγμα τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ.

12. Ὧδε ὑπομονὴ τῶν ἁγίων ἐστίν· ὧδε οἱ τηροῦντες τὰς ἐντολὰς τοῦ Θεοῦ, καὶ τὴν πίστιν Ἰησοῦ.

13. Καὶ ἤκουσα φωνῆς ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, λεγούσης μοι, γράψον· Μακάριοι οἱ νεκροὶ οἱ ἐν Κυρίῳ ἀποθνήσκοντες ἀπάρτι. Ναί, λέγει τὸ Πνεῦμα, ἵνα ἀναπαύσωνται ἐκ τῶν κόπων αὐτῶν· τὰ γὰρ ἔργα αὐτῶν ἀκολουθεῖ μετ' αὐτῶν.

14. Καὶ εἶδον, καὶ ἰδοὺ νεφέλη λευκὴ, καὶ ἐπὶ τὴν νεφέλην καθήμενον ὅμοιον υἱῷ ἀνθρώπου, ἔχοντα ἐπὶ τῆς κεφαλῆς αὐτοῦ στέφανον χρυσοῦν, καὶ ἐν τῇ χειρὶ αὐτοῦ δρέπανον ὀξύ.

15. Καὶ ἄλλος ἄγγελος ἐξῆλθεν ἐκ τοῦ ναοῦ, κράζων ἐν μεγάλῃ φωνῇ τῷ καθημένῳ ἐπὶ τῆς νεφέλης· Πέμψον τὸ δρέπανόν σου, καὶ θέρισον· ὅτι ἦλθέ σοι ἡ ὥρα τοῦ θερισμοῦ· ὅτι ἐξηράνθη ὁ θερισμὸς τῆς γῆς.

16. Καὶ ἔβαλεν ὁ καθήμενος ἐπὶ τὴν νεφέλην τὸ δρέπανον αὐτοῦ ἐπὶ τὴν γῆν· καὶ ἐθερίσθη ἡ γῆ.

17. Καὶ ἄλλος ἄγγελος ἐξῆλθεν ἐκ τοῦ ναοῦ τοῦ ἐν τῷ οὐρανῷ, ἔχων καὶ αὐτὸς δρέπανον ὀξύ.

in terra & omni genti & tribui & lingua & populo,

7. *Dicentem voce magna : Timete Deum, & date ei gloriam, quia venit hora judicii ejus : & adorate eum, qui fecit cœlum & terram & mare & fontes aquarum.*

8. *Et alius Angelus secutus est dicens : Cecidit, cecidit Babylon civitas illa magna : quia de vino veneni (vel excandescentiæ) fornicationis suæ fecit bibere omnes gentes.*

9. *Et tertius Angelus secutus est illos dicens voce magna : Si quis Bestiam adorat & imaginem ejus & accipit signaturam in fronte sua aut in manum suam ;*

10. *Etiam ipse bibet de vino excandescentiæ Dei, quod infusum est meracum in poculo iræ ipsius, & cruciabitur igne & sulphure coram sanctis Angelis & coram agno.*

11. *Et fumus cruciatus eorum ascendit in secula seculorum ; & non habent requiem die & nocte, qui adorant Bestiam & imaginem ejus, & , siquis accipit signaturam nominis ipsius.*

12. *Hic patientia sanctorum est. Hic, qui servant præcepta Dei & fidem Jesu.*

13. *Et audivi vocem ex cœlo dicentem mihi, Scribe : Beati mortui, qui in Domino moriuntur, à nunc. Ne, dicit Spiritus ; ut requiescant à laboribus suis. Opera autem eorum comitantur eos.*

14. *Et vidi, & ecce nubes alba & super nube sedens similis filio hominis, habens in capite suo coronam auream, & in manu sua falcem acutam.*

15. *Et alius Angelus exivit ex templo clamans magna voce sedenti in nube : Mitte falcem tuam & mete : quia venit tibi hora metendi : quia siccata est messis terra.*

16. *Et conjecit sedens in nube falcem suam in terram, & messa est terra.*

17. *Et alius Angelus exivit ex templo, quod in cœlo, habens & ipse falcem acutam.*

18. *Et*

18. Καὶ ἄλλος ἄγγελος ἐξῆλθεν ἀπὸ τοῦ θυσιαστηρίου, ἔχων ἐξουσίαν ἐπὶ τοῦ πυρός· καὶ ἐφώνησε κραυγῇ μεγάλῃ τῷ ἔχοντι τὸ δρέπανον τὸ ὀξύ, λέγων· Πέμψον σου τὸ δρέπανον τὸ ὀξὺ, καὶ τρύγησον τοὺς βότρυας τῆς ἀμπέλου τῆς γῆς, ὅτι ἤκμασαν αἱ σταφυλαὶ αὐτῆς.

18. *Et alius Angelus exivit ab altari habens potestatem in ignem: & clamavit clamore magno ad eum, qui habebat falcem acutam, dicens: Mitte falcem tuam acutam & vindemia racemos vitis terræ; quia maturuerunt uvæ ejus.*

19. Καὶ ἔβαλεν ὁ ἄγγελος τὸ δρέπανον αὐτοῦ εἰς τὴν γῆν, καὶ ἐτρύγησε τὴν ἄμπελον τῆς γῆς, καὶ ἔβαλεν εἰς τὸν λῆνὸν τοῦ θυμοῦ τοῦ Θεοῦ τὸν μέγαν.

19. *Et conjecit Angelus ille falcem suam in terram & vindemiavit vitem terræ, & conjecit in lacum excandescentis Dei magnum.*

20. Καὶ ἐπατήθη ὁ λῆνὸς ἔξω τῆς πόλεως, καὶ ἐξῆλθεν αἷμα ἐκ τοῦ λῆνοῦ ἄχρι τῶν χαλινῶν τῶν ἵππων, ἀπὸ σταδίων χιλίων ἑξακοσίων.

20. *Et calcatus est lacus extra civitatem, & exivit sanguis ex lacu usque ad frenes equorum, à stadiis mille sexcentis.*

Vers. 1. *Vidi & ecce Agnus stans in monte Sion.* Gentes calcabant civitatem sanctam: propterea tamen Christus non deserit Ecclesiam, neque desinit esse conspicuus in mundo, in suis, bestiæ adversantibus. Bestia sedet in septem montibus. Agnus stat in uno monte sancto. Est Ecclesia mons, & civitas in monte posita. Matth. 5: 14. Est enim aliquid coagmentatum ex multis in unum, & conspicuum in mundo: propter sermonem Dei, qui apud eam est, & propter confessionem, quæ in ore ejus est; & propter Christum rupem, in quo fundata est, & vivit in ea. Ideò lucet in mundo & eminet; licèt nemo sit, qui eam verè cognoscat Ecclesiam Dei, qui non cognoverit Deum in Christo, & Christum in verbo Dei ut Christus visus & mirabilis fuit, sed agnitus à credentibus promissioni. Hinc est, quòd ab illis, qui per Ecclesiam docti sunt, idola esse nihil, & Deum locutum esse per Mosen, & Christum fecisse glorioſissima opera, & verè ex cœlo venisse, tamen ignorari possit Ecclesia, & Bestia pro Ecclesia haberi. Ad quos tentandos Deus etiam permittit Ecclesiam suam exagitari & vagari in *monte suo* instar *aviculæ*. Psalm. 11: 1. Quæ tametsi dissipetur, tamen *in monte suo* est, quia in Christo est & *ad Dominum se recepit*. *Sion* est ipsa civitas sancta. Appellatur ita, qui in ea Agnus est. Qui est revelatus & unctus in Sion. Ergo, ubicunque Agnus est, Sion est, h. e. Sionis cives.

Et cum ipso 144000. *habentium nomen patris ipsius scriptum in frontibus suis.* h. e. fideles fundatos in fundamento 12. Apostolorum, numeratos Deo, reputatos in semen 12. tribuum Israëlis. Eorum proprietas est neminem nominare auctorem fidei suæ, præter Deum Patrem Christi, qui locutus est in verbo suo & per Apostolos Euangelium de filio suo curavit prædicari. Ergo signaturam bestiæ recipere est aliud verbum præter hoc suscipere, & cum Deo, imò ante Deum testantem, aliud nomen, tanquam prius notum, nominare. Hæ 144. chiliades sunt ipsi cives civitatis sanctæ sive

Sionis. Quia tamen Sion partim in cœlo est, partim in terra; singulis temporibus 144. chiliades, & in terra militantes, civitati attribuuntur & à civitate tota quodammodo distinguuntur.

Vers. 2. *Et audivi vocem ex cœlo tanquam vocem aquarum multarum.* Hoc primum *tempus* est, quo bestia à sanctis est illustriùs oppugnata. Possumus pro exemplo habere vocem contradicentium cultui imaginum. Quæ vox audita est in Synodo Francofurtana & Parisiensi, quæ habitæ sunt sub Carolo Magno circa annum Christi 800. in quibus imaginum veneratio damnata est. Item vocem reprehendentium Romam petentes ad impetrandam remissionem peccatorum. Item vocem de veritate sacramenti Eucharistiæ, cujus assertor fuit Bertramus sub Carolo Calvo circa annum 850. Nec non vocem asserentium libertatem Ecclesiarum & contradicentium dominationi Papæ in Italia. Item in Gallia & Germania. Quorum instar fuerunt, Hincmarus Rhemensis & Luitpertus Moguntinus. Item vocem Scripturæ in Saxonicam linguam conversæ. Hoc tempus fere 70. annos continet à Carolo Magno usque ad Lotharium à fine octavi usque ad declinationem noni seculi. Conticuit hæc vox post Hadrianum secundum, qui in Concilio octavo œcumenico Constantinopolitano restituit imagines, & primatum suum stabilivit. Hæc *vox* fuit *tanquam aquarum multarum*, h. e. murmur multorum populorum. Secunda vox est *ut tonitrui magni*, clarior quàm prima. Hoc secundum tempus est oppositionis. Quò fuerunt tenebræ spissiores, de quibus est Apoc. 8: 12. Eò fuit evidentior & clarior oppositio, nempe cùm Imperatores Germani curiam Romanam in ordinem redigerent; videlicet Otho Magnus & posteri ipsius. Cùm in Gallia obviam itum est Papæ auctoritati in causa Arnulphi 991. anno Christi, cumque deinde Suevi Imperatores, ut Henricus secundus, tentaret Ecclesiæ reformationem anno 1047. cum Petrus Damiani vitia Cleri infectatus est, & Berengarius transubstantiationem impugnavit: cùm certaretur de jure Cæsaris in Episcopos, item de conjugio Clericorum; donec sub Calisto secundo circa annum 1123. Henricus Jus sacerdotiorum concessit Papæ. Eo tempore fuit ferè in omnibus urbibus Italiæ schisma Gibellinorum & Guelphorum, quorum hi cum Papa, illi cum Imperatore faciebant, & inter sese intestina bella gerebant. Quæ quanquam impie utrimque gesta fuerint, tamen vox illa, quam loquebantur Gibellini, erat vox fidelium, qui premebantur, qui signaturam bestiæ non recipiebant. Fuerunt tunc Hildebertus Cænomanensis, Honorius Augustodunensis, Robertus Abbas Tuitiensis, Norbertus Prænonstratensis denunciator adventus Antichristi sub Honorio secundo circa annum Christi 1125. Sub quo & Arnulphus Romæ acriter re-

pre-

prehendit clerum, quem multi ex nobilitate Romana tanquam Christi verum discipulum & prophetam secuti sunt, qui à clero clam interfectus est. Referatur etiam huc Arnoldus Brixianus circa annum 1139. & Bernardus Claravallensis, qui fuit reprehensor cleri, & insignium partium doctrinæ Christianæ assertor & explicator limpidissimus. Historiam hîc non scribimus. Digitum ad rem intendimus. Extant libri, qui illa diligentiùs describunt. Ut Centuriæ Magdeburgenses, Catalogus Testium veritatis, Mornæi mysterium iniquitatis.

Et vocem audivi citharœdorum & citharâ canentium. Non dubito, quin hi sint Waldenses, qui & Tholosani & Albigenses dicti sunt, illi, inquam, de quibus testatur Reinerius; eos ab antiquo fuisse, in omnibus terris assensores habuisse, non fuisse blasphemos, justè vixisse, bene omnia de Deo credidisse & omnes articulos Symboli: tantùm Ecclesiam Romanam blasphemasse. Vide Lucæ Tudensis episcopi scriptores aliquos succedaneos contra sectam Waldensium, editos à Gretsero Ingolstadii anno 1613. pag. 54. Hoc est tertium tempus. Atque adeò hinc habemus jam explicationem vers. 14. cap. 12. *nutritum iri mulierem inter gentes, non tantùm ad tempus unum, sed etiam ad duo tempora*; imo adhuc *ad dimidium tempus*: per quod significatur, commixtionem illam gentium & fidelium, & cohabitationem luporum apud Agnos, atque ita Ecclesiæ amplificationem per gentes non statim cum primo tempore esse finiendam, sed post primum etiam duo tempora præteritura esse; imo etiam quartum tempus adventurum esse cujus dimidio elapso tandem fiat separatio; ut constituantur duo populi, & bellum Gogi & Magogi confletur.

Vers. 3. *Et canunt tanquam canticum novum coram throno, & coram quatuor animalibus, & presbyteris.* Canticum Agni & *canticum novum* in comparatione veteris, nec tantùm, sed etiam in comparatione erroris invalescentis. In mundo nova visa fuit ipsorum confessio, sed apud Deum & Presbyteros & quatuor animalia, hoc est, electos Dei fideles non fuit nova. Est hîc præjudicium contra argumentum Pontificis pro veritate doctrinæ suæ, quod sumunt ab antiquitate. *Et nemo poterat discere* vel *intelligere istud canticum, nisi* 144000. *emti ex terra.* hoc est, præter electos, redemtos, & verbum Dei in se manens habentes. Nemo potuit hoc canticum intelligere; ita omnibus visum fuit absurdum; & lætitia illorum, qui sese ita morti tradiderunt pro illa doctrina, hominibus fuit mirabilis.

Vers. 4. *Elogium eorum est, quòd cum mulieribus non fuerint inquinati, sed virgines fuerint.* h. e. quòd nec rei fuerint criminationis, qua onerabantur; quasi communes haberent uxores, & alia fœda facerent, quodque hostes

hoſtes ipſorum, jactantes cælibatum pro virginitate, non fuerint virgines, ſed maculati & concubinatu, & adulteriis, ſaltem communione ſcortatorum & fornicatione cum Jeſabele; hi autem illius fæditatis immunes fuerint. Solent in ſcripturis נָשִׁים *mulieres* dici hieroglyphicè terræ ſive populi in terris habitantes. Ita Dan. 11: 17. אִשָּׁה נָשִׁים eſt fœmina habens ſubditos, populos diverſos terrarum, in dotem ſibi datarum. Eſ. 27: 11. *mulieres* dicuntur *venire, & comburere.* Zachar. 14: 2. *mulieres vitiabuntur.* In his ænigma eſt. Id ad rem noſtram accommodemus: Hi, qui virgines dicuntur, non habuerunt rem cum capitibus beſtiæ, quæ ſunt totidem quaſi civitates, vel cum diœceſibus & ἡγεμονίαις, quæ ſubjiciunt ſe humano nomini cum magna meretrice, vel cum hominibus mollibus Chriſti crucem & gloriam pro ignominia habentibus, & ſpiritu fortitudinis diſtitutis. Monachi libenter hoc elogium ad ſe transferrent. Atqui illi fædantur communione ſaltem concubinariorum; & à ſpirituali ſcortatione non poſſunt ſe excuſare: &, cùm nuptias non habuerint honoratas, juxta verba Pauli Hebr. 13: 4. oſtendunt ſe deflexiſſe poſt Satanam & cum ἀντικειμένῳ nuptiis convitium dicere, 1 Tim. 5: 14. 15. & cum rege ſuperbiente non attendere ad ϛοργὴν mulierum, Dan. 11. 37. Nobis hîc vera virginitas cogitanda eſt, quæ eſt illa columbina ſimplicitas, qua Chriſtus, ut ſolus Eccleſiæ Sponſus, amatur & timetur. 2 Cor. 11: 2. Hac virginitate præſtant, qui in caſto conjúgio vivunt, & Chriſto ſerviunt, iis, qui in impuro cœlibatu ſcortantur cum beſtia. Unde Babylon ſcortum appellatur. De qua ſcortatione vide verſ. 8. Si aliter eſt, numquid ſoli Monachi ſunt cum Agno? numquid ſoli ſunt *vocati, electi, fideles?* cap. 17: 14. Numquid *impuritas* eſt habere conjugem? Non dicit Prophetia: Monachi ſunt cum Agno: ſed, qui cum Agno ſunt, ſunt virgines, & non maculantur cum iis, qui ſunt in mundo, & non placent iis, qui in mundo ſunt.

Secundum elogium eſt, quod *ſequantur Agnum, quocunque vadit.* Chriſti enim tabernacula ſunt, *ut tabernacula Kedar*, Cant. 1: 5. hoc eſt, non elegit certum locum in mundo, de quo poſſimus dicere *hic eſt*, aut, *hic eſt ſolium regni ipſius.* Hi ſunt, ut *aquilæ*, quæ inveniuntur, *ubi cadaver eſt.* Fidelium eſt non obſervare illa, quæ hujus mundi ſunt, neque putare, Chriſti regnum eſſe παρατηρητὸν, Luc. 17: 20. Sed omne malum fugere, omni bono adhæreſcere Rom. 12: 9. Chriſti nomen & legem ſolam ſectari. Si Chriſtus & nomen ipſius ejiciatur ex cœtu, cum ipſo abire; ad carcerem ipſius accedere, Matth. 25: 36. 40. Denique opprobrium ipſius omnibus rebus præferre. Ita Apoſtoli exibant, ipſum ſequentes *extra caſtra*, Hebr. 13: 13. Eſ. 52: 11. 2 Cor. 6: 17. Quia novimus, Deum non

non velle intrare *in civitatem* Hos. 11: 9. etiam nobis ista magna civitas non est adeunda; nec Christus in ea quærendus.

Tertium elogium est, *hi emti sunt ab hominibus primitiæ Deo & Agno.* hoc est, in his spectatur efficacia redemtionis. Hi habent consolationem suæ περιποιήσεως. Hæc est hæreditas Christi, & in his fidei vis fuit manifesta, ut cognosceretur, esse Ecclesiam in mundo.

Vers. 5. Quartum, *Et in ore ipsorum non est repertus dolus.* Sunt enim *irreprehensibiles coram throno Dei. Dolus*, si latè capiatur, est *mentiri Christo*, sive non εἰλικρινῶς nomen Christi profiteri. Phil. 1: 10. 15. 16. 18. Deinde, verum dicere ad occultandam falsitatem, & falsitatem vero miscere. Hi comperti sunt nomen Christi seriò profiteri, quia nulla res fuit in mundo, quæ illos ad mentiendum invitarit, comperti sunt veritatem diligere ex corde, & omnem falsitatem odisse. Quod non impedit, quò minus etiam in horum aliquibus vel etiam in omnibus fuerit aliqua ignorantia vel aliquis error: quia verum principium & fundamentum tenentes parati fuerunt omne dictum Dei credere, omne falsum abrenuntiare. Bestia igitur nominavit Christum & verbum ejus protulit δολερῶς. Judicium autem ipsorum non fuit judicium humanum, sed *inculpati fuerunt coram throno Dei*, quamvis à mundo damnarentur. Nam, qui retinent præcepta Christi, & eum amant usque ad mortem, sperantes, se in Christo inventuros justitiam & vitam, ii Christi participes sunt. Ergo in Christo justi sunt. Ergo inculpati sunt coram throno Dei. Patet judicium Dei de ipsis & de iis, qui ipsos oderunt & persecuti sunt. Nam in hac & similibus prophetiis id extat. Qui Christum sequuntur, & ipsius præcepta retinent, sunt virgines, sunt inculpati. Qui diligunt aliquid in mundo, quod non est Christus & fides in ipsum, & in eo sibimet invicem placent, scortantur. Confer 1. Corint. 4. vers. 3. 4. & cap. 2. vers. 15.

Vers. 6. *Et vidi alium Angelum volantem in medio cœlo, qui habebat Euangelium æternum ut Euangelizaret habitantibus in terra, & omni genti, tribui, linguæ, populo.* Ea, quæ in Ecclesia fiunt, Angelis attribuuntur, quia non sine ministerio Angelorum fiunt. Cum Deus excitat præcones Euangelii, qui palam loquantur & illis aperit ostium, ut prædicatio illorum progrediatur & recipiatur, tum Angelus volat cum Euangelio per medium cœlum. Instar talium præconum sunt Wiclefus & Hussus. Ille declinante seculo quarto decimo, circa annum Christi 1360. Hic ustus anno Christi 1415. Hoc *Euangelium* vocatur *æternum*, non quòd aliud sit ab eo, quod auditum est, sed quia imposterum fieri non possit, ut non audiatur ἐν μεσουρανήματι, palam & quasi inter cœlum & terram. Hoc est

dimidium temporis, quo *nutritur mulier à gentibus.* Dum incipit Angelus prædicare existunt quidem jurgia & certamina, sed nondum fit separatio. Hactenus nutritur à gentibus Ecclesia. sed ea certamina eò usque proficiunt, ut expellatur Ecclesia à gentibus per anathemata Concilii Tridentini & Ecclesia constituatur extra communionem gentium in aliquo loco ipsi concesso. Hic desinit Ecclesia nutriri à gentibus: sed &, qui victi erant, incipiunt vincere, &, qui occisi erant, resurgunt. Hos. 6. vers. 2.

Vers. 7. Formula prædicationis est, *timete Deum*, non homines, h. e. Verbum ipsius cum reverentia accipite, deponentes vestram sapientiam, vestras vires, & vestram justitiam. Bonum, quod Deus vobis porrigit, sollicitè apprehendite; ne fortasse id perdatis. Regnum ejus ne negligite. Hominum auctoritatem, sapientiam, potentiam nolite æstimare aut timere. *Et date ipsi gloriam.* Neque ea, quæ ipsius sunt, vobis arrogate, sive justitiam, sive regnum in Ecclesia. &c. *Quia venit hora judicii ipsius.* Pars Euangelii hujus est, ostendere tempus imminentis judicii, quo Deus corruptores terræ judicabit. cap. 11: 18. & 17: 1. & 18: 1. 2. & 2: 23. Item infra vers. 8. *Et adorate eum, qui fecit cœlum, terram, mare, & fontes.* hoc est, nolite adorare & invocare sanctos, vel imagines, vel dæmones, quorum verbis creditis, vel bestiam vel imaginem ejus, sed solum Deum, qui fecit omnia, ipsos etiam principes populorum, qui sunt tanquam *fontes aquarum.* Nam cœlum, terra, mare, fontes, hic & proprie & metaphorice accipi possunt & debent. Nota, Christum hîc clarè creatorem dici, &, qui præter eum adorat alium, eum non adorare Deum. Fuisse in Ecclesia Christiana prædicandam fidem in Deum, & adorationem solius Dei creatoris omnium, & reprehendendam adorationem non-Dei, ex his verbis clarè apparet. Quando autem illa prædicantur, est prædicatio Angeli; non est hæresis.

Vers. 8. *Et alius Angelus secutus est, dicens, cecidit, cecidit Babylon civitas illa magna.* Quando Ecclesia Romana per anathematismos suos ejecit Euangelium æternum prædicantes in Synodo Tridentina, & ab illa est appellata *magistra omnium Ecclesiarum*, non jam amplius privata jactatione, ut Innocentius tertius fecerat, sed publica lege, quod & Papæ ut declarationem suæ auctoritatis arripuerunt, tunc *cecidit Babylon*, imprimis quia eodem tempore Ecclesia accepit lege imperii tranquillum statum & potestatem seorsim habendi sibi res suas. Confer cap. 9: 1. Et huc pertinet abolitio *nominum* & *chiliadum*, cap. 11: 13. Casus hic amplius explicatur cap. 18: 2. Cecidit autem tunc, quia desiit esse locus congregandæ Ecclesiæ, & rex illius cognitus est hostis Christi, neque potuit amplius habere

habere sanctos in sua potestate, neque, qui vellent egredi, impedire amplius. Christus autem civitatem suam, ex portis inferni eductam, incepit fundare ejusque pomœria ducere. confer Hab. 3: 14. Ita, cùm regnum Papæ visum est surgere & mœnibus communiri, revera *cecidit*. Huc refer oblivionem Tyri ut scorti obsoleti. Es. 23: 14. Convenit etiam, quòd cap. 9: 1. dicitur Stella quædam cecidisse de cœlo in terram. Quando Rex Babylonis cecidit, incepit Babylon cadere. Simul se Antichristus denudat, & cadit. Nam non possunt fideles audientes verba ejus cum eo habere consortium, quando se ita ostendit, ut ab audientibus verba ejus non possit non redargui, & ipse redarguentes excludit à cœtu suo & proscribit. Hîc tamen non intelligitur casus Babylonis omnis. Nam & postea venit Angelus, qui monet non adorare Bestiam & Imaginem ejus & recipere signaturam ejus. Intelligitur casus, qui in eo consistit, ut desinat *FACERE*. Sed, ut dixi, cap. 18: 2. hic casus explicatur: nempe quòd Babylon *facta sit habitaculum dæmonum & custodia omnis spiritus impuri & custodia omnis volucris impuræ & odiosæ*. Ratio casus est. *Quia vino excandescentiæ scortationis suæ potavit omnes gentes*. Hæc duobus modis accipi possunt. Primo, quod illa facta fuerit intolerabilis ut sine maxima blasphematione nominis divini non potuerit continuari illa fidelium apud eam habitatio. Secundò, quod eo ipso se secreverit ab Ecclesia, & extrà eam ejecerit, quod scortationem suam publicaverit, & illa impudentissimè usa fuerit, & in leges istius scortationis omnes gentes adegerit. Scortatio illa est receptio capitis, & legis, & fundamenti alterius. Vox θυμὸς sine dubio significat *excandescentiam*. vers. 10. Quod est חֵמָה Hebræis. Sed, quia חֵמָה etiam *venenum* significat, videtur ex Hebræo posse θυμὸς pro *veneno* rectè accipi, quando cum πορνείας jungitur. Sed *scortatio* ipsa habet *excandescentiam*: quia *gentes* scortantes ὠργίσθησαν. Apoc. 11: 18.

Vers. 9. 10. *Et tertius Angelus secutus est ipsos, dicens voce magna: si quis Bestiam adorat & imaginem ejus, & accipit signaturam in fronte aut manu sua, & ipse bibet*. Hæc est denunciatio judicii, non tantùm in Bestiam jam ab Ecclesia separatam, sed in eos etiam, qui exire cunctantur, imò & in eos, qui videntur exivisse. Nam etiam inter illos sunt, qui habent nomen viventium, sed sunt mortui cap. 3: 1. Nempe, ut antea fideles commixti erant adorantibus Bestiam, ita etiam adorantes Bestiam miscentur fidelibus, egressis ex civitate magna. Qui tametsi Papam irrideant & regnum ejus, tamen non deserunt errores quosdam, quos apud Bestiam didicerant, neque desinunt fidelium, cum quibus egressi erant, persecutione, irrisione, & aliis malis Ecclesiam turbare, atque ita se

potiùs Bestiæ membra, quàm Ecclesiæ, ostendere. Licet enim eos, qui idem principium & fundamentum confitentur, judicemus esse Ecclesiam, tamen sæpenumero in multis apparet, dum errores suos volunt adorari, eos fundamentum non tenere, neque adeo caput. Quod autem etiam stulti veritatem hactenus fuerint cognituri, ut à Babylone recedant & sese aggregent ad rectius sentientes, testatur Es. 35: 8. Notantur igitur hic disputationes, scrutationes, commonefactiones, quæ auditæ sunt in Ecclesia post decessionem à communione papistarum. De quibus scrutationibus loquitur & Ezech. 39: 14. 15. Huc referenda sunt schismata Lutheranorum & Reformatorum, itemque Remonstrantium, & aliarum sectarum, quæ plus minus de papatu retinent. Neque tamen in solis dogmatibus hanc communionem pono. Datur scortari cum Bestia multis modis: ut imitando ejus facta, admirando ejus studia, confidendo ejus potentia.

Pœna describitur vers. 10. 11. *Bibet ex vino excandescentiæ Dei, quod mistum sive infusum est merum in calice iræ ipsius.* Oxymoron in phrasi: τῆ κεκερασμένῳ ἀκράτῳ. Significatur fore meram iram. Psalmus 75: 9. assignat de cramate Dei feces improbis terræ. *Et cruciabitur in igne, & sulphure coram sanctis Angelis, & coram agno.* Mala conscientia erit ipsi pro igne, accedet zelus sive furor contra veritatem, quam pati non poterunt. Cujus alimentum erit sulphur, hoc est, species religionis. Cruciatus hic non tam oculis hominum patescet, quàm oculis Angelorum & Agni. Angeli, quanquam non videant secreta cordis, tamen de cordis statu judicant. Ita spiritualis de omnibus judicat. Novit enim extra fidem Christi pacem conscientiæ esse non posse, neque veram charitatem. *Et fumus cruciatus ipsorum ascendit in secula.* Conjunguntur hîc *ignis, sulphur, fumus*; ut cap. 9: 17. *Fumus*, vanum splendorem significat, *fumus ascendens*, interitum splendoris; & ita *fumus cruciatus* erit recessio hominum propter cruciatum. Possunt faciliùs indicia & signa ignis torrentis & cruciantis intelligi. Confer Es. 66: 24. Si hîc intelligimus ea, quæ in hoc tempore contingere possunt; quàm ἄκρατον sit ὀργὴ in altero seculo propinanda, inde colligere in expedito est. *Et non habent requiem die ac nocte, qui adorant Bestiam & imaginem ejus; & si quis accipit signaturam nominis ejus*; hoc est, si quis vult ab illo nomine nominari. Qui ad Christum accedit, habet ἀνάπαυσιν. Matth. 11: 30. Qui ab illo discedit, nunquam habet ἀνάπαυσιν, neque in vita neque in morte.

Vers. 12. *Hic patientia sanctorum est.* Ex hoc apparet, præcedentem admonitionem esse præparationem ad sequentem tentationem, quæ futura erat, laxatis quatuor Angelis ligatis ad Euphratem. cap. 9: 15.

Hic

Hic sunt, qui servant præcepta Dei & fidem Jesu. Confer cap. 3: 8. q. d. si unquam, hoc tempore manifestabuntur illi, qui verbum Dei retinent. Credo autem, non debere intelligi tentationes tantùm externas, sed etiam internas, in ipsa Ecclesia Reformata enascentes. Nam, ut dixi, non omnes, qui ad Ecclesiam Reformatam accedunt, ad eam pertinent. Quemadmodum antea ad Ecclesiam accedebant, qui vanitatem idolorum agnoverant, & agnoverant, Christum venisse, Christum tamen non cognoscebant: ita posteriori hoc tempore fieri potuit, ut ad Ecclesiam accederent, qui quasdam abominationes Bestiæ agnovissent, & tamen nescirent, quæ esset natura fidei in Christum. Et quis præstabit, tales non reperiri inter docentes? Provocat Ecclesia Reformata ad Scripturas. Sed annon potest fieri, ut aliquis provocans ad Scripturas non intelligat Scripturas, & eas non scrutetur, & aliter doceat, atque docet Scriptura, & cum adversariis disputans conjecturas suas opponat conjecturis illorum, ingenium ingenio? Annon fieri potest, ut omittatur solida demonstratio veritatis, quæ est secundùm pietatem, ad conscientiam: quæ est vera sapientia? Annon fieri potest, ut multi fiant doctores, qui necesse habeant doceri? Ut plurimi loquantur tantùm ea, quæ & Ethnici & Judæi & hæretici loqui possunt? Ut in plebe sit ἀγνωσία θεοῦ? ut doctores inter se litigent, & ingenio inter se confligant per κενοδοξίαν, dum quisque vult esse potior altero? Ut vigeant ψιθυρισμοὶ & καταλαλιαὶ? Ut impediatur προφητεία? Denique ut ea sint vera de ipsa, quæ Esaias cap. 58. & 59. alicui multitudini, quæ ut populus Dei quotidie ad Deum consulendum accedit, improperat? Certè Christianorum est non eò se Christianos putare, quia alii non sunt Christiani, sed seipsos excutere & non oblivisci vel negligere suum σκοπὸν. Quare, quum omnis multitudo sit ex hominibus, & homines suo ingenio mali sint, convenit omni, qui vult evadere iram Dei, non spectare multitudinem, sed *servare præcepta Dei, & fidem Jesu*, & iis συνεδοκεῖν, quos videt ea præcepta & eam fidem servare. Nemo idoneus est ad ædificandam domum Dei, qui non accedit ad lapidem vivum Jesum Christum, & ei se, ut lapidem vivum, inædificat.

Vers. 13. *Et audivi vocem ex cælo mihi dicentem, scribe: beati mortui in Domino morientes ab hoc tempore. (Ne, dicit spiritus; ut requiescant à laboribus suis) & opera ipsorum sequuntur cum ipsis.* Sensus est, tempus instare, quo satius est mori, quàm vivere, quòd in vita nihil nisi labores sint, in morte autem requies. Nihilominus hæc verba habent etiam incitationem ad laborem ferendum & mortem non expavescendam; quia post illud tempus fructus laboris ipsorum & mortis ipsorum sit exstiturus. Qui fructus

non tantùm est consecutio vitæ gloriosæ ; sed etiam conservatio verbi Dei apud posteros & multiplicatio credentium. Ita enim dicitur Es. 59: 20. *Hoc est fœdus meum cum ipsis*, id est, hoc illis tanquam ex pacto debitum & ut שְׂכָרִי mercedem & καρπὸν ἔργυ addico: *Spiritus meus, qui est super te, & verba MEA, quæ POSUI in ore tuo, non recedent ab ore tuo & ab ore seminis tui & ab ore seminis seminis tui, ait Jehovah, à nunc usque in seculum.* Et cap. 60: 22. *Parvus fiet in mille, & exiguus in gentem validam.* Nimirum illa innumerabilis multitudo, de qua est cap. 7: 9. est fructus laboris ipsorum. De quibus etiam loquitur cap. 15: 2.

Vers. 14. Post prænonitionem, ne quis communicet cum Bestia, *videt nubem albam & sedentem in nube similem filio hominis, qui habebat in capite suo coronam auream, & in manu sua falcem acutam.* Quod de homine coronato in nube sedente dicitur, id similitudinem habet phrasis Danielis cap. 7: 13. ubi intelligitur *populus sanctorum.* Hic verò potest intelligi vel ipse Christus, qui producitur cap. 19: 11. 12. vel Ecclesia, tanquam in custodia Dei collocata, victrix Bestiæ, & potestatem habens à Deo petendi repurgationem agri ipsius, quæ potestas *falci* instar est.

Vers. 15. *Et alius Angelus exivit ex templo clamans voce magna ad sedentem in nube, mitte falcem tuam & mete, quia venit tibi hora metendi; quia inaruit messis terræ.* (sic Joel. 4. vers. 5. *mitte falcem, quia maturuit messis.*)

Vers. 16. *Et misit sedens in nube falcem suam in terram, & messa est terra.* h. e. Christus & Ecclesia accepit à Deo potestatem petendi terræ repurgationem ; & datum est per Ecclesiam (quæ est templum Dei) εὐθύτιμον ad messem ; & ea messis peracta est. *Messis* solet fieri in agro. Ager paucas habet arbores. Notatur illâ pars Ecclesiæ, quæ non habet παροησίας potestate legislationis & jurisdictionis præditos. Fortasse occasio messis peragendæ fuit coronatio alicujus regis. Ad quam referri potest locus Hos. 13: 10. 11. Utcunque sit, cujuscunque falce, occisi sunt multi homines ; tum corporali morte, tum spirituali morte, sive ad ἀποστασίαν impulsi : atque ita, qui videbantur exivisse ex Babylone, imminuti sunt ; ut est Psalm. 107: 39. *& imminuti sunt & depressi sunt præ vi imperii malitia & mœrore.* Huc referrem prophetiam Hos. cap. 10: 14. 15. p. p. Hæc coincidunt cum effectu tubæ sextæ, cap. 9: 18. saltem ea res cum hac messe conjuncta est. Satis ad exemplum est bellum Germanicum gestum ab anno Christi 1619. usque ad nuperam pacem factam anno 1648. Non absurdè etiam quis cogitet, hominem coronatum potentia Dei subito advectum cum gladio acuto instrumentum fuisse succidendi straminis, quod in agro Dei stabat, quodque impediebat semen-tem : &, quum id effectum esset, secutam esse pacem. Nubes enim candida

sine

sine dubio significat potentiam Dei volentis Ecclesiam eripere ex manu oppressorum, & ei pacem dare. De qua re loquitur Esaias cap. 19: 20. 21. *Illo die erit altare Jehovæ in media Ægypto* (Christus prædicabitur, & multi etiam animas suas Deo offerent) *& Mazzebáh* (lapis unctus) *apud terminum ejus: & erit in signum & in testimonium Jehovæ* dei *exercituum in Ægypto, quum clamabunt ad Jehovam propter opprimentes, & mittet ipsis salvatorem & patronum*, contendentem pro ipsis, *& eripiet eos.* Ita cap. 9: 18. erit militia adversaria, hîc militia contendentis pro Ecclesia: & expeditionis illius finis quædam ereptio Ecclesiæ.

Vers. 17. 18. *Et alius Angelus exivit ex templo in cœlo, habens & ipse falcem acutam, & alius Angelus exivit ex altari habens potestatem in ignem; & clamavit clamore magno ad eum, qui habebat falcem istam acutam, dicens: mitte falcem tuam acutam & vindemia racemos vitis terræ, quia jam maturæ sunt uvæ ejus. Altare* Ecclesiæ Christus est. Ad eum enim accedunt, tum ut impetrent Dei dona, tum ut offerant sua sacrificia, sive sit amor cordis, sive confessio oris, sive fructus operis, sive relictio aut erogatio bonorum, sive effusio animæ. *Ab altari exit Angelus habens potestatem in ignem*, h. e. Christus, cui fides & passiones suorum sunt cordi, mittit Angelum, qui habet potestatem excitandi zelum, qui ardeat instar *ignis*, coram quo homines consistere non possint. Confer Cant. 8: 6. Es. 33: 14. Hic zelus est zelus Dei, non minus quàm Judæorum zelus Rom. 10: 2. nempe zelus hoc agens, ut in Ecclesia non regnet nisi Christus, & ut ea non oneretur legibus humanis, neque reducatur ad pristinam cum regno Antichristi copulationem. Is zelus potest in non nullis esse κατὰ πρόφασιν, in aliis tamen ἀγνῶς. Nec quid impedit, quo minus etiam illi, qui rectum propositum habent, non omnia agant, quemadmodum oportet. *Et clamavit clamore magno* &c. Omnia, quæ geruntur in regno Dei, ordine à Deo geruntur: &, quia illarum rerum administri sunt Angeli, introducuntur Angeli cohortantes se invicem ad faciendum, quod ipsis mandatum est. Hîc est *falx ad vindemiam vitis terræ.* Præter veram *vitem*, quæ est Christus, est & *vitis ex agro Sodomæ*, Deut. 32: vers. 32. constans adulterino capite & illius membris. Sed & ea pars Ecclesiæ Reformatæ, quæ habet Episcopos legislatores & jurisdictionem exercentes, *vitis* appellari potest in contradistinctione *agri*. Quod igitur in cap. 6. vers. 13. dictum est de casu siderum ex cœlo, id hic replicatur in alio ænigmate, nempe *vindemiæ.* Confer Zachar. 11: 2. *Sylva vindemiæ.*

Vers. 19. *Et conjecit Angelus iste falcem suam in terram, & vindemiavit vitem terræ & conjecit in lacum iræ Dei magnum & calcatus est lacus extra civitatem.* Clarum est, hîc agi de illa parte terræ, quæ est extra civita-

tem,

tem, & in qua tamen est Hierarchia, ut in civitate. Tantùm eo hæc pars à Civitate discernitur, quòd hic non proponitur *signatura* sive lex *Bestiæ*. Quod tamen *uvæ* dicuntur *maturuisse*, vers. 18. id sine dubio significat, multos pertinentes ad Hierarchiam propter ejus splendorem & amorem splendoris ejus eousque processisse cupiditatis, ut jam sine pernicie Ecclesiæ ferri amplius non possint; sed sint quasi maturi ad resectionem. Quod facile intelligi poterit ita se habere, si consideremus, fieri potuisse, ut Episcopi falsis doctrinis diœceses suas implerent & non ferrent veritatem docentes; vel etiam adigerent auditores suos ad ritus ab hominibus excogitatos, idque eo fine, ut omnia deprehenderentur similia ritibus Pontificiorum, atque ita paulatim assuescerent Bestiæ, minusque mirarentur, se rursus cum Papistis copulari. Quid horum factum sit, & quomodo Pontificii istis consiliis manum præbuerint, omnium sermone decantatum est. Ad talia consilia potest referri Es. 33: 11. *Concipitis paleam, parietis stramen, spiritus vester est ignis, qui vos devorabit. Et exivit sanguis ex torcular sive lacu usque ad frenos equorum.* Si equi sunt populi, & freni equorum sunt rectores populorum, bene dicetur, sanguinem attingere frenos, quando rectorum funditur sanguis. Tale quid est, quod nuper in Anglia factum est, cùm non tantùm Episcopi ad unum omnes ceciderunt, & multa hominum millia occisa sunt, sed multi etiam nobiles, Barones, Comites, Duces securi percussi, imo & Primas Angliæ Archiepiscopus & Rex carnificis manu perierunt; atque ita impletum est, quod exstat Hos. 10: 15. *cum aurora occidit, occidit rex Israëlis.* Vide ibi notata. De quibus necdum aliter sentire possum. Et certus sum, si quis attenderit, cum aliter sentire non posse: quia ea, quæ facta sunt, conveniunt iis, quæ illo capite dicta sunt. Attentionem verò & scrutationem ut afferant homines ad lectionem Scripturæ, non nostræ est opis. Cæterum, quòd stellæ repositæ sunt in locum suum, id convenit cum eo, quod legitur Es. 24: 21. *Et erit in illo die visitabit Jehovah super exercitum celsi in celso, & in reges terræ super terram. Et colligentur collectione: vinctus ad foveam: & claudentur in claustro: & à multis diebus VISITABUNTUR. Et compungetur Luna & pudefiet Sol, quum rex factus fuerit Jehovah* deus *exercituum in monte Sion & Hierosolymis: & coram senioribus ejus gloria.* Quæ leguntur porrò apud Esaiam cap. 25. explicant ea, quæ in his summatim dicuntur. quorum quædam jam videmus facta. Quale est, quòd de *civitate* factus est *cumulus, urbs ardua ruina, urbs* facta est *palatium alienorum: quod non in seculum ædificatum est.* vers. 2. Et ea, quæ facta sunt, argumentum sunt, quare debeat Deum *glorificare populus robustus* & ἀνοτόσαι *urbs gentium violentarum* debeat Deum *metuere.* vers. 3. De quibus

bus nihil addemus, quia propositum nobis est non vaticinari de futuris, sed verba prophetiæ in factis ostendere.

A stadiis 1600. Utrum hoc ratione loci, an ratione temporis accipi debeat, res ipsa, procul dubio, cum manatio sanguinis fuerit consummata, docebit. Si verum est, ditionem Romanam habere stadia 1600. ut tradit Medus in clavi Apocalyptica, possumus dicere, ἀπὸ σταδίων significare ultimum tractum manantis sanguinis, q. d. tam diu manabit sanguis ex torcularibus, donec impleat territorium illud, quod habet tot stadia. Licet etiam hunc numerum conferre cum aliis numeris jam demonstratis, v. g. mensibus locustarum; & considerare, an non in eundem terminum temporis incidant hæc stadia, pro annis accepta. v.g. Si incipiamus à bello Judaico, ut prima ἀρχὴ ὠδίνων, Matth. 24:8. & procedamus ad finem mensium, qui assignantur locustis: aut ad finem dierum, quos numerat Daniel in cap. 12. Si præterea alia est hujus numeri significatio, eam tempus aperiet. Tantùm cavendum est, ne cum quibusdam putemus, vindemiam hanc esse ipsum finem seculi: cujus certè tempus in scripturis nobis indicatum non est.

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

MARE VITREUM ET CANENTES SUPER EO.

1. Καὶ εἶδον ἄλλο σημεῖον ἐν τῷ οὐρανῷ μέγα καὶ θαυμαστὸν, ἀγγέλους ἑπτὰ ἔχοντας πληγὰς ἑπτὰς τὰς ἐσχάτας, ὅτι ἐν αὐταῖς ἐτελέσθη ὁ θυμὸς τοῦ Θεοῦ.

2. Καὶ εἶδον ὡς θάλασσαν ὑαλίνην μεμιγμένην πυρὶ· καὶ τοὺς νικῶντας ἐκ τοῦ θηρίου καὶ ἐκ τῆς εἰκόνος αὐτοῦ, καὶ τοῦ χαράγματος αὐτοῦ, καὶ τοῦ ἀριθμοῦ τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ, ἑστῶτας ἐπὶ τὴν θάλασσαν τὴν ὑαλίνην, ἔχοντας κιθάρας τοῦ Θεοῦ.

3. Καὶ ᾄδουσι τὴν ᾠδὴν Μωσέως δούλου τοῦ Θεοῦ, καὶ τὴν ᾠδὴν τοῦ Ἀρνίου, λέγοντες· Μεγάλα καὶ θαυμαστὰ τὰ ἔργα σου, Κύριε ὁ Θεὸς ὁ παντοκράτωρ· δίκαιαι καὶ ἀληθιναὶ αἱ ὁδοί σου, ὁ βασιλεὺς τῶν ἁγίων.

4. Τίς οὐ μὴ φοβηθῇ σε, Κύριε, καὶ δοξάσῃ τὸ ὄνομά σου; ὅτι μόνος ὅσιος· ὅτι πάντα τὰ ἔθνη ἥξουσι καὶ προσκυνήσουσιν ἐνώπιόν σου· ὅτι τὰ δικαιώματά σου ἐφανερώθησαν.

VERS. 1. *Et vidi aliud signum in cœlo magnum & mirabile, Angelos septem, qui habebant plagas septem extremas; quia in illis consummata est exardescentia Dei.*

2. *Et vidi tanquam mare vitreum mixtum igne: & eos, qui victoriam reportabant de Bestia & Imagine ejus & signatura ejus & de numero nominis ejus, stantes supra mare vitreum, habentes citharas Dei.*

3. *Et canebant canticum Mosis servi Dei, & canticum Agni; dicentes: Magna & admirabilia opera tua, Domine, Deus, omnipotens. Justa & vera sunt via tua, Rex sanctorum.*

4. *Quis non timeat te, Domine, & glorificet nomen tuum? quia sanctus: quia omnes gentes venient & adorabunt coram te; quia jura tua manifesta facta sunt.*

VErſ. 1. Hîc ab initio fit mentio novi viſi; quod, ad explicationem ſuperiorum, deinceps verſ. 5. & reliquis, & cap. 16. exponitur, nempe *ſeptem Angelorum habentium plagas ſeptem extremas, quia in illis ira Dei conſummata eſt.* Propterea & hoc loco iſtorum fit mentio, quia ſubjiciendus erat triumphus ſanctorum de Beſtia, ut indicaretur, cujus temporis eſſent iſtæ plagæ: nempe ejus, quo Beſtia, bellum geſſit cum ſanctis. ut dictum cap. 13:7. Plagæ phialarum ſeptem coordinantur certamini jam deſcripto, & ad illud pertinent.

Verſ. 2. 3. In his deſcribitur triumphus ſanctorum de Beſtia. *Vidi tanquam mare vitreum mixtum igne, &, qui viceram Beſtiam & Imaginem ejus, & ſignaturam ejus, & numerum nominis ejus, ſtantes ſupra mare illud vitreum, habentes citharas Dei.* *Mare vitreum* eſt mare tranquillum & limpidum, & notat pacem mundi. *Mixtio ignis* ſignificat vel operationem Spiritus in mundo; vel lucem Euangelii. Nam & Euangelium illuminat oculos, ut clara flamma; & Spiritus operans vitam, quæ in charitate conſiſtit, & habens zelum, imò θηλοδῶν πρὸς φθόνον, rectè cum igne comparatur. Ita in altari ignis πυροφόρος ſignificat zelum Domus Dei, qui Chriſtum devoravit. Pſalm. 69:10. Cantic. 8:6. Cæterum, quod dicit, victores Beſtiæ ſtetiſſe *ſupra mare*, cenſeat aliquis dictum eſſe more Hebræorum; quibus עַל notat etiam *juxta*, maximè ſi ſitus ille ſit in ſuperiori loco. Atqui cap. 16:20. dicitur, *omnem inſulam fugiſſe & montes non fuiſſe inventos.* Sic igitur quaſi mare unum viſum fuit; *& victores ſteterunt in ipſo mari*, tanquam magna glacie, h. e. in illo mundo emicuerunt. Ita, quod factum olim cum Iſraëlitis, etiam intelligitur eventurum Eccleſiæ. Iſraël per mare tranſiit, in quo Pharao periit. Exod. 15:18. Et in eo Cantico dicuntur *abyſſi coagulatæ ſtetiſſe*, verſ. 8. quemadmodum hîc mare vitreum dicitur. Zacharias autem de hoc tempore prophetat cap. 14:10. *Vertetur tota terra in eremum.* Item cap. 10:13. *Et tranſibit per mare angustia, & percutiet in mari fluctus, & exareſcent omnia profunda Amnis.* Ut verò hîc dicuntur Vincentes ſtare in mari coagulato ſeu vitreo, ita Habacuc cap. 3.19. dicit, *in celſis meis facit me incedere.* Notum eſt, quid ſignificet, *ſtare* vel *ſedere in celſis terræ.* Deut. 33:29. *Et tu celſa eorum calcabis.* Eſ. 58:18. *Et faciam te ſedere in celſis terræ.* Olim, quum Chriſtus apparituras erat in carne, *montes depreſſi, valles exaltatæ ſunt*, h. e. facta eſt quaſi planities aliqua in toto mundo, ut magni & parvi in una dicione continerentur. Ibi fuit mundus, ut עֲרָבָה *planities* & *deſertum* unum. Sed nos illis generaliter dictis oportet eſſe contentos, dum res fiat.

Et canunt canticum Moſis ſervi Dei, & canticum Agni, dicentes &c. Canticum Moſis & Agni eſt Prophetia & Euangelium. Moſes enim dux chori

Pro-

Prophetici est : servus Dei fidelis in tota domo ejus, in fidem eorum, quæ, postea ut dicerentur, futurum erat. Hebr. 3: 5. Dominus, Agnus portans peccata mundi, ipse primus Euangelium annunciavit. Non possumus igitur Canticum Agni canere, nisi & Mosis Canticum canamus: nec Mosis, nisi & Agni. Qui Agno credit, & Mosi credit: qui Mosi, & Agno. Qui Deo canit, canit verbis Mosis, quæ sunt & Agni; &, verbis Agni, quæ sunt & Mosis. Nam Christus Euangelium prædicavit, ut & Apostoli, iis sermonibus sive vocibus, quæ antea apud populum Dei auditæ sunt. Christus, quamvis sit *lux*, & loquatur id, quod se conscientiæ probat esse veritatem, quæ sola est secundùm pietatem, tamen non debet nudari verbo Prophetico, quo *luxit in tenebris* etiam antequam veniret in carne. Joh. 1: 5. Prophetia & Euangelium fit *Canticum*, quando prædicatur cum lætitia & gratiarum actione : simili illius, quam Moses celebravit in transitu per mare rubrum, & qua Agnus resurgens ex mortuis Deum inter discipulos glorificavit. Ad canticum Mosis, quod est Exod. 15. alludit Psalm. 118. & Es. 12. in quibus agitur de liberatione Ecclesiæ, atque etiam Esaias cap. 11: 16. dicit, *aggerem fore reliquiis populi Dei, quemadmodum fuerat Israëli, cum ascenderet ex Ægypto.* Nempe *lingua maris Ægypti deficcata.* ut est ibi vers. 15.

Magna & mirabilia sunt opera tua, Domine Deus omnipotens; justa & vera via tua, Rex sanctorum. Viæ Dei sunt rationes exsequendi consilium Dei ad gloriam ipsius. Vide Hos. 14: 10. *Justitia* illarum viarum spectatur partim in severitate vindictæ hostibus inflictæ, partim in repræsentanda Christi hæreditate, & tuendis justificatis, itemque reddenda mercede servis Dei. cap. 11: 18. *Rex sanctorum.* Zachar. 14. 5. *Omnes sancti tecum.* vers. 9. *Et erit Jehovah rex super totam terram. Sancti* sunt illi, qui Ecclesiam constituunt. In Ecclesia non sunt טמאים *impuri.* Nam illorum *Rex* non est *Dominus Deus omnipotens.* Non enim regnat in illis; quia nec *vivunt ipsi*, h. e. Deus in ipsis non vivit, non operatur, & eos non lætificat. Nam, quorum *Rex* est, eorum & *Deus* est. Ideoque *ipsi vivunt.* Luc. 20: 38. Sine *sanctificatione* nemo in Christo est: sine Spiritu nemo est Christi; sine regeneratione nemo filius Dei: sine communione in Christo nemo justus. Ex rege suo cognoscitur Ecclesia : quia *sancta* est. Sanctitas Ecclesiæ in purificatione cordis per fidem, quæ operosa est per charitatem, consistit ; non in miraculis. Ineptè crepant quidam notam Ecclesiæ *Sanctitatem miraculorum.* Miraculum, quo certò cognoscitur Ecclesia, est *sanctificatio.* Ecclesia non alium *Regem* recognoscit, quàm Dominum Deum omnipotentem, à quo sanctificatur. Qui in *Cantico* Deum omnipotentem nominant *Regem sanctorum*, significant, Deum *factum esse regem*

in Sion & Hierosolymis, & *compunctam esse lunam & solem pudefactum*, Es. 24: 23. Gratias etiam agunt Deo, quòd hucusque sanctificaverit sibi populum, qui ipsum solum Regem agnosceret, & eum solum amaret ac timeret. Res hujus Cantici etiam Esaias descripsit cap. 26. Ubi inter cætera & hæc gratiarum actio vers. 13. *Jehovah Deus noster, habuerunt nos in potestate domini præter te: tantùm in te commemoramus nomen tuum. Rex sanctorum* dicitur *Dominus Deus omnipotens* in oppositione imaginis Bestiæ & omnium, qui volunt Ecclesiam suis subesse legibus. *Sancti* illi sunt, qui soli Deo Regi se subjiciunt, & ei confidunt.

Vers. 4. *Quis non timeat te, Domine, & glorificet nomen tuum.* h. e. tibi omnem gloriam det, quæ in verbo tuo de te prædicatur. Dicitur *glorificari nomen Dei*, quando Deus agnoscitur, creditur, æstimatur, amatur, adoratur talis, qualis nominatur in verbo & factis manifestatur. *Quia solus es ὅσιος.* Id solet respondere voci חָסִיד; ut Es. 55: 3. חַסְדֵי דָוִד Actor. 13: 34. redditur τὰ ὅσια Δαβίδ. Alioqui ὅσιος significat eum, qui, quod rectum est, diligentissimè facit. Sed de Deo חָסִיד significat φιλάνθρωπον, οἰκτίρμονα, χρηστόν, eum, qui amorem, ut sanctum, ita eximiissimum habet ad salvandum.

Quia omnes gentes venient & adorabunt coram te. Sumtum ex Psalm. 86: 9. confer Zach. 14: 16. Es. 66: 3. Utitur hîc futuro: partim, ut reddat verba prophetiæ (confer Matth. 2: 4. & 17: 11. Sic præterito utitur similiter reponens verba prophetiæ Joh. 3: 13. ex Psalm. 68: 19.) quasi dicat, *omnes gentes venturæ erant* &c. partim, quia in initio est consummationis & complementi pollicitatio.

Quia justificationes tuæ sunt manifestæ factæ. δικαιώματα sunt ea, quæ Deus scitscit (δίκαιοι) ut justus, justa. Quum vocabulum δικάωμα non unam significationem habeat, hoc loco illam præferimus, qua notat τὸ ῥῆμα διαρρήδην sive *definitionem* ejus, quod rectum est & Deo εὐάρεστον. Nam pro eo Hebraico sæpe usurpant LXX. Aptissimum id est huic loco. q. d. hactenus de *lege justitiæ* (ut loquitur Paulus Rom. 9: 31.) disputatum est: nunc illa lex manifesta facta est. *Manifestatur* autem illa non tantùm per demonstrationem, sed & per judicium Dei, nempe liberationem justorum & coërcitionem hostium.

SEPTEM

SEPTEM PHIALÆ.

5. Καὶ μετὰ ταῦτα εἶδον, καὶ ἰδοὺ ἠνοίγη ὁ ναὸς τῆ σκηνῆς τῦ μαρτυρίυ ἐν τῷ ὐρανῷ.

6. Καὶ ἐξῆλθον οἱ ἑπτὰ ἄγγελοι ἔχοντες τὰς ἑπτὰ πληγὰς ἐκ τῦ ναῦ, ἐνδεδυμένοι λίνον καθαρὸν καὶ λαμπρὸν, καὶ περιεζωσμένοι πρὸς τοῖς στήθεσι ζώνας χρυσᾶς.

7. Καὶ ἓν ἐκ τῶν τεσσάρων ζώων ἔδωκε τοῖς ἑπτὰ ἀγγέλοις ἑπτὰ φιάλας χρυσᾶς, γεμούσας τῦ θυμῦ τῦ Θεῦ τῦ ζῶντος εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων.

8. Καὶ ἐγεμίσθη ὁ ναὸς καπνῦ ἐκ τῆς δόξης τῦ Θεῦ, καὶ ἐκ τῆς δυνάμεως αὐτῦ· καὶ ὐδεὶς ἠδύνατο εἰσελθεῖν εἰς τὸν ναὸν, ἄχρι τελεσθῶσιν αἱ ἑπτὰ πληγαὶ τῶν ἑπτὰ ἀγγέλων.

VERS. 5. *Et post hæc vidi, & ecce aperiebatur templum tabernaculi testimonii in cœlo.*

6. *Et exiverunt septem illi Angeli, habentes plagas illas septem, ex templo, induti linum purum & splendidum, & præcincti circa pectora zonas aureas.*

7. *Et unum ex quatuor animalibus dedit septem illis Angelis septem phialas aureas, plenas excandescentia Dei viventis in secula seculorum.*

8. *Et impletum est Templum fumo ex gloria Dei & ex potentia ejus: & nemo poterat intrare in Templum, donec consummarentur septem illæ plagæ septem Angelorum.*

Hîc jam subjungitur enarratio septem plagarum ultimarum. Nam, cùm cap. 14. produceretur Agnus cum suo exercitu tanquam pugnans cum Bestia, tamen toto capite illo nulla facta est mentio plagarum Bestiæ, sed tantùm voces narrantur, & prædicatio casus Babylonis, & comminatio communionis cruciatuum ejus denuntiata communicantibus cum illa; tum messis & vindemia; quæ magis pertinent ad terram Ecclesiæ. Ergo tempus erat, ut & plagæ Bestiæ & judicium Bestiæ exponerentur, quod fit in sequent. cap. Apparatus est in versibus quatuor ultimis hujus capitis.

Vers. 5. *Et post hæc vidi, & ecce aperiebatur templum tabernaculi testimonii in cœlo.* σκηνὴ μαρτυρίᾳ respondet Hebræo אֹהֶל מוֹעֵד. Quanquam autem hoc propriè sonet *tentorium conventus ex condicto*, tamen etiam non sine emphasi *tabernaculum testimonii* appellatur. Nam 1. tabernaculum hoc jussit Deus quæri & adiri, & de eo testatus est Deus, se ibi quærentibus se præsto futurum. 2. Ut in adyto templi erat *arca testimonii*, ita in templo hoc est *arca testimonii*. De qua cap. 11: 19. *Templum tabernaculi* est adytum, quod *Sanctum sanctorum* vocatur. Id, quod in terra erat sanctuarium penitissimum, respondet Ecclesiæ beatorum in cœlis. Hebr. 9: 23. Nam locus in terra, in quo Deus dicitur *habitare* & *apparere* sive *conspici*, Levit. 16: 2. respondet cœlo, in quo Deus ab electis conspicitur, sive cognoscitur ita, ut ea cognitione beati sint. Propter quam cognitionem, quia ea in cœlis datur, Deus *in cœlis esse* dicitur. Hoc adytum apertum

est, quando initiata est via recens iis, qui in terra sunt, ad illud adeundum, rupto velo, nempe carne Christi & Christo in cœlo locato. Hebr. 10: 19. 20. Huc spectat, quod cap. 3: 12. dicitur *nova Jerusalem descendere de cœlo.* Observemus hîc, post primam apertionem templi Dei, post demonstrationem gloriæ & potentiæ Dei, templum, hoc est, Ecclesiam (quæ est sanctum sanctorum, de cœlo in terram descendens) fumo cooperiri. Tum deinde septem has phialas effundi. Ultimæ phialæ effectus coincidit cum eis, quæ dicuntur facta, quum apertum esset sigillum sextum. Quibus, ut supra demonstravimus, tuba septima conjuncta est. Sub qua dicitur rursus apertum templum Dei in cœlo & visa arca Testamenti ejus in templo ejus. Apocal. 11: 19. In his est quoddam Prophetiæ de Regno Dei compendium.

Vers. 6. *Et exiverunt septem illi Angeli habentes septem plagas ex templo, induti lino puro & splendido, & cincti circa pectora cingulis aureis.* Jam tum, quando Christus in cœlum ascendit, præparatæ sunt plagæ in inobedientes & hypocritas, & Angeli quasi in procinctu steterunt ad illas infligendas. De septem Angelis ambigo; utrum intelligendi sint septem Spiritus stantes coram Deo, an alii Angeli. Videtur in operibus major quàm creaturæ operatio significari. Tamen, si *phialas effundere* explicemus, sententias definitas Dei habentis potestatem in has plagas pronunciare, approbare & fieri petere, & suo ministerio pro modulo suo exsequi; id & Angelorum est. Videmus igitur, in hisce plagis & Deum & Angelos & beatos in cœlis & sanctos in terra conspirare. *Vestitus purus & nitidus* significat sanctitatem: *cingula aurea* notant ἀτομωσίαν divini spiritus.

Vers. 7. *Et unum quatuor animalium dedit septem Angelis septem phialas aureas plenas effusi Dei.* Unum pro primo licet accipere. Leo h. e. Ecclesia animosa & imperterrita, nempe illa Apostolica, impetravit à Deo, ut Angelis hæ phialæ darentur. Nam, quum Deus habeat potestatem in illas plagas, c. 16: v. 8. nulla creatura potest Angelo dare has phialas; nisi quatenus Deus facit voluntatem servorum suorum. Quando igitur servi Dei volunt & cupiunt fieri judicia Dei, tum possunt videri dare phialas & concedere, ut eæ effundantur. Quod non magis est mirum, quàm quod Christus dicit, Apostolos secum sessuros in thronis & judicaturos duodecim tribus Israël. Quemadmodum Apostoli & fideles judicarunt duodecim tribus Israël, ita etiam judicarunt & judicant gentes & Bestiam. Vox Ecclesiæ est, quæ legitur in Psalmo 55: 10. *Corrumpe, Domine, divide linguam ipsorum.* Id ad plagas hasce pertinet. Quando igitur hoc juxta petitionem Ecclesiæ fit, rectè dicitur Ecclesia hanc phialam tradidisse effundendam. *Phialæ* significare videntur mensuram & moderatio-

derationem, quæ facta est propter electos, quorum bono inservit Dei longanimitas. Et *aureæ phialæ*, quia, ut judicium est à Deo, ita & moderatio judicii.

Vers. 8. *Et impletum est templum fumo à gloria Dei, & potentia ipsius.* h. e. Ecclesia, cujus πολίτευμα est in cœlo, circumvallata est multitudine profitentium nomen Christi, & omnibus eorum opibus: quæ multitudo & qui splendor externus tantùm fumus est. Fuit autem is effectus *gloriæ* Dei manifestatæ, & *potentiæ* Dei, qua usus est in reprimendis hostibus, & in convertendis gentibus. Nam, quum Euangelium prædicatum esset in mundo cum maxima demonstratione divinæ revelationis, cum virtute spiritus sancti, cum passionibus Christianorum, cum persuasione hostium, ea fuit causa, ut magna multitudo hominum accederet ad Ecclesiam, & eadem inciperet dicere & facere cum fidelibus, eademque damnare; quæ opibus suis eam extrinsecus ornavit & in mundo admirabilem fecit. Sed, quia Christus non nisi in virtute spiritus noscitur, & illæ gentes suas opiniones & mores invexerunt, *fumus* is fuit; fecitque veros Christianos minùs illustres, & cognitionem Christi & justitiæ ejus difficiliorem.

Et nemo poterat intrare in templum, donec consummarentur septem plagæ septem Angelorum. Quamvis templum apertum esset & fidelibus concessus aditus, & gloria Dei manifestata esset in mundo, nihilominus tamen illa copia fumi impedimento fuit, ne homines sine errore accederent in spiritu & veritate, sed multi aberrarunt à regno cœlorum adorantes Bestiam pro Deo, & regnum Dei non potuit reperiri, nisi per fidem; quia etiam toto illo tempore fuit in mundo μετὰ παρατηρήσεως, *non cum observatione*, ut oculis cerni posset, veluti civitas manibus structa, Roma, Venetiæ, Lutetia, aut alia urbs. quemadmodum quidam nugantur. Quasi non possit esse regnum Dei nisi instar regnorum mundi. Confer cap. 11: 2. ubi *atrium datur gentibus calcantibus civitatem sanctam.* Ad fumum hunc refert verba Othonis Frisingensis. *Ego de meo sensu loquar: utrum Deo magis placeat hæc Ecclesiæ suæ, quæ nunc cernitur, exaltatio, quàm prior humiliatio, prorsus ignorare me profiteor. Videtur quidem status ille fuisse melior, iste felicior: assentior tamen Romanæ sanctæ Ecclesiæ, credendaque, quæ credit, licitè possidenda, quæ possidet, credo.* Non culpatur possessio, sed corruptio. Quod autem fidem Othonis attinet, is non vidit Concilium Tridentinum: Tum adhuc Scripturæ erant supra Papam: & Papa damnabat apertos hæreticos, & cum Catholica Ecclesia commiscebatur Bestia. Quia Catholicam Ecclesiam extra pomœria Civitatis magnæ non reperiebat, putavit, Ecclesiam semper *Romanam* fore, h. e. sub Episcopo Romano.

mano. Ita illi quoque difficile fuit in templum intrare. Cæterum, quod dicitur, *neminem potuisse intrare*, id significat, fumum illum fuisse magnum impedimentum hominibus, ne in templum intrarent; adeò ut eis fuerit impossibile fumum à templo distinguere, & templum Dei cognoscere. Si enim nemo potest videre regnum cœlorum & in id intrare, nisi denuò generetur, Joh. 3: 3. 5. illa impotentia in homine carnali mirum in modum augetur, tali posito obstaculo. Sed, quod apud homines est impossibile, id apud Deum est possibile. Matth. 19: vers. 26. Ratio autem, quare homines non possint intrare propter fumum, est, quia naturaliter diligunt illa, quæ magna sunt apud mundum: quæ sunt fumus. De quibus Johannes 1. epist. cap. 2. vers. 15. 16. 17. *Nolite diligere mundum, & quæ sunt in mundo. Qui diligit mundum, in eo non est amor Patris.* &c.

CAPUT DECIMUMSEXTUM.

1. Καὶ ἤκουσα φωνῆς μεγάλης ἐκ τ ναῦ, λεγούσης τοῖς ἑπτὰ ἀγγέλοις· Ὑπάγετε καὶ ἐκχέατε τὰς φιάλας τ θυμ τ Θεῦ εἰς τὴν γῆν.

2. Καὶ ἀπῆλθεν ὁ πρῶτ, καὶ ἐξέχεε τὴν φιάλην αὐτῦ ἐπὶ τ γῆν· καὶ ἐγένετο ἕλκος κακὸν καὶ πονηρὸν εἰς τοὺς ἀνθρώπους τοὺς ἔχοντας τὸ χάραγμα τ θηρίε, καὶ τοὺς τῇ εἰκόνι αὐτῦ προσκυνοῦντας.

3. Καὶ ὁ δεύτερ ἄγγελ ἐξέχεε τὴν φιάλην αὐτῦ εἰς τ θάλασσαν, καὶ ἐγένετο αἷμα ὡς νεκρῦ· καὶ πᾶσα ψυχὴ ζωῆς ἀπέθανεν ἐν τῇ θαλάσσῃ.

4. Καὶ ὁ τρίτ ἄγγελ ἐξέχεε τὴν φιάλην αὐτῦ εἰς τοὺς ποταμοὺς καὶ εἰς τὰς πηγὰς τ ὑδάτων· καὶ ἐγένετο αἷμα.

5. Καὶ ἤκουσα τ ἀγγέλε τ ὑδάτων λέγοντ· Δίκαιος, Κύριε, εἶ, ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ὅσι, ὅτι ταῦτα ἔκρινας·

6. Ὅτι αἷμα ἁγίων καὶ προφητῶν ἐξέχεαν, καὶ αἷμα αὐτοῖς δέδωκας πεῖν· ἄξιοι γάρ εἰσι.

7. Καὶ ἤκουσα ἄλλυ ἐκ τ θυσιαστηρίε λέγοντ· Ναί, Κύριε ὁ Θεὸς ὁ παντοκράτωρ· ἀληθιναὶ καὶ δίκαιαι αἱ κρίσεις σε.

8. Καὶ ὁ τέταρτ ἄγγελ ἐξέχεε τὴν φιάλην αὐτῦ ἐπὶ τ ἥλιον· καὶ ἐδόθη αὐτῷ καυματίσαι τοὺς ἀνθρώπους ἐν πυρί.

VERS. 1. *Et audivi vocem magnam ex Templo, dicentem septem Angelis: Ite & effundite phialas excandescentia Dei in terram.*

2. *Et abiit unus, & effudit phialam suam in terram: & factum est ulcus malum & malignum in homines habentes signaturam Bestiæ & imaginem ejus adorantes.*

3. *Et secundus Angelus effudit phialam suam in mare, & factum est sanguis, & mortui: & omnis anima vivens mortua est in mari.*

4. *Et tertius Angelus effudit phialam suam in fluvios & in fontes aquarum; & factus est sanguis.*

5. *Et audivi Angelum aquarum dicentem: Justus es, Domine, qui es, & qui erat, & sanctus; quòd talia judicasti:*

6. *Quia sanguinem sanctorum & prophetarum effuderunt, & sanguinem eis dedisti bibendum. Digni enim sunt.*

7. *Et audivi alium ex Altari dicentem: Na, Domine, Deus omnipotens, vera & justa judicia tua.*

8. *Et quartus Angelus effudit phialam suam in solem: & datum est ipsi æstuare facere homines in igne.*

9. *Et*

9. Καὶ ἐκαυματίσθησαν οἱ ἄνθρωποι καῦμα μέγα, καὶ ἐβλασφήμησαν τὸ ὄνομα τοῦ Θεοῦ τοῦ ἔχοντος ἐξουσίαν ἐπὶ τὰς πληγὰς ταύτας· καὶ οὐ μετενόησαν δοῦναι αὐτῷ δόξαν.

10. Καὶ ὁ πέμπτος ἄγγελος ἐξέχεε τὴν φιάλην αὐτοῦ ἐπὶ τὸν θρόνον τοῦ θηρίου· καὶ ἐγένετο ἡ βασιλεία αὐτοῦ ἐσκοτωμένη· καὶ ἐμασῶντο τὰς γλώσσας αὐτῶν ἐκ τοῦ πόνου.

11. Καὶ ἐβλασφήμησαν τὸν Θεὸν τοῦ οὐρανοῦ ἐκ τῶν πόνων αὐτῶν καὶ ἐκ τῶν ἑλκῶν αὐτῶν· καὶ οὐ μετενόησαν ἐκ τῶν ἔργων αὐτῶν.

12. Καὶ ὁ ἕκτος ἄγγελος ἐξέχεε τὴν φιάλην αὐτοῦ ἐπὶ τὸν ποταμὸν τὸν μέγαν τὸν Εὐφράτην· καὶ ἐξηράνθη τὸ ὕδωρ αὐτοῦ, ἵνα ἑτοιμασθῇ ἡ ὁδὸς τῶν βασιλέων τῶν ἀπὸ ἀνατολῶν ἡλίου.

13. Καὶ εἶδον ἐκ τοῦ στόματος τοῦ δράκοντος καὶ ἐκ τοῦ στόματος τοῦ θηρίου καὶ ἐκ τοῦ στόματος τοῦ ψευδοπροφήτου πνεύματα τρία ἀκάθαρτα ὅμοια βατράχοις.

14. Εἰσὶ γὰρ πνεύματα δαιμόνων ποιοῦντα σημεῖα, ἃ ἐκπορεύεται ἐπὶ τοὺς βασιλεῖς τῆς γῆς καὶ τῆς οἰκουμένης ὅλης, συναγαγεῖν αὐτοὺς εἰς πόλεμον τῆς ἡμέρας ἐκείνης τῆς μεγάλης τοῦ Θεοῦ τοῦ παντοκράτορος.

15. Ἰδοὺ, ἔρχομαι ὡς κλέπτης. Μακάριος ὁ γρηγορῶν, καὶ τηρῶν τὰ ἱμάτια αὐτοῦ, ἵνα μὴ γυμνὸς περιπατῇ, καὶ βλέπωσι τὴν ἀσχημοσύνην αὐτοῦ.

16. Καὶ συνήγαγεν αὐτοὺς εἰς τὸν τόπον τὸν καλούμενον Ἑβραϊστὶ Ἁρμαγεδδών.

17. Καὶ ὁ ἕβδομος ἄγγελος ἐξέχεε τὴν φιάλην αὐτοῦ εἰς τὸν ἀέρα. καὶ ἐξῆλθε φωνὴ μεγάλη ἀπὸ τοῦ ναοῦ τοῦ οὐρανοῦ, ἀπὸ τοῦ θρόνου, λέγουσα· Γέγονε.

18. Καὶ ἐγένοντο φωναὶ καὶ βρονταὶ καὶ ἀστραπαί· καὶ σεισμὸς ἐγένετο μέγας, οἷος οὐκ ἐγένετο, ἀφ' οὗ οἱ ἄνθρωποι ἐγένοντο ἐπὶ τῆς γῆς, τηλικοῦτος σεισμὸς οὕτω μέγας.

19. Καὶ ἐγένετο ἡ πόλις ἡ μεγάλη εἰς τρία μέρη, καὶ αἱ πόλεις τῶν ἐθνῶν ἔπεσον· καὶ Βαβυλὼν ἡ μεγάλη ἐμνήσθη ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ, δοῦναι αὐτῇ τὸ ποτήριον τοῦ οἴνου τοῦ θυμοῦ τῆς ὀργῆς αὐτοῦ.

20. Καὶ πᾶσα νῆσος ἔφυγε, καὶ ὄρη οὐχ εὑρέθησαν.

21. Καὶ χάλαζα μεγάλη ὡς ταλαντιαία

9. *Et æstuaverunt homines æstu magno & blasphemarunt nomen Dei habentis potestatem in plagas has: & non resipuerunt, ut darent ei gloriam.*

10. *Et quintus Angelus effudit phialam suam in thronum Bestiæ: & factum est regnum ejus tenebricosum, & mandebant linguas suas pra molestia.*

11. *Et blasphemarunt Deum cœli pre molestiis suis & ex ulceribus suis, & non resipuerunt ex operibus suis.*

12. *Et sextus Angelus effudit phialam suam in fluvium illum magnum Euphraten: & exaruit aqua ejus, ut præpararetur via regum ab ortu Solis.*

13. *Et vidi ex ore Draconis, & ex ore Bestiæ, & ex ore Pseudoprophetæ spiritus tres immundos similes ranis.*

14. *Erant enim spiritus dæmonum, facientes signa. Qui exibant ad reges terræ & habitabilis totius, ad congregandum illos in bellum diei illius magni Dei omnipotentis.*

15. *Ecce, venio ut fur: Beatus, qui vigilat & servat vestes suas, ne nudus appareat, & videant turpitudinem ejus.*

16. *Et congregavit eos in locum illum, qui vocatur Hebraicè Armageddon.*

17. *Et septimus Angelus effudit phialam suam in aërem: & exivit vox magna ex Templo in cœlo, à throno, dicens: Factum est.*

18. *Et facta sunt voces, & tonitrua & fulgura: & terræ motus factus est magnus, qualis non est factus, ex quo homines exstiterunt in terra, tantus terræ motus, ita magnus.*

19. *Et facta est civitas magna in tres partes; & civitates gentium ceciderunt: & Babylonis illius magnæ mentis facta est coram Deo, ad dandum ei poculum vini excandescentiæ iræ ipsius.*

20. *Et omnis insula fugit, & montes non sunt inventi.*

21. *Et grando magna, velut talenti*

κατεβαίνε ἐκ τῦ ὐρανῦ ἐπὶ τὸς ἀνθρώπυς· καὶ ἐβλασφήμησαν οἱ ἄνθρωποι τ θεὸν ἐκ τ πληγῆς τ χαλάζης· ὅτι μεγάλη ἐστὶν ἡ πλεγὴ αὐτῆς σφόδρα.

pondere, descendebat ex cælo in homines: & blasphemarunt homines Deum ob plagam grandinis. Nam magna erat plaga ejus admodum.

VErs. 1. Hîc jam phialæ septem effunduntur. Jubentur Angeli eas effundere vers. 1. *Vox è templo* est vox Christi regis sedentis in throno. Ea *auditur*, quando pii legentes Scripturas vident, omnia matura esse ad talia judicia, & de istis, tanquam sine dubio imminentibus, inter se colloquuntur. Jubentur *effundere eas in terram*, h. e. in ditionem Ecclesiæ, ubi nomen Christi prædicatur.

Vers. 2. *Abiit primus & effudit phialam suam in terram, & factum est ulcus malum & malignum in homines, habentes signaturam Bestiæ, & imaginem ejus adorantes.* Ergo phialæ non sunt ejusdem extensionis cum sigillis & tubis. Sed habent citerius initium: nempe, postquam templum fano circumdatum est, h. e. quum Bestia enata esset, & ipsius signatura cæpisset recipi. *Ulcus* non statim dividit cutim, sed relinquit speciem unionis: intus caro fatiscit, inflammatur, putet, & existit erosio, cruciatus, pruritus. Dum species unionis retinetur in regno Bestiæ per signaturam Bestiæ & imaginem ejus; tamen sunt dissidia, ut de imaginibus, de nuptiis clericorum, de investituris episcoporum, de primatu, de capite Ecclesiæ visibili, ejusque auferibilitate ab Ecclesia, de auctoritate Concilii; adde innumerabilem multitudinem quæstionum inceptarum, & scholasticarum disputationum vitiligenem: non sine familiarum q. hæreditaria dissensione, ut Scotistarum & Thomistarum, aliarumque. Fecit hoc ulcus etiam scabiem & rupturam ad tempus quidem in schismate ἀλλοκεφάλων, nempe Aquilejensis, Ravennatis, Mediolanensis & cæterorum, negantium Papæ obedientiam; item in Paparum & Antipaparum dissidio. In perpetuo verò schismate inter Ecclesiam Græcam & Latinam. Quæ est ut divisio Ephraimi à Juda. Zachar. 11: 14. Huc refer *divisionem linguæ* prædictam Psalm. 55: 10. *Divide linguam eorum.* Hæc plaga non finitur, succedente secunda; quia etiam vers. 11. sub quinta phiala *ulcerum* fit mentio. Commode phialæ hujus effusio conjungitur cum prima voce cap. 14: 2. Quando homines ἑτεροδιδασκαλῶσιν & primò *non accedunt ad salubres sermones Domini nostri Jesu Christi*, deinde, obliti *doctrinæ*, *quæ est secundùm pietatem*, νοσοῦσι περὶ ζητήσεις, *ægrotant circa quæstiones & verborum*, in quibus sermo humanus cum sermone humano, ingenium cum ingenio, conjectura cum conjectura confligit, *pugnas* aut *pugnas de verbis*, sine dubio *ulceris mali & maligni* hoc instar est. Nam, quæ inde consequuntur, non sunt sanorum. Nempe *invidiæ*, *lis*, con-

convicia, *suspiciones mala* &c. ut Apostolus graviter monet 1 Tim. 6: 3. 4. 5. Sanè etiam sanctis certandum est pro fide semel tradita: & oportet ἐλέγχειν *redarguere* eos, qui sermone & opere peccant, Ephes. 5: 11. neque *permittere Jesabeli, quæ se prophetissam dicit, ut doceat*, Apocal. 2: 20. & ἀντιδιατιθεμένους παιδεύειν, *qui se opponunt, docere*, 2 Tim. 2: 25. imò ἐπιστομίζειν *os iis obturare*, Tit. 1: 11. Hoc facere pertinet ad *judicium*, quod fidelibus commendatum est. Es. 56: 1. *Facite judicium & justitiam.* h. e. Ipsi rectè agite in cogitatione, sermone, opere; ea cogitate, dicite, facite, quæ sunt justorum: ab omni verò specie mali abstinete, & non facite vos participes alienæ culpæ. Ita Christus cum iis, qui dicebantur dii, disceptavit, Psalm. 82: 1. Ita Paulus in omnibus suis epistolis & in sermonibus, quos refert Lucas, disceptat. Sed quomodo? Veritatem docendo & demonstrando ex Scripturis & per verba Spiritus sancti, cum auctoritate divini testimonii, manifestando ad omnem hominum conscientiam, ut veram sapientiam ac prudentiam, ut solam doctrinam secundùm pietatem, fundamentum ponendo & ei omnia solidè & aptè superædificando, & ad fidem, charitatem ac bonæ conscientiæ lætitiam referendo: mendacia verò veritati contraria auctoritate divina & per ipsam ἀναλογίαν & πίστεως refutando: at inutiles curiosasque quæstiones & ψευδώνυμον γνῶσιν rejiciendo: in omnibus autem his mansuetudinem & patientiam suam & per ea charitatem omnibus approbando. Nihil necesse est dicere, quantopere ab hac ratione docendi & redarguendi deviatum sit. Non sunt occulta ulcera, quibus laborat mundus. Non oleo lenita, non obligata, non expressa sunt. Sanie fluunt, putent, fætent. Es. 1: 6.

Vers. 3. *Secundus effudit phialam in mare, & factus est sanguis tanquam mortui; & omnis anima vivens mortua est in mari.* Sine dubio hîc significatur barbararum gentium (quales sunt Longobardi, Ungari, Poloni, Bohemi, Vandali, Gothi, Dani, Saxones, Franci) quæ erant, ut mare, ut ἁλὸς ἀτρύγετος, redactio ad communionem Bestiæ. Desiit mare illud tumultuari; cœpit incrassescere & coagulari. Gentes baptismo tinctæ sunt, & visæ sunt se lavisse in sanguine Christi; sed fuit sanguis non vivus & spiritu calefactus atque agitatus; verùm potiùs superstitio & opera mortua. Non posset pulchriori emblemate significari fides mortua. Jac. 2: 17. Multi, qui ad cognitionem veritatis pervenerunt, mortem secundam passi sunt in hac plaga. Quod indicatur per illa verba. *Et omnis anima vivens mortua est in mari.* Neque enim de piscibus hîc sermo est. Sed, quum antea adhuc fideles in mundo cogniti essent, nunc deinceps vix apparuerunt, & coacti sunt fideles conqueri de paucitate fidelium. Quæ querimonia extat Psalm. 12: 1. Visi sunt igitur viventes mortui, quando

vix alii apparuerunt, quàm mortui. De quibus est Es. 26:14. *Mortui non reviviscunt.* Deinde ἀποστασία post phialam hanc effusam incepit increbrescere & proficere semper in deterius. Effusio hujus plagæ conjungatur cum secunda voce. cap. 14:2.

Vers. 4. *Tertius effudit phialam in fluvios & fontes aquarum.* h. e. in populos eorumque imperatores & reges ac duces. *Et factus est sanguis.* Vers. 5. introducitur *Angelus aquarum:* cui tribuitur justificatio hujus judicii, vers. 5. 6. Quòd Deus dederit ipsis sanguinem bibendum, cùm sanguinem sanctorum effuderint. *Angelus aquarum* significat, ni fallor, omnes Angelos, quos Deus misit cum prædicatione Euangelii ad populos multos & gentes multas, in quibus meretrix sedet. cap. 17:15. Quibus meritò attribuitur is sermo, quo justificant Dei hoc judicium. Quum enim gentes audivissent Euangelium, & vanitas idolorum eis fuisset demonstrata, & nomen Dei ipsis fuisset notificatum, atque mysterium Christi, quod si verum non esset, Deus videri posset non sapienter vel homines creasse vel eos tolerare & eis benefacere: tantum abfuit, ut gratiam Dei agnoscerent, ut etiam sanctos interficerent. Atque, etiamsi Deus etiam Draconem de cœlo deturbasset, & potentiam Draconis fecisset absorberi, & potentiam illam magnam Dei vidissent, convictique essent, sermonem Mosis & Christi à Deo esse; tamen non acceperunt amorem veritatis, ut salvarentur. Id quod ostendit Arianismus, qui primo pacis tempore grassatus est: deinde quæstiones, quæ fuerunt inter Episcopos. Quas aluit Julianus. Ita, ut appareat, perpaucos fuisse, qui sacrificium juge Deo offerrent, posteaquam desierant Christiani sua corpora Deo offerre. Ita ut verum repertum fuerit, quod dicitur Mich. 7:11. *Dies est ad ædificandum maceries tuas. Die illo elongatur* ph *definitio* sive *lex justitiæ.* Quum deinde ulceribus pleni essent, & mare conversum esset in cruorem mortui, visum est Deo Bestiam punire bellis. Si hîc etiam respiciamus ad tertiam vocem citharœdorum, qui tertio tempore visi sunt in Ecclesia, qui quotidie ubique ad supplicia raptati sunt, videbimus, justum esse Dei judicium, ut, quia & patres ipsorum & ipsi *sanguinem sanctorum & prophetarum* h. e. loquentium in nomine Dei & verbis ejus, & non loquentium in nomine hominis (hi enim *prophetæ* in Novo Testamento inveniuntur) certatim *effuderant*, Deus ipsis bella immitteret tum intestina, tum externa, ut mutuò sanguinem suum biberent. Legantur hic historiæ de bellis gestis inter Christianos principes & à Christianis inde à tempore persecutionis Waldensium. *Angelo aquarum alius ex altari* succinit, approbans Dei *judicia tanquam vera & justa.* Quotquot mittuntur à Christo, ut Mediatore inter Deum & homines, approbant hoc judicium

cium Dei. Cæterum *bibere sanguinem* est sanguinis fusione delectari. Ex eo autem effectum est, ut cum homicidis & sanguinolentis hominibus communionem haberent. Facta est bestia colluvies homicidarum. Pios interficiebant: deinde gladium stringebant in se mutuò. Et tamen gloriabantur se Ecclesiam, quasi Cain esset filius Dei.

Vers. 8. *Quartus effudit phialam in solem, cui datum fuit homines καυματίσαι sive æstu fatigare in igne.* Si non vers. 10. legeremus, quintam phialam effusam esse in thronum Bestiæ, aut ipse sedens in throno Bestiæ non esset inter τοὺς καυματισθέντας, *æstu accensos*, non ineptè diceremus, sessorem illius throni hîc notari, tanquam adulterinum *solem*; quomodo etiam in suo regno appellari solet. Melius igitur est hic intelligere vel ipsum Christum solem justitiæ vel verbum ejus: atque per effusionem phialæ in ipsum significari ἐνέργειαν θεῦ circa ipsum & quasi per ipsum tanquam per instrumentum. Quando enim Deus effecit, ut sol justitiæ luceret per verbum suum clariùs in conscientiis hominum, quàm ante hac; utque viderent homines, se per illum convinci errorum & peccatorum, à quibus resipiscere ipsis videbatur esse inutile & infructuosum in rebus hujus seculi; tunc sine dubio effectus est æstus in hominibus errantibus & errorem amantibus; & sol ille factus est ipsis ignis intolerabilis. Proinde, quòd hîc dicitur Angelus quartus phialam effudisse in solem, id significat, Angelum petiviſſe aut voluisse, ut lux verbi justitiæ clarior fieret, & Euangelium æternum prædicaretur; & ejus prædicatione urerentur homines veritatem non amantes vel amantes mercedem injustitiæ, & accenderentur ad furorem & vesaniam, & occasionem haberent contradicendi veritati & cogitationes suas de Deo & Christo & justitia & regno Christi & fide & vero cultu Dei aperiendi. Quod & consecutum esse dicit Prophetia. Atque adeò hæc plaga respondet quartæ voci cap. 14: 6. nempe Angeli Euangelium æternum præconiantis.

Vers. 9. *Et æstuaverunt homines magno æstu, & blasphemarunt nomen Dei, habentis potestatem in hasce plagas; & non resipuerunt, ut darent ipsi gloriam.* hoc est, majore cum furore, quàm antehac, se oppoſuerunt veritati, ut non tantùm falsum loquerentur de Deo, sed etiam cum insania quadam se opponerent verum dicentibus, eosque per sæviſſima edicta ubique pœnis graviſſimis addicerent. Fuerat antea magnus furor hominum contra Waldenses, sed plerique nesciebant, quid facerent; putantes, se pestilentiſſimos homines & impuriſſima docentes ac facientes (hoc enim de illis fama loquebatur) opprimere. Itaque in illo facto potuit videri zelus quidam bonus inesse. Quanquam agerent temere, &, quum ipsi paterentur Jesabelem docere, & in illam non inquirerent, & servos Dei pate-

rentur errare & scortari & idolothyta comedere, nec investigarent mentem illius carminis, quod Citharœdi illi canebant, sanctos ex sententia meretricis magnæ interfecerunt. Nunc autem, veritate prolata in apertum, testibus duobus reviviscentibus, & in cœlum ascendere molientibus, contradictio est manifesta blasphemia nominis Dei. Nam in ea doctrina, cui contradixerunt & quam persecuti sunt, *nomen Dei*, qui est Deus Israëlis, continetur. Quippe doctrina de justitia ostendit, quomodo Deus sit justus & justificet eum, qui est injustus, per fidem in Christum Jesum. Rom. 3: 26. Quam doctrinam qui negat, negat Deum *justum & justificantem*. Supra cap. 14: 7. nucleus *Euangelii æterni* ille indicatur. 1. *Timendum esse Deum*, h. e. omnem sapientiam propriam & fiduciam sui deponendam esse, & verbo ipsius fidem adstringendam. 2. *Dandam esse Deo gloriam*, ut facientis omnia, quæ sunt veri Dei Israëlis, & gloriam hanc sibi vindicantis, quòd ipse sit justitia hominis. De qua *gloria* est Rom. 3: 23. quæ excludit *gloriationem* hominis, Rom. 3: 27. nisi in solo Deo. 1 Cor. 1: 30. 31. 3. *Eum adorandum esse* solum. Hæc comparatio Euangelii æterni ostendit, quæ sit *blasphematio nominis Dei*. Quando doctrina mendacii ad Deum auctorem refertur; quando negatur, in verbo Dei certo nos doceri omnia, vel etiam nos per verbum Dei certum, Mosen, Prophetas, scripta Apostolorum, posse doceri & sapientes fieri ad salutem; item nos justificari per obedientiam Christi; & per fidem esse justos; quando dicitur, justitiam, propter quam Deus remittit peccatum & vitam dat, esse habitum & deinde opera; &, quod nos irritat ad peccatum, non esse peccatum propriè dictum; & nos posse legem in hac vita implere, ita ut peccatum nec habeamus, nec faciamus; & alia multa: sine dubio, quia cum gloria Dei pugnant, sunt blasphematio nominis Dei. Comparanda autem esse hæc, etiam prophetia hîc ostendit. Nam dicit, *non resipuisse homines, ut GLORIAM Deo darent*. Quod dicit, *blasphemarunt nomen Dei habentis potestatem in has plagas*, id ostendit 1. quòd, etiamsi scirent, Deum & immittere hasce plagas & eas auferre posse, & remedium plagarum omnium esse *gloriam Deo dare* (nam id esset ab ἀνοίᾳ sua & ira contra loquentes veritatem & à blasphematione sanari) tamen non *resipuerint*, aut cogitaverint, se errare posse; sed pertinaciter in suis erroribus perseveraverint, clamantes, se non posse errare, quia sunt Ecclesia. Qualis gloriatio etiam Hoseæ 12: 9. *Omnes, qui se fatigaverint mea causa, non invenient in me pravitatem, quæ sit peccatum*. 2. quòd Deum blasphemarint, ut potestatem habentem in eas plagas. Quod maximè verum est de plaga hac quarta. Nam, quando Deus fecit Solem ita clarè lucere, ut sentirent, suas tenebras per eum confutari, dixe-

runt, doctrinam de justitia Dei & gloria Dei & nomine ejus, quæ per Scripturæ comparationem publicabatur, esse hæresin & à Diabolo.

Vers. 10. 11. *Quintus effudit phialam in thronum Bestiæ, & factum est regnum ipsius tenebrosum, & mandebant linguas suas præ molestia, & blasphemarunt Deum cœli præ molestiis suis & ulceribus suis & non resipuerunt ab operibus suis.* Respondet cap. 14: 8. ubi prædicatur, *Babylonem cecidisse. Phiala hæc effusa est in thronum Bestiæ.* Quis hic est *thronus?* Nonne ille, de quo loquitur Psalmus 94: 20. *An sociabitur tibi thronus nequitiæ, qui format arumnam supra id, quod definitum est?* h. e. supra id, quod nec additionem patitur nec detractionem. Ecclesia non agnoscit, nisi *thronum Dei*, coram quo & Agnus, raptus ad thronum Dei, & septem spiritus, & Angeli, & viginti quatuor Presbyteri, & quatuor animalia, h. e. omnes fideles & sancti. *Bestia* habet *thronum alium* & *cathedram* aliam. Multitudo, quæ habet *thronum* alium, & propterea se vult haberi *Ecclesiam*, quia illum *thronum* habet, potestne effugere, ut non sit illa *Bestia*, quam Apocalypsis nominat? Quis verò sedet in eo throno, nisi *Imago Bestiæ*, h. e. is, in quo omnis sententia illius populi conspicitur propter obedientiam? qui se *associat* Deo, tanquam si esset *Vicarius* ejus? In eum igitur *Thronum*, sive in eam *cathedram* effusa est *phiala quinta*. Nempe tunc, quando ille *thronus* amotus est ab Ecclesia; quando, inquam, per anathemata Concilii Tridentini, Ecclesia separata est ab illa multitudine; & Ecclesiæ pax est data in Imperio, ut haberet sibi res suas. Ita effectum est, ut cathedra illa non tantùm fidelibus, sed & pluribus hominibus facta fuerit abominabilis, & regnum ipsius non tantum lucem à se expulerit, sed factum etiam fuerit despicabile, atque ita Jesabel seu Tyrus, tanquam *meretrix obsoleta, fuerit tradita oblivioni.* Vide Es. 23:15. Coincidit hic terminus quadraginta duorum mensium, & nutritionis mulieris inter gentes. Quanto res illa fuerit sectatoribus bestiæ dolori, indicat Prophetia, quum dicit, eos *præ molestia linguas suas mandisse.* Cap. 9: 15. dicuntur *parati* fuisse *in horam, diem, mensem, annum, ad progrediendum in bellum. Ulcera* quoque ipsorum, hoc est, ipsorum disputationes, non siverunt ipsos quiescere. Quorum exemplum est in certamine monachorum inter ipsos, maxime, cùm nova secta Jesuitarum exoriretur. Non destiterunt igitur *blasphemare Deum cœli*, hoc est, qui regnum cœleste instituit: quasi non scripturam dedisset idoneam ad docendum & ad salvandum animas; quasi non esset regenerator; quasi non esset perfectus salvator; quasi haberet locum in terra, in quo vellet esse, offerri, adorari, quæri, & similia. *neque ab operibus suis*, hoc est, adoratione Bestiæ & imaginis ejus, persecutione sanctorum, scortationibus & scortatorum communione, abstinuerunt.

Vers.

Vers. 12. *Sextus Angelus effudit phialam in magnum fluvium Euphratem.* Intelligimus potentiam Babylonis; sicut cap. 9: 19. Quemadmodum enim *Civitas magna* ista *Babylon* dicitur: ita fluvius ejus, sive potentia ipsius, vocatur *Euphrates.* Eodem ænigmate est usus Es. 11: 15. *Et siccata est aqua illius, ut præparetur via regum, qui sunt ab ortu solis.* hoc est, potentia illius imminuta est, & impetus illius resedit, quique fluvius exundaverat in omnes terras, in alveum suum rediit. Ita tandem conquievit bellum in Germania, in Belgio, & quod inter Gallos & Hispanos gerebatur, & gladii in vaginas conditi sunt; quòd non mediocriter omnes hi populi essent enervati. Factum id autem, ut *via pararetur regibus ab oriente.* Non satis novimus, qualis sit futurus adventus *regum ab oriente sole.* Aliquid per occasionem diximus ad Hos. 6: 11. Habac. 3: 16. Mich. 7: 12. Zach. 10: 13. Cum his jungimus Es. 19: 23. ubi dicitur: *Illo die erit via munita ex Ægypto in Assyriam, & veniet Assyrius in Ægyptum, & Ægyptius in Assyriam, & servient Ægyptii Assyrio.* Adjicitur, deinde *Israëlem tertiam fore Assyrio & Ægyptio in benedictione.* Est igitur via primò ad bellum inferendum, deinde ad societatem in cultu Dei & participationem benedictionis. Quod in istis prophetiis sub voce *Assyrii* tegitur, id Johannes vocat *reges ab Oriente*, sive illi collecti in unum imperium venturi sint, sive diversi. Quousque autem orientales populi progressuri sint in Europa, difficile dictu est. Summam progressus eorum videtur comprehendisse Michæas his verbis cap. 7: 12. *Dies est & ad te veniet ab Assyria usque & ad urbes munitas, & à munitione usque ad fluvium, & ad mare à mari: & mons in montem: & fiet terra vastitas propter incolas ejus à fructu studiorum ipsorum.* Videmus, Orientales venisse ad urbes munitas in Asia. Inde ad Danubium. A Ponto jam pervenerunt ad mare Adriaticum. Sed quis scit, an is eorum terminus sit? Geritur adhuc bellum cum Venetis. Nuper, postquam pax in Germania facta est, venerunt in Moraviam. Contra Germani venerunt in partem aliquam dicionis Turcarum. Rursus facta est pax. Et solenne est, ut muneribus colantur ab Occidentalibus. Esaiæ cap. 33: 19. dicitur aliquibus: *Populum robustum non videbis, populum profundum labiis, præut intelligatur, barbarum lingua, sine intelligentia.* Populus Dei abdicat auxilium eorundem Hos. 14: 4. *Assyrius non salvabit nos,* vel, *salvat nos: in Equo non equitabimus* &c. Quinetiam Zacharias cap. 10: 13. *Et dejicietur elatio Assyrii.* Quò, nescio, an debeam referre, quod legitur Es. 31: 7. *Et cadet Assyrius gladio non viri, & gladius non hominis comedet eum, & fugiet sibi propter gladium, & juvenes ejus tributarii fient.* Adde etiam Es. 14. v. 25. Capite ejusdem Prophetæ 30. v. 31. legitur: *Nam propter vocem Jehovæ consternabitur Assur;* qui *virga percutiet.* Qualiacunque

cunque hæc sint, talia sunt, ut non sint negligenda. Quod autem attinet adventum regum ab Oriente ad Ecclesiam, non est opus alias prophetias proferre, quàm quæ loquuntur de amplitudine regni Christi. Tamen velim etiam inspici illos locos. Es. 11: 11. 16. 66: 20. Item totum caput 60. Cæterum facilè apparet, quando potentia eorum, qui suam potestatem dant doctori ἀνομίας, exhausta est, id esse occasionem suscipiendi expeditionem in eos: &, quando hostes veritatis debilitantur, ut servi Dei possint liberè loqui, id medium fore, ut multi ex omni parte accedant, & inter cæteros reges ab oriente. Quòd si igitur voluntas Dei est, ut reges ab Oriente accedant, & communis benedictionis hæredes fiant, danda est opera iis, quibus facultas est loquendi cum regibus Orientis, ut eis exhibeant Euangelium & veritatis demonstrationem, ut doceri & converti possint.

Vers. 13. Subjicitur hisce explicatio ejus, quod breviùs dictum erat. Audivimus enim exsiccationem Euphratis, ex qua intelligebatur diluvium seu regurgitatio Euphratis. Eam exponit. *Vidi ex ore Draconis, & Bestiæ & pseudoprophetæ, spiritus tres immundos, instar ranarum.* Nota *pseudoprophetam* subsitui loco *secundæ Bestiæ.* Quia ex trium ore exit spiritus, ideo *tres spiritus* dicuntur, vel quia triplex operatio est, juxta qualitatem trium, à quibus exeunt, tanquam ex suis domibus. Draconi convenit spiritus homicidii, Bestiæ spiritus cupiditatis rerum temporalium, pseudoprophetæ spiritus mendacii & falsæ doctrinæ cum omni artificio ejus incrustandæ.

Vers. 14. *Sunt enim spiritus dæmoniorum facientes signa, qui exeunt ad reges terræ & totius habitabilis, congregare illos in bellum diei illius magnæ Dei omnipotentis. Spiritus* hi *ranis* comparantur propter indesinentes coaxationes. Exeunt *ad* vel *in reges,* hoc est, habent efficaciam in regibus, dum clamat Bestia & clamat pseudoprophetæ & Draco instigat. Congregantur sub uno capite & per *fœdus* sive *ligam.* Vide Hos. 6: 9. Es. 66: 18. *Ad bellum* inferendum Ecclesiæ, sive illis, qui recesserunt à Babylone. Confer cap. 9: 16. --- 19.

Vers. 15. *Ecce venio, ut fur: beatus, qui vigilat & servat vestimenta sua, ne nudus ambulet, & videant turpitudinem ejus.* Admonitio hæc est similis illi, quæ est cap. 2: 15. & 3: 11. *Vestes retinere* est Christum verè induere, non verò ad tempus assumere, & deinde deponere, quemadmodum faciunt dubitantes, duplices corde, & qui Christum seriò non diligunt, qui horarii sunt. Innuitur, hoc bellum eum effectum habiturum, ut multi deficiant ab agnita veritate. Confer cap. 3: 5. Zach. 14: 1. 2.

Vers. 16. *Et congregavit ipsos in locum, qui vocatur Hebraicè* ἁρμαγεδδών. Hoc sonat, *mons Magedduntis.* Confer Zach. 12: 11. ubi mentio fit

magni planctus facti *in valle Megidduntis.* Si est vallis Megidduntis, etiam est *mons Megidduntis.* Johannes videtur potius *montem* voluisse dicere, ut notaret regnum aliquod, quod illustraretur simili luctu & planctu, qualis aliquando fuit *in valle Megidduntis*, ubi fuit deploratus Josias Rex cæsus ab Ægyptio. Sic igitur interpretamur hæc verba: *Congregavit eos in locum Hebraicè dictum Harmageddon*, fecit, ut bellum ab illis gereretur in loco, qui rectè possit appellari *Harmageddon*, quia est mons, sive regnum, & ibi est bellum contra Ægyptium, ut aliquando bellum apud Mageddunten gestum est contra Ægyptium, & in illo bello talis casus evenit, qualis casus evenit apud Mageddunten; quando Josias ibi cæsus est. Simili ratione dicit Joël, cap. 4: 4. *Gentes descensuras in vallem Josaphati.* Quod significat, cum gentibus ita actum iri, quemadmodum aliquando in valle Josaphati cum gentibus actum, ubi alius alium interfecit. Zachar. 14: 4. *Stabunt pedes* ejus in *monte olearum, qui est contra Hierosolymam, ad ortum: & findetur mons olearum ex dimidio sui versus ortum & versus occasum, valle magna valde, & recedet dimidium montis versus aquilonem & dimidium ejus versus austrum.* Vide ibi notata. Alioqui & apud Megidduntem sunt הָרֵי גִלְבֹּעַ *montes Gilboe*; in quibus cæsus est Saül. Facilè intelligitur, Deum daturum fuisse Ecclesiæ *patronum & liberatorem*, sed tamen cum liberatorem occisum iri, & amarissimo luctu ac planctu prosequendum esse. Confer Es. 19: 21. & 33: 7. *Ecce heros ipsorum! clamant foras; nuntii pacis amarè flent.* Significatur, in civitatibus Bestiæ promulgatum iri, cæsum esse patronum Ecclesiæ, sed cum *clamore*, ut dolentium sua clade; rursus, qui in locis Ecclesiæ rem bene gestam sint nuntiaturi, *amarè flaturos* esse propter casum regis sive herois. Vide etiam ad Hos. 10: 14. Hæc plaga coincidit cum messe, cap. 14: 14. 15.

Vers. 17. *Et septimus Angelus effudit phialam suam in aërem, & exivit vox magna ex templo cœli à throno dicens: factum est.* Confer cap. 10: 5. 6. 7. jusjurandum Angeli stantis super mari & terra. In aërem effunditur hæc phiala, quia in aëre sunt voces, fulgura, fulmina, & grando. Deinde significatur plaga communis & quodammodo universalis, & denique velox.

Vers. 18. *Et facta sunt voces, fulgura, fulmina; & terræ motus exstitit magnus, qualis non fuerat factus, ex quo homines orti sunt in terra, tantus terræ motus, ita magnus.* Terræ motus sine dubio magnus exstitit in tribus regnis, Anglia, Scotia, Hibernia: per quem & stellæ de cœlo dejectæ sunt, & regnum pro tempore abolitum. Et nihil simile factum est antea. Magnitudo motus est æstimanda ex subita & magna mutatione. Quæsita est unio Romanensium & Protestantium. Cædes horum facta in Hibernia.

Parla-

Parlamentum consedit. Rex aliud Parlamentum instituit. Pugnatum est. Regnum desiit esse: domus superior abolita est. Episcopi ubique omnes ceciderunt. Conflictus magni facti sunt. Capita ducum & primatum & regis ceciderunt. Regnum pervenit in manum violentorum. Bellum gestum est cum Hispanis, cum Belgis. Idque satis sævum fuit. Palatium violentorum, ut Esaias loquitur, non fuit ædificatum perpetim. Qui nolebant habere regem, mox voluerunt regem habere. Rex reductus est. Episcopi restituti sunt: ut Esaias dixerat: *Post multos dies visitabuntur.* Ita respublica evanuit. Concionatores Ecclesiarum abjecti sunt. Fœdus nationum rescissum est. Nunc, an & doctrina non sit cum regimine Ecclesiæ mutata, multi dubitant. Hæc omnia paucis annis acta sunt. Confer notata Hos. 10. vers. ult. & Zach. 10: 13. Vide & Es. 24: 21. 25: 2.

Vers. 19. *Et facta est civitas illa magna in tres partes.* Liquet, civitatem illam magnam distinguendam esse à *Babylone*, de qua mox loquitur. Solet etiam articulus in Hebræo & in stilo Nov. Testam. aliquando non demonstrare aliquid notum, sed tanquam individuum vagum, q. d. magna aliqua civitas fiet in tres partes. Sed de re tota hac nondum habeo, quod dicam. Nescio enim, an significetur divisio Ecclesiæ in aliquo magno imperio; ut fortè propter politiam Ecclesiasticam dissideant. Quemadmodum novimus, esse alicubi Episcopales, Independentes & Presbyterianos; qui tamen sunt, ut videtur, una Ecclesia, si dogmata spectes: &, an satis sit, quod de ista divisione vidimus, ad implementum hujus prophetiæ: vel, an hæc sint intelligenda de Imperio quodam politico in tres partes collabente. De istiusmodi prædictionibus, ante eventa, cogimur dicere, quod Daniel non semel dicit: *Non intelligo. Et civitates gentium cadebant.* h. e. alia post aliam Respublica nutavit atque vacillavit. Solet Scriptura per πόλεις non tam urbes, quàm Respublicas notare: quemadmodum etiam Latini *civitates* appellant. *Civitates gentium* simpliciter intelligo: civitates, quæ constituuntur à gentibus, in quibus gentes & nationes colliguntur. Non abnuerim tamen, etiam innui, quòd Spiritus homines plerosque civitatum & rerumpublicarum habeat pro meris ἐθνικοῖς. Et novimus, quomodo hoc tempore regnet ἀγνωσία θεῦ. Quum Satanas fecerit Euangelium disputabile, & veritas, quæ est secundùm pietatem, oppugnetur, & ejus inquisitio negligatur, & homines cupiant audire ea, quæ & gentes dixerunt ac dicere potuerunt, & ea libenter audiant, tantùm ut sibi palpum obtrudant & alii alios judicent, quid nisi *gentes* sumus? *Cadere* autem dicuntur *urbes*, quando reipublicæ omnis ordo luxatur, & vix ulli licet tutò habitare, aut etiam, quando facies reipublicæ mutatur. Polonia miserrimè afflicta fuit bello Suecico. Transyl-

vania plus semel videtur cecidisse. Dania tantùm non prostrata fuit. Respublica Britannica corruit. Ungaria nutavit. Quis dicet, hanc telam jam absolutam esse? *Et Babylon illa magna memorata est coram Deo, ad dandum ipsi calicem vini excandescentiæ iræ suæ.* h. e. tunc, post varia regna & principatus debilitatos, &, ni fallor, *fractum brachium populi sancti* h.e. Ecclesiæ, Dan. 12: 7. *cùm abierit manus*, Deut. 32: 36. post cæteros bibet etiam Babylon.

Vers. 20. *Et omnis insula fugit & montes non sunt reperti.* Confer cap. 6: 14. ubi dicitur, *insulas & montes motos esse ex locis suis.* Ergo, cùm non inveniuntur, à mari absorpti sunt, & sic est unum *mare*, quod *vitreum* futurum esse, dictum est cap. 15: 2. Videtur, quemadmodum tempore Christi nascentis fuit q. *desertum* totus mundus, &, *monte illo magno in mare projecto*, cap. 8: 8. *mare* factum fuit; ex quo prodiit *Bestia*: ita, ad præcipitandam Bestiam, rursus *mare* fore; & id mare in *terram novam* convertendum esse, cum qua *mare non inveniatur*, cap. 21. v. 1. Hæc quomodo futura sint, Deus novit.

Vers. 21. *Et grando magna tanquam talenti pondere descendebat ex cœlo in homines & blasphemabant homines Deum ex plaga grandinis illius, quia magna erat plaga illius admodum.* Conferas velim Es. 30. v. 30. *Et faciet Jehovah audiri majestatem vocis suæ, & descensum brachii sui faciet videri, in æstu iræ & flamma ignis devorantis, dissipatione & imbre & lapide grandinis.* Et cap. 32. v. 19. *Et grandinabit, quum cadet silva & in humillimo humiliabitur Urbs.* Quos locos non propterea comparamus, quia in illis eadem phrasis est, sed, quia ejusdem temporis eas esse putamus. Quare non tantùm verba hæc cum illis, sed totas prophetias parallelas inter se conferri petimus. Putem autem, hoc pertinere ad tempus σεσμῷ & sequentis rerum mutationis: nempe, in mundo vix quicquam fore tutum, sed omnes ubique in maximo versaturos periculo. Non absurdè quis tempestates bellicas, quæ ingruunt cum bombardis & pilis grandibus ignivomis & cum fragore sese disjicientibus ad prostrationem domorum & hominum, & cum navibus inter se tonantibus, gravissimoque ferro se invicem frangentibus ac demergentibus, comparaverit cum nube ac procella grandinante, & grandinem talenti pondere projiciente. Plaga hæc plurimis non est resipiscentiæ causa, sed movet ad blasphemandum Deum, imprimis illos, qui propter vim ejus cedunt persecutoribus veritatis & malunt cum illis Deum blasphemare, quàm Deo sic ipsos tentanti firmiter adhærescere.

CAPUT

CAPUT DECIMUMSEPTIMUM.

Hic agitur de *judicio meretricis magnæ* usque ad cap. 20. Hæc visio etiam universalis non est; quippe pertinet ad explicationem partis alicujus totius prophetiæ.

1. Καὶ ἦλθεν εἷς ἐκ τῶν ἑπτὰ ἀγγέλων, τῶν ἐχόντων τὰς ἑπτὰ φιάλας, καὶ ἐλάλησεν μετ' ἐμοῦ, λέγων μοι· Δεῦρο, δείξω σοι τὸ κρίμα τῆς πόρνης τῆς μεγάλης, τῆς καθημένης ἐπὶ τῶν ὑδάτων τῶν πολλῶν,

2. Μεθ' ἧς ἐπόρνευσαν οἱ βασιλεῖς τῆς γῆς, καὶ ἐμεθύσθησαν οἱ κατοικοῦντες τὴν γῆν ἐκ τοῦ οἴνου τῆς πορνείας αὐτῆς.

3. Καὶ ἀπήνεγκέ με εἰς ἔρημον ἐν πνεύματι. Καὶ εἶδον γυναῖκα καθημένην ἐπὶ θηρίον κόκκινον, γέμον ὀνόματα βλασφημίας, ἔχον κεφαλὰς ἑπτὰ καὶ κέρατα δέκα.

4. Καὶ ἡ γυνὴ ἦν περιβεβλημένη πορφύρᾳ καὶ κοκκίνῳ, καὶ κεχρυσωμένη χρυσῷ καὶ λίθῳ τιμίῳ καὶ μαργαρίταις, ἔχουσα χρυσοῦν ποτήριον ἐν τῇ χειρὶ αὐτῆς, γέμον βδελυγμάτων καὶ ἀκαθαρσίας τῆς πορνείας αὐτῆς·

5. Καὶ ἐπὶ τὸ μέτωπον αὐτῆς ὄνομα γεγραμμένον· Μυστήριον· Βαβυλὼν ἡ μεγάλη, ἡ μήτηρ τῶν πορνῶν καὶ τῶν βδελυγμάτων τῆς γῆς.

6. Καὶ εἶδον τὴν γυναῖκα μεθύουσαν ἐκ τοῦ αἵματος τῶν ἁγίων, καὶ ἐκ τοῦ αἵματος τῶν μαρτύρων Ἰησοῦ· καὶ ἐθαύμασα, ἰδὼν αὐτὴν, θαῦμα μέγα.

7. Καὶ εἶπέ μοι ὁ ἄγγελος· Διατί ἐθαύμασας; ἐγὼ σοι ἐρῶ τὸ μυστήριον τῆς γυναικὸς καὶ τοῦ θηρίου τοῦ βαστάζοντος αὐτὴν, τοῦ ἔχοντος τὰς ἑπτὰ κεφαλὰς καὶ τὰ δέκα κέρατα.

8. Θηρίον, ὃ εἶδες, ἦν, καὶ οὐκ ἔστι· καὶ μέλλει ἀναβαίνειν ἐκ τῆς ἀβύσσου, καὶ εἰς ἀπώλειαν ὑπάγειν· καὶ θαυμάσουσιν οἱ κατοικοῦντες ἐπὶ τῆς γῆς, (ὧν οὐ γέγραπται τὰ ὀνόματα ἐπὶ τὸ βιβλίον τῆς ζωῆς ἀπὸ καταβολῆς κόσμου) βλέποντες τὸ θηρίον, ὅτι ἦν, καὶ οὐκ ἔστι, καὶ παρέσται.

9. Ὧδε ὁ νοῦς ὁ ἔχων σοφίαν. Αἱ ἑπτὰ κεφαλαί, ὄρη εἰσὶν ἑπτὰ, ὅπου ἡ γυνὴ κάθηται ἐπ' αὐτῶν.

VERS. 1. *Et venit unus de septem Angelis habentibus septem phialas, & loquutus est mecum, dicens mihi: Veni, demonstrabo tibi judicium Meretricis magnæ, quæ sedet super aquis multis,*

2. *Cum qua scortati sunt Reges terræ, & inebriati sunt vino scortationis ejus habitantes terram.*

3. *Et abduxit me in desertum in spiritu: & vidi mulierem sedentem super Bestia coccinea, plena nominibus blasphemiæ, habente capita septem & cornua decem.*

4. *Et mulier illa, illa amicta purpura & coccino, & inaurata auro & lapide pretioso & margaritis, habens aureum poculum in manu sua, plenum abominationibus & impuritate scortationis suæ.*

5. *Et in fronte ejus nomen scriptum: Mysterium: Babylon illa magna, mater scortorum & abominationum terræ.*

6. *Et vidi Mulierem illam ebriam de sanguine sanctorum, & de sanguine testium Jesu, & miratus sum, videns eam, admiratione magna.*

7. *Et dixit mihi Angelus: Quare admiratus es? Ego tibi dicam mysterium Mulieris & Bestiæ, quæ gerit illam, quæ habet capita septem & decem cornua.*

8. *Bestia, quam vidisti, fuit, & non est: & ascensura est ex Abysso & in perditionem itura. Et mirabuntur habitantes in terra (quorum nomina non sunt scripta in librum vitæ à fundatione mundi) videntes Bestiam, quæ fuit & non est, quamquam est.*

9. *Hic mens habens sapientiam. Septem capita montes sunt septem, in quibus Mulier sedet.*

10. Καὶ βασιλεῖς ἑπτά εἰσιν. οἱ πέντε ἔπεσαν, καὶ ὁ εἷς ἐστιν, ὁ ἄλλος οὔπω ἦλθε· καὶ ὅταν ἔλθῃ, ὀλίγον αὐτὸν δεῖ μεῖναι.

10. *Et reges septem sunt. Quinque ceciderunt, & unus est, alius nondum venit: & quum venerit, paulisper eum oportet manere.*

11. Καὶ τὸ θηρίον, ὃ ἦν, καὶ οὐκ ἔστι, καὶ αὐτὸς ὄγδοός ἐστι, καὶ ἐκ τῶν ἑπτά ἐστι, καὶ εἰς ἀπώλειαν ὑπάγει.

11. *Et Bestia, quæ erat, & non est, & ille octavus est, & ex septem illis est, & in interitum abit.*

12. Καὶ τὰ δέκα κέρατα, ἃ εἶδες, δέκα βασιλεῖς εἰσιν, οἵτινες βασιλείαν οὔπω ἔλαβον, ἀλλ' ἐξουσίαν, ὡς βασιλεῖς, μίαν ὥραν λαμβάνουσι μετὰ τοῦ θηρίου.

12. *Et decem cornua, quæ vidisti, decem reges sunt; qui regnum nondum acceperunt, sed potestatem, ut reges, unam horam accipiunt cum Bestia.*

13. Οὗτοι μίαν γνώμην ἔχουσι, καὶ τὴν δύναμιν καὶ τὴν ἐξουσίαν ἑαυτῶν τῷ θηρίῳ διδόασιν.

13. *His unam sententiam habent, & potentiam & potestatem suam Bestiæ tradent.*

14. Οὗτοι μετὰ τοῦ ἀρνίου πολεμήσουσι, καὶ τὸ ἀρνίον νικήσει αὐτούς, ὅτι Κύριος κυρίων ἐστὶ καὶ βασιλεὺς βασιλέων· καὶ οἱ μετ' αὐτοῦ, κλητοὶ καὶ ἐκλεκτοὶ καὶ πιστοί.

14. *Hi cum Agno belligerabunt, & Agnus vincet eos; quia dominus dominorum est & rex regum: & qui cum ipso, vocati & electi & fideles.*

15. Καὶ λέγει μοι, τὰ ὕδατα, ἃ εἶδες, ὅπου ἡ πόρνη κάθηται, λαοὶ καὶ ὄχλοι εἰσὶ, καὶ ἔθνη καὶ γλῶσσαι.

15. *Et dicebat mihi; Aqua, quas vidisti, ubi Meretrix sedet, populi & turbæ sunt & gentes & lingua.*

16. Καὶ τὰ δέκα κέρατα, ἃ εἶδες ἐπὶ τὸ θηρίον, οὗτοι μισήσουσι τὴν πόρνην, καὶ ἠρημωμένην ποιήσουσιν αὐτὴν καὶ γυμνὴν, καὶ τὰς σάρκας αὐτῆς φάγονται, καὶ αὐτὴν κατακαύσουσιν ἐν πυρί.

16. *Et decem cornua, quæ vidisti in Bestia: hi odio prosequentur Meretricem, & desolatam eam facient ac nudam, & carnes ejus edent, & eam comburent igne.*

17. Ὁ γὰρ Θεὸς ἔδωκεν εἰς τὰς καρδίας αὐτῶν ποιῆσαι τὴν γνώμην αὐτοῦ, καὶ ποιῆσαι μίαν γνώμην, καὶ δοῦναι τὴν βασιλείαν αὐτῶν τῷ θηρίῳ, ἄχρι τελεσθῇ τὰ ῥήματα τοῦ Θεοῦ.

17. *Deus enim dedit in corda eorum, ut faciant unam sententiam, & dent regnum suum Bestiæ, donec consummentur verba Dei.*

18. Καὶ ἡ γυνὴ, ἣν εἶδες, ἔστιν ἡ πόλις ἡ μεγάλη ἡ ἔχουσα βασιλείαν ἐπὶ τῶν βασιλέων τῆς γῆς.

18. *Et Mulier, quam vidisti, est urbs illa magna, quæ habet regnum in reges terræ.*

Vers. 1. 2. *Meretricis* hujus non est facta mentio in superioribus, nisi cap. 2. vers. 20. 21. ubi nominatur *Jesabel*. Quod argumento est, illam epistolam de hac *meretrice* loqui. Ergo hic habemus explicationem, qui sint *mœchi* ejus, & qui *filii*. Solomoh in proverbiis non uno loco facit mentionem *Mulieris alienæ*; quam opponit *Sapientiæ*. Ita ut & *Sapientia* & *Mulieri illi alienæ* attribuat vocationem & invitationem fatuorum, ut declinent ad se. Quo significatur, duplicem Vocem in mundo audiri, *Sapientiæ*, h. e. Filii Dei, per sermonem veritatis invitantis ad regnum suum, & falsorum doctorum ac prophetarum, invitantium per χρησολογίας & εὐλογίας & per omnem ἀπάτην ad communionem fornicationis. Etiam Esaias

Esaias cap. 57. copiosè & severè agit cum hac *Meretrice*. De *scortatione* est cap. 2. v. 14. 9. v. 21. 14. v. 8. ubi ea *Babyloni* magnæ attribuitur. Quæ est ipsa *meretrix*. Quod dicitur *sedere supra aquas multas*, est allusio ad Tyrum, quæ sita fuit q. in medio mari. Vocatur hæc meretrix etiam spiritualiter Tyrus Es. 23. v. 15. *Sedere* vel dicitur propterea, quia hæc *meretrix* est q. *civitas*, quam Hebræi dicunt *sedere*, significantes situm & habitationem. Quod autem civitas introducitur, ut persona, & quidem ut fœmina, fit propter unionem, quæ facit quasi unum corpus; idque ex more linguæ Hebrææ, quæ *Chaldæos* solet dicere *Filiam Chaldæorum*, ita *Filiam Sion* omnes *filios Sionis*, & alioqui per fœmininum singulare sæpe multitudinem significat. Hîc alluditur ad prophetias, ut Es. 47. Jerem. 51. v. 13. & alias. *Reges terræ* dicuntur *cum ipsa scortati*, quia affectionem suam à Deo ad ipsam converterunt. Confer vers. 13. 17. *Incolæ terræ sunt inebriati vino scortationis ipsius*, h. e. receperunt avidè ipsius doctrinam & passi se sunt infatuari per eam, ut *scortarentur*, h. e. deficerent à Deo & converterentur ad mendacium & vanitatem. Qui aliud quid diligit, honorat, quærit, alii confidit, alii placere studet, præter Deum, is scortatur.

Vers. 3. *Et deduxit me in eremum in spiritu.* Locus meretricis est desertum h. e. ea pars mundi, in qua tempore Johannis dominabatur idololatria, & persecutio. Nondum enim tum status mundi mutatus erat ab illa facie, quam habebat, cùm Christus nasceretur: quo tempore quasi *desertum* erat. Es. 40. v. 3. Hos. 2. vers. 13. vel 16. Ezech. 20. v. 25. *Et vidi mulierem sedentem in Bestia coccinea, plena nominibus blasphemiæ, quæ habebat capita septem & cornua decem.* Hîc videmus per meretricem significari idem, quod notabat secunda Bestia cum duobus cornibus cap. 13. quæ etiam *pseudoprophetæ* nominatur. Sedet enim in Bestia Priore, ut rectrix ejus. Non malè animadvertitur à quibusdam, quòd sedere sit etiam meretricum se prostituentium. Quæ sellariæ dicebantur à sella, in qua sedebant. Juvenalis Sat. 3.

At tu,
Cùm tibi vestiti facies scorti placet, hæres,
Et dubitas alta Chionem deducere sella.

Huic prostibulo pro *sella* est *Bestia*. Ezechiel attribuit Meretrici se prostituenti גֵּב *celsum* (γαῤῥαδὰ λιθόστρωτον) & רָמָה *altum locum*, in quo sedeat. cap. 16. v. 31. *Bestia coccinea* nominatur, vel quia per professionem fidei in Christum videtur esse colorata sanguine ipsius; vel, quia rea est sanguinis Christi & sanctorum. De *nominibus blasphemiæ* diximus cap. 13. v. 1. *Capita septem & cornua decem* explicantur infra.

Vers.

Vers. 4. *Et mulier erat illa amicta purpura & cocco & deaurata auro & lapide pretioso & margaritis.* Subintellige, ornata. *Habens poculum aureum in manu sua plenum abominationibus & impuritate fortationis suæ.* Cum fuco & fallaciis & omni ἐνεργείᾳ τῆ ἀπάτης apparet hæc mulier. Externa apud illam sunt; nomen Christi, qui in carne venit, & sanguinem pro Ecclesia effudit, quod significatur per *purpuram* & *coccum:* nomen Spiritus sancti, cujus assistentiam sibi vendicat. solent divina per *aurum* significari. Sancti, justi, prophetæ, apostoli, martyres apud ipsam nominantur. Hæ sunt *gemmæ* & *margaritæ.* Confer Ezech. 28. v. 14. Zach. 10. v. 1. Fortasse, cùm dicitur *lapis pretiosus*, significatur petra, super quam ædificata est Ecclesia, & Petrus lapis vivus ipsi inædificatus. Quoad literam hæc omnis pompa in Romana Ecclesia invenitur. Et Dan. 11. v. 38. inter ea, quæ ad cultum Dei arcium referuntur, sunt etiam *lapides pretiosi:* quales lapides pretiosos, quibus Ecclesia nitet, Bestia & reges ipsius capiti ficto attribuunt, quasi omnia Dei charismata in Ecclesiam effusa fuissent, ut adstrueretur auctoritas istius capitis. Notandum est etiam, in ista parte nominari præcipuè *patres*; ex quibus colligunt errores &. παραδόσεις, ut ita suis doctrinis concilient auctoritatem, quasi patres propterea censendi sint ipsorum esse socii: cùm tamen hoc ad judicium Bestiæ pertineat, quòd eminentissimi quidam doctores permissi sunt labi in quibusdam, ut ita sub eorum nomine errores eò majorem haberent ad seductionem efficaciam. Quo non obstante, nos illos habere debemus pro *gemmis pretiosissimis*, quatenus per eos fides prædicata & hæresis debellata est, & causam habemus existimandi, eos, si attendissent, aut sequentia tempora prævidissent, suos lapsus correcturos fuisse: imprimis, cùm illi nunquam regulam tradiderint, nisi verbum Dei. *Habens poculum aureum. Poculum aureum*, quod habet in manu, plenum impuritatibus, est cortex verborum, quæ leguntur in Scriptura, sed malis interpretationibus torquentur & evacuantur; omnisque prætextus ex Scriptura arreptus, quo adstruitur auctoritas meretrici, & falsum fundamentum confirmatur, ex quibus impurarum doctrinarum multitudo soboluit. Id dici solet טְרֵפָה *fraus. Plenum abominationibus.* Sub tegmine verborum Dei occultat *falsitates* & *mendacia.* Quæ sunt Deo abominabilia. *Et impuritatis fortationis suæ.* Ut veritas est ad *purificandum cor, ad pietatem, ad charitatem Dei & lætitiam spiritus sancti:* ita mendacia sunt ad animum impuritate omni & concupiscentia mala imbuendum. Et imprimis *impuritate fortationis* h. e. apostaliæ à Deo vero, à regno Dei, à Christo capite, à justitia Dei; & idololatriæ, amoris mundi & earum rerum, quæ in mundo sunt, amoris & reverentiæ hominum & studii complacendi eis. Ad quæ accedit fiducia

in

in falsa justitia, in sapientia propria & viribus suis, adoratio & invocatio creaturarum, & ipsa carnalis scortatio.

Vers. 5. *Et in fronte ipsius nomen est scriptum μυστήριον Babylon illa magna mater meretricum & abominationum terræ.* Solebant meretrices titulum cellæ præscribere. Tertullianus de pudicitia. *Sub ipsis libidinum januis, sub ipsis libidinum titulis.* Seneca controv. 2. lib. 1. *Meretrix vocata es, in communi loco stetisti, superpositus est cellæ tuæ titulus. Nomen tuum pependit in fronte* &c. Juvenalis Satyr. 6. v. 123. *Nuda papillis constitit auratis, titulum mentita Lyciscæ.* Martial. lib. 11. epigramm. 46. De his Medus. Hæc nostra meretrix habet. *Nomen in fronte.* hoc est, se palam fatetur esse, quod est. Annotatum est à quibusdam, coronæ Papæ inscriptum fuisse μυστήριον. Hoc memoriale esto. Nobis id videndum est, quo se maxime ostentat. Multa autem hîc concurrunt. Primò dicit, Euangelium nondum ita revelatum esse, ut omnis homo ei in bona conscientia credere possit, sed esse adhuc μυστήριον, quod debeat à pseudopropheta sive meretrice *proponi*, & non aliter, quàm per propositionem illius, possit cognosci. Secundò Sacramenta septeno numero Ecclesiæ commendat, tanquam summam religionis & causam justificationis. Quod Latini *Sacramentum*, hoc Græci μυστήριον dicunt. Tertiò præter illa, quæ scripta sunt, docet etiam alia ἄγραφα, & secreta, quæ Apostoli Episcopis dixerint in aurem, & non prædicaverint vulgo neque scripserint, aut literis commiserint. Hæc est, quam vocant *traditionem non scriptam*, contra quam Apostolus nos munit 2 Thessal. 2: 15. monens, eam doctrinam retinendam, quæ vel vivo sermone Apostolorum, vel per epistolam tradita est. Qua regula excluduntur omnia, quæ neutro modo disci possunt è fidei dogmatis. Quartò dicit, Christum invisibiliter esse in Missa, atque ita implet prædictionem Christi Matth. 24. vers. 23. – 27. Et Dan. 11. vers. 38. *Deum arcium in suo locamento honorabit.* Ad ista refer τὰ βάθη τοῦ Σατανᾶ, cap. 2. v. 24. & quòd in ἀπάτῃ *deceptione* venit & hominibus imponit. Unde & ἀνομία dicitur μυστήριον 2 Thessal. 2. v. 7. 10. & 1 Tim. 4. v. 2. doctrina defectorum dicitur doctrina ἐν ὑποκρίσει ψευδολόγων *in hypocrisi mendaciloquorum. Babylon.* Nemo prudens dubitare potest, quin, quum hæc civitas magna dicitur *Babylon*, significetur, hanc non esse civitatem Dei, sed similem Babyloni in eis, quæ Deo displicuerunt in vetusta Babylone. Quod quum planum sit, necessariò Lector prophetiæ compellitur cogitare, annon in ipsis initiis sit similis illi urbi, quæ Babylonis appellationem obtinuit. Nam Spiritus appellans hanc Civitatem *Babylonem* jubet hanc cum illa comparare, &, si quis similia reperiat in hac, ita statuere, in judicio Babylonis prioris factum esse præ-

judicium de hac nova. Inquirendum igitur, quid Deo displicuerit in molitione Civitatis, quæ Babylon appellata est. Id dicere sine Scriptura temerarium est. Quemadmodum, si dicam, primos post diluvium homines superbia & vanitate quadam peccasse, quòd voluerint magnam urbem & magnam turrim condere, id dicam ex divinatione & conjectura propria, sine scriptura. Nam, tametsi Genes. 11: 4. scriptum sit, *Et faciamus nobis nomen*; tamen per hoc non potest significari magna & celebris fama: quia additum est, *Ne dispergamur super facie totius terræ.* Nam, si hoc significat, *ne discedamus habitatum in universa terra*; quid magna illa & celebris fama poterat conferre ad hoc, ut manerent in uno loco? Deinde etiam temerarium erit hoc ipsum, *ne dispergamur*, sic explicare. Nam planè stultum & frivolum fuisset hoc propositum, nolle in omni loco habitare. Nam cap. 9: 2. Deus Noacho & filiis ejus benedicens dixerat, *Fructificate & augescite & implete terram.* Quare abominarentur hoc bonum? Attamen, si hoc voluerunt, non celebris fama paranda fuit, ne terram implerent, sed modus ponendus prolificationi. Quis non videt, hæc esse mera somnia & deliria? Non est igitur putandum, eos noluisse terram implere, sed in ea multiplicatione noluisse *dispergi*, h. e. fieri diversos *populos.* Id innuit Moses, quando dicit vers. 6. *Ecce populus unus.* Intentio igitur patrum nostrorum fuit, in auctu generis humani &, quum impleturi essent terram, tamen habere unam civitatem & rempublicam. Ergo urbs illa, quam condebant, ipsorum consilio & destinatione erat futura metropolis totius orbis terrarum & caput humani generis. *Nomen* igitur, quod sibi *facere volebant*, erat auctoritas, quam omnes debebant nominare & à qua omnes debebant dependere. Sed cui bono, quæso? Id Moses satis clarè indicat vers. 1. *Et erat tota terra labium unum & sermones uni.* Hoc, quod tum habebant, volebant retinere per rempublicam & auctoritatem ac *Nomen.* Nempe, ut *eosdem sermones loquerentur omnes.* Nempe in eis rebus & de eis rebus, in quibus consensio requiritur *unius populi*, qui unitur propter verum finem; nempe ut una piè, honestè, justè, tranquillè vivere possint. 1 Timot. 2: 2. Hoc est, quod Apostolus commendat Corinthiis 1. epist. cap. 1: 10. *ut idem dicatis omnes.* Notissimum est, in Scripturis τὸ דָּבָר & λαλεῖν notare etiam in specie διδάσκειν *docere*; & דִּבְרֵי חֲכָמִים *sermones sapientum* notare doctrinas sapientum. Sine dubio bonum fuit, quod patres nostri quæsiverunt, & quo majus procurari ab homine non videtur posse. Sed aberrarunt in medio. Non enim viderunt, 1. *Eadem loqui homines in NOMINE hominum*, tanquam scilicet fidelium custodum verorum & sanorum sermonum, qui pro talibus reputandi sint propter successionem in Cathedra certi loci & me-

tropo-

tropoleos ; non esse ex ingenio fidei & amoris ac timoris Dei. 2. Nullum hominem aut collegium hominum aut multitudinem esse φερέγγυον & fide dignum, ut custodiat τὸν παραγγελθέντα depositum divini sermonis integrè & purè. Etiamsi enim officium patrum sit hoc depositum tradere liberis ; tamen nemo potest dicere, τὸ παράδοτον esse integrum & sincerum. Deus voluit nobis hujus rei in Republica Israëlis documentum dare. Constituit seniores cum sacerdotibus, & jussit Israëlitas ad eos accedere. At illi recesserunt à lege, Malach. 2. & stilus scribarum mutavit legem Dei in mendacium. Jerem. 8: 8. Igitur populus, jussus quidem subesse principibus, sed tamen à lege Dei non discedere, dum attendit ad verba Seniorum & non ad verba Dei, à Deo & lege ejus desivit & sermonem Dei non habuit manentem in se. Hæc quum sint apertissima, quum *Meretrix*, quæ hîc describitur, dicat, se habere principatum talem, & tale *nomen* sive auctoritatem, qualem patres nostri in urbe sua constituere volebant, ad conservandam unitatem generis humani & unos sermones in ore omnium ; & à Spiritu appelletur *Babylon:* quid aliud censebimus, quàm moneri nos à Spiritu sancto, futurum fuisse, ut jam tertia vice, post primæ urbis constructionem, & post principum prioris seculi in populo Israëlitico defectionem, genus humanum in eundem lapidem impingat, & pro fide in Deum habeat obedientiam erga homines, & mutet regnum Christi in regnum de hoc mundo ? Idem docemur etiam deinde, quum *Bestia* dicitur *fuisse* & *non esse* & *tamen esse*. Esaias cap. 57. & 66. idem consilium detegit, nempe *congregare gentes*; in unam scilicet rempublicam terrestrem. Quæ igitur Respublica dicit, apud se esse caput, nomen, auctoritatem, potestatem, per quam contineatur in unum : &, qui cœtus dicit, se habere id nomen, quod nominandum est omni homini, &, sua potestate debere contineri genus humanum in unum; fatetur, se esse *Babylonem* : seque esse successores Nimrod, qui nominatur *potens venandi coram Deo*, sine dubio, quòd homines juxta consilium illud patrum nostrorum vel suadendo vel terrendo in regni societatem adegerit sub prætextu conservandæ veræ religionis. Fatetur, inquam. Nam, qui de se rem dicit, nomen rei rejicere non potest. Dicitur *Meretrix* hoc nomen gestura *in fronte*. Quod quis in fronte gerit, præ se fert & profitetur. Qui signaturam in fronte recipit, hoc nomen recipit. Nemo tam stupidus, puto, est, ut credat, non posse cœtum hominum haberi pro hac *meretrice*, nisi palam dicat & profiteatur, Ego sum illa *Babylon*, quam Apocalypsis describit. Attamen Spiritus innuit, Fore, ut talia de se dicat, ut tantundem sit, atque si dicat, Ego sum illa *Babylon*. Hinc est, quòd passim in sacris literis *civitas* diffa-

matur, & Psalm. 55: 10. Spiritus ei pœnam *Babylonis*, quæ est *divisio linguarum* imponat. Fuit Babylon vetus etiam cultrix imaginum. Idem de se profitetur hæc Babylon. Fuit illa πολύθεος: hæc etiam adorationem pluribus vulgat. Illa Deos suos in locis consecratis & signis adoravit & adorandos sub pœna proposuit. Idem facit hæc nova. In illa populus Dei captivus fuit. Ita Ecclesia permista fuit Multitudini Meretricis & Bestiæ. Unde jubetur *exire ex ea*. Rex Babylonis Nabuchodonosor superbus fuit & glorificavit se ipsum & sapientiam ac potentiam suam. De superbia Regis hujus Babylonis loquitur Ezechiel cap. 28: 2. 3. sub nomine regis Tyri: sed sub nomine regis Babylonis Esaias cap. 14: 13. 14. Nam, ibi non loqui Esaiam de superbia Regis Babylonis, quæ antea fuit, patet: quia loquitur de tempore, quod sequitur reductionem Israëlis ex Babylone & vocationem gentium. De ratione hujus nominis egimus etiam in libello de Ecclesia & Babylone, & deinde in Animadversione ad 83. quæstiones. *Mater scortorum*, quia, dum imperat cœlibatum & in gremio suo fovet concubinarios & concubinas, fit auctor scortationis corporalis. Ita, dum approbat vota monachatus, & iis teneri homines vult, etiamsi fortasse aliquando scortationis compertos censuræ subjiciat, tamen & occasionem secretæ fornicationis præbet, & æstum libidinis in animo legibus suis retinet. Ergo scortatores filii ipsius sunt. Omitto jam scortationem spiritualem, quæ, ut homicidia, injusta bella, ad *abominationes* referri possunt. *Impuritates* autem per doctrinam peccati venialis, &, quòd concupiscentia non sit peccatum, itemque temerarias absolutiones, & nundinationes indulgentiarum apertè foventur. Atque in his perspicitur, quòd meretrix se profiteatur hoc esse, quod est. Nam definitio æquivalet definito. Porro nec à stilo scripturæ abhorret, ut per μυκτηρισμὸν contrarium illius, quod homines jactant, faciat homines loqui. Nam alioqui hæc meretrix se vocat Civitatem Dei, matrem fidelium, virginum, pietatis, & veritatis. Notandum autem, quòd eo ipso, quòd se dicit civitatem homini subjectam, distinctam à civitatibus laicorum, quodque se constituit matrem, ducem & magistram, se declaret esse Babylonem.

Vers. 6. *Et vidi mulierem illam ebriam ex sanguine sanctorum, & ex sanguine testium Jesu. Sancti à testibus Jesu* distinguuntur, primò, quia intelliguntur etiam sancti Veteris Testamenti. Nam rea est omnis sanguinis fusi in terra. cap. 18: 24. quia habet communionem cum illis, qui fuderunt sanguinem sanctorum, & illos imitatur. Et huc facit, quòd dicitur *fuisse*. Quia tradux est tum illius populi, qui populus Dei vocabatur sub Vetere Testamento, & sanguinem sanctorum & prophetarum effunde-

bat,

bat, tum populi Romani, qui idola colebat, & eos, qui ab idolis convertebantur ad Deum vivum & verum, persequebatur. Secundò, quia *testes Jesu* imprimis illi sunt, qui verbum loquuntur; *Sancti* autem etiam illi, qui audiunt *Testes Jesu*, intelligendi sunt, qui pro Jesu rege & illius doctrina stant contra meretricem. Nam alioquin etiam meretrix Jesum nominat. Eo enim, quod dicitur *meretrix*, significatur mœchari cum aliis viris, præter illum virum, cujus esse sponsa putatur. *Et miratus sum illam videns, admiratione magna.* Valde enim mirum est, talem meretricem potuisse oriri, & tanta facere, cùm Christi fides tam sit clarè descripta, & tam manifesta ad conscientiam, ut unica veritas secundùm pietatem, ducens ad cognitionem nominis Dei & verum ejus amorem; & ipsa meretrix ante vivis coloribus depicta; & ipsa meretrix hoc verbum loquatur, quo damnatur. Est hìc alia *admiratio*, quàm quæ tribuitur habitantibus terram. Hi admirantur magnitudinem ejus & felicitatem ejus, h.e. eam habent pro argumento divinæ potentiæ & porrò divini favoris. Propheta & omnes sancti admirantur ejus stuporem & impudentiam, & Dei judicia. Potest etiam significari ἀπορία fidelium circa hoc ænigma, & difficultas distinguendi Bestiam ab Ecclesia.

Vers. 7. *Et dixit mihi Angelus, quare miraris? ego tibi dicam mysterium mulieris, & Bestiæ, quæ illam portat, quæ habet septem capita & decem cornua.* Propter hanc responsionem Angeli, admirationem Johannis possumus accipere, vel ut ignorantis ænigma, vel ut difficile putantis talem aliquando existere Ecclesiam, & tales pseudoprophetas: vel ut requirentis locum & modum ejus. Certè Johannes sustinet personam inquirentium in hoc mysterium, & laborantium in dijudicatione hujus meretricis.

Vers. 8. *Bestia, quam vidisti, erat & non est, & ascendet ex abysso, & in perditionem ibit, & mirabuntur habitantes in terra (quorum nomina non sunt scripta in libro vitæ à jactu mundi fundamentis) videntes Bestiam, quæ erat & non est, tametsi est. Hìc est intellectus habens sapientiam.* Hisce verbis docemur, quòd *Bestia* significet aliquam civitatem, sive rem publicam, qualis aliquando fuerit: cujusque ipsa tradux & propago sit. Idque, opinor, duplici modo. Primò, quòd sit eadem cum ea republica, quæ præteritis temporibus fuit à Deo ipso instituta, & Deo nomenclatore habens appellationem *populi Dei.* Qualis fuit respublica Israëlitarum, quæ constabat hominibus circumcisis, qui subdebantur principatibus & potestatibus, sedentibus in loco, quem Deus elegerat, quibus necesse habebant obedire; & habebant locum in mundo, ubi Deus dicebatur habitare, & ubi sacrificia offerebant: qui tamen maximam partem Deum ignorabant, & fœderis ipsius exsortes erant; &, quum soli Deo in bona con-

scientia deberent servire, pro timore Dei habuerunt obedientiam humani præcepti. Es. 29: 13. Ergo præjudicium contra Bestiam est habere instar sui in præcedente tempore. Nam, quale olim fuit, tale *nunc non est*. Omnia enim sunt nova: vetera transierunt. 2 Corint. 5: 17. Atque hinc de Bestia quarta Dan. 7. vel de ejus cornu dicitur, quòd *cogitet mutare tempora* sive antiquata & παρανομίαν reducere & instaurare, novitate Regni Dei abolitâ. *Tamen est* hæc Bestia: hoc est, quia præ se fert nomen Christi & verbum ejus, & in medio illius sunt sancti, qui de reliquis sperant, quòd sint fideles, propter hanc spem sanctorum, & externam illorum communionem, quia sic est regnum Dei in medio ipsorum, vocatur Ecclesia & populus Dei. Sed, quia *non est* & divinam institutionem non habet (quia Deus nuspiam dixit, in Ecclesia debere esse, vel caput terrestre, vel doctores, qui doceant cum auctoritate, & legislationem ac jurisdictionem exerceant, quibus propter ipsorum nomen aut nescio quam successionem sit parendum, aut, se elegisse locum in mundo, unde interpretatio verbi sui, aut ratio credendi ei, & leges ac certum judicium debeant repeti) neque errores, quos Bestia admiscet veris dictis, ullum habent Dei testimonium: ideò hæc Bestia *in interitum ibit*. Ex his intelligitur, quomodo Antichristus sedeat in Ecclesia, tanquam templo Dei, & tamen non pertineat ad Ecclesiam, sed equitet in Bestia. Quomodo item misceantur & distinguantur homines Bestiæ & homines Ecclesiæ. Nam *habitantes in terra*, h. e. vocati sive verbum audientes & profitentes, qui hanc Rempub. admirantur, pertinent ad Bestiam: qui autem non admirantur, h. e. non habent in pretio, sed scandalizantur per illam, & suspirant propter abominationes Bestiæ, hi sunt filii Ecclesiæ; qui etiam sæpe de suo dolore loquuntur. Distinguit hic Scriptura electos & reprobos in eodem cœtu. Videtur etiam subinnui ratio, quare non scripti in libro vitæ mirentur & adorent Bestiam; nempe *quia fuerat*, h. e. quia hæc Bestia se componit ad formulam regiminis Israëlitarum, & mores Israëlitarum carnalium imitatur. Uno verbo est Ecclesia Rabbinica. Quidam codices legunt non ὅ, *ri que*, sed ὅτι, *quia*. Ita erit causa admirandi. Si sic, confer dicta cap. 13: 3. 12. 14. Secundò etiam hac ratione dicitur *fuisse*, quia est imperium Romanum idem cum eo, quod fuit. Daniel cap. 11: 36. incipit loqui de hoc Imperio. *Et faciet pro voluntate sua Rex.* Id ita simplicissimè explices: Tum deinde erit aliquis Rex, qui faciet pro voluntate sua. Quod si non libeat de Consulibus accipere, de Cæsaribus licet accipere. Nam hi מלכים & βασιλεῖς nuncupantur, & regibus imperabant. Horum regnum succedit regno Seleucidarum & Lagidarum. Postquam de Antiocho

Epi-

Epiphane egisset, nihil opus erat, ut de cæteris Syrorum vel Ægyptiorum regibus loqueretur. Sive etiam intelligas per τὸν βασιλέα τὸν βασιλεύοντα δήμου, cui paruit Rex Antiochus: res planè eodem recidit, & caret omni difficultate. De illo igitur Imperio cùm eo versu incepisset agere, de eodem versu 37. dicit, quòd relicturus sit *deos patrios*. Deinde, quòd *nullum deorum* sit curaturus & *deum arcium* sit *culturus in locamento suo* aut *theca*, & alium quendam Deum, quem nulli patres ejus recognoverant, honoraturus sit auro & argento & lapide precioso. vers. 38. Planum est, quòd Danieli populus serviens Meretrici sit idem cum populo, qui Christi nomen persecutus est. Et hoc etiam indicat Apocalypsis, tum, quando vocat *gentes* eos, qui se admiscent Ecclesiæ, cap. 11: 2. quia retinent idem ingenium & eandem ἀγνωσίαν θεοῦ: tum, quando dicit, Civitatem illam magnam, in qua duo testes occidebantur, esse eam, in qua Dominus noster crucifixus est. cap. 11: 8. cum quo convenit cap. 17. v. 18. Rursus hoc etiam modo rectè dicitur *non esse*, quia habitum suum mutavit. Nam, qui antea erat Draco, nunc factus est Bestia sedens in throno Draconis. Eam mutationem designat & Apostolus 2 Thessal. 2: 7. μόνον ὁ κατέχων ἄρτι ἕως ἐκ μέσου γένηται. *Tantùm, qui nunc impedit, donec è medio fiat.* Quod non est necesse intelligere de imperii Romani extinctione. Satisfit textui, si sic explicetur; *donec, qui nunc impedit, desinat impedire*, & det locum Ἀνόμῳ, ut crescat. Romanus idololatra impedit Ἄνομον. Romanus Christianus factus permittit Jesabeli, ut doceat, & ut seducantur servi Dei. Identitatem & mutationem etiam indicat Daniel cap. 2. Quartum enim imperium facit partim *crura ferrea*, partim *pedes ex parte ferreos, ex parte testaceos.*

Vers. 9. *Hic est intellectus, qui habet Sapientiam.* Vide cap. 13: 18. *Sapientiam* hîc non intelligo sapientiam hujus mundi. Neque enim convenit. Nam, qui ad Bestiam pertinent, sunt φρόνιμοι παρ' ἑαυτοῖς *prudentes in oculis suis*: & vera sapientia apud eos stultitia est. Apud Bestiam sunt, qui dicunt, Deum fore *indiscretum*, nisi det tales ἄρχοντας & προφήτας, & talem εἰκόνα, quales habet Bestia: sive, nisi det infallibilem interpretem Scripturæ & legislatorem ac judicem conspicabilem. *Sapientia* igitur illa intelligenda est, quæ est Dei sapientia. Quæ in cognitione Christi consistit. Nam Christus nobis factus est à Deo sapientia: 1 Cor. 1: 30. *Quis sapiens, & observet illa*, dicit Hoseas cap. 14. Tantundem valent verba Johannis. q. d. Si quis sapiens est, si quis non est stupidus & inflatus apud se, si quis omninò mentem habet, cogitet, quid hoc significet, & cogitet verum de Bestia, neque patiatur se ipsius specie seduci. Nam, qui Christum novit, & sapientiam Dei, quæ est in Christo patefacta,

facta, cognovit, illi non potest Bestia illa imponere & videri esse Ecclesia; &, si quis diligenter modò attendat, & cupiat veritatem cognoscere (quod est hominis non stulti & insani) non poterit ignorare, de qua re loquatur Prophetia, quando dicit, Bestiam & fuisse & non esse & tamen venturam esse. Nam, 1. si pro Ecclesia se obtrudat multitudo similis populo Judaico, & similia sentiens ac faciens, qualia sentit is populus & fecit errans, sive etiam volens esse in eo statu, in quo fuit is populus sub Veteri Testamento; tum is, qui cognoscit Christum & regnum Dei, non potest eam multitudinem habere pro Ecclesia; sed cogitur eam habere pro Bestia. Atqui hæc multitudo (quam Bestiam vocat Apocalypsis) refert populum Judaicum sub Vetere Testamento. Est enim multitudo in externis rebus communicans sub principibus, sub sacerdotibus; habens quidem verbum Dei, sed non habens fidem verbi Dei. Quippe sentiens cum Judæis errantibus; qui traditionem patrum putabant esse certam & infallibilem regulam fidei, & scripturam non scrutabantur: & volens esse in eo statu, in quo fuit populus ille antiquus; h. e. habere regnum aliquod mundanum, cathedram & locum, ad quem accedat, & homines, qui habeant potestatem sacrificium pro peccatis quotidie offerendi; & principes habentes jus imperandi, & legibus suis onerandi fideles, ut suos subjectos; & locum, ubi dicat Deum & Christum esse & velle adorari, non minùs, quàm Deus dicebatur habitare in templo & super propitiatorio; & cultum in elementis mundi. 2. Si pro Ecclesia se obtrudat multitudo Romanis, qui fidem Christianam persecuti sunt, similis quoad statum & sententias & facta, tum is, qui novit sapientiam Dei, non potest ab illa decipi. Atqui hæc multitudo, quæ se pro Ecclesia gerit & haberi vult, est populus, qualis erat populus Romanus; & similia sentit ac facit. Ut in multis patet. 3. Si pro Ecclesia se obtrudat multitudo, de qua Spiritus Prophetiæ testatur, quòd sit Bestia; & quam jubet pro Bestia haberi ob eam rationem, quia succedit Populo Judaico & Populo Romano, ut populus mundanus imperium habens. Clarissimè enim testatur Prophetia, populum Romanum, deposita idololatria, & quando abrenunciat diis patris, non evadere Ecclesiam, sed manere regnum humanum sive de hoc mundo; qualia regna Spiritus solet in Scripturis appellare θηρία. Nam, dum dicit, Bestiam fuisse & non esse eandem & tamen esse eandem, cum ea scil. quæ fuit; apertissimè dicit, ei, quæ fuit, hanc succedere, mutatam quidem, sed eadem retenta indole. Eodem autem jure Scriptura appellat talem multitudinem imperantem Bestiam, quo omnes homines ante regenerationem, & quatenus carnales sunt, vocat בְּהֵמָה *pecus*. Ut Eccles. 3: 18. *Et*

ad

ad videndum, quòd ipsi homines *pecus sint ipsi sibi.* Id & sancti confitentur: ut Psalm. 73: 22. *At ego brutus, & non cognoscebam:* בְּהֵמוֹת *pecus extiti te cum,* h. e. gessi me ut *pecus.* Cæterum, quum Prophetia dicit, *Hic est intellectus habens sapientiam*, non absterret lectores à consideratione: quasi eum, qui consideret & postulet verba Prophetiæ intelligere, damnet αὐθαδείας & arrogantiæ. Nam quare hæc scripta sunt? Utrumne, ut intelligantur, an verò ut non intelligantur? Alia mens est Spiritus sancti. Primò ut is, qui illa postulet intelligere, deponat stultitiam, h. e. ratiocinationes humanas & stultas concupiscentias. Nam, qui est בַּעַר & *brutus*, nec recipit ea, quæ sunt Spiritus Dei, nec ea cognoscere potest. 1 Cor. 2: 14. Psalm. 92: 7. *Vir brutus non cognoscit, & stultus non intelligit hoc.* Secundò, ut sapientiam veram nobis comparemus. Est autem sapientia nostra timere Deum, & credere in eum, quem misit. Et, si quid adhuc nobis deest ad intelligentiam mysteriorum Dei & ad sapienter cogitandum, loquendum, agendum in omni re, in fide à Deo sapientiam petamus. Jacob. 1: 5. 6. Et, dum quærimus sapientiam, prophetiam hanc & similes, quæ ad sapientiam augendam datæ sunt, minimè negligamus. Denique, ut nullam expositionem approbemus, quæ non respiat sapientiam, h. e. quæ non cum analogia fidei conveniat, & quæ ostendat, Spiritum sapienter per hoc emblema voluisse sequentium temporum figuram commonstrare, ad frustrandum quidem inertes & temerarios, sed ad illustrandum oculos eorum, qui Deum amant & timent, ita ut hi non possint optare, rem aliter dictam esse, quàm in verbo Dei explicata est. *Septem capita septem montes sunt, in quibus mulier sedet.* De his *montibus* diximus cap. 13: 3. Urbs Romana septem montibus sedet. Id monimentum esse potest. Sed de illis montibus dici non possunt omnia, quæ Apocalypsis de septem montibus dicit; qui sine dubio commodiùs notant septem gentes, in magnis orbis terrarum partibus, in quibus populus unus regnans est, cujus respectu septem illi pro capitibus unius populi haberi possunt. Certè & Draco & Bestia latiùs imperitat, & magna civitas comprehendit locum, ubi Christus crucifixus est. Apocal. 11: 8. Nota, sedem *Draconis* & *Bestiæ* eandem esse. Sedes Draconis erat imperium Romanum: idem obtinet Bestia. Imò Johannes, dum dicit, in septem montibus mulierem sedere, ipsam Bestiam definit per montes. Neque tam habetur hic ratio loci; quàm hominum in loco. Sic *terra* dicitur pro hominibus mundi. Genes. 10. & 11. Scriptura per *montes* solet aliquando totam aridam intelligere, quæ exaggerata exstat supra mare & fluvios. Inde radices *montium* dicitur alveus maris; item *aquamenta montium*, Jonæ 2: 6. Non mirum igitur est, si partes οἰκουμένης dicantur

montes, quæ potissimum maribus & fluminibus distinctæ sunt; ut sunt partes illæ septem, quas dicto loco numeravimus. Sed & populi collecti in unum, & gentes linguis discretæ *montium* similitudinem habent. Imperium Babylonicum vocatur *mons perdens* Jer. 51: 25. Imperium idem, etiam quum Persicum factum esset, vocatur *mons magnus*, cui dicitur, ut coram Serubbabele subsidat. Zach. 4: 7.

Vers. 10. *Et reges septem sunt.* Quidam ingeniosè septem potestates urbis Romanæ animadverterunt, nempe Reges, Consules, Tribunos, Decemviros, Dictatores, Cæsares, Papas. Sed, quia hæ potestates omnes non faciunt ad *Bestiam*, non audeo illam applicationem recipere. Potiùs est, ut in istis regionibus considereamus rectores Politicos, aut etiam Ecclesiasticos Primates. Nimirum, ut hic simplicissimus sensus sit: initio habituram Bestiam septem grandes Orbis terræ partes, in quibus sedeat; sive totidem gentibus constituram: & in eis totidem, minimùm, reges, qui sint Bestiæ capita in illis montibus sive partibus Orbis. Fuit primas seu Patriarcha Alexandrinus, Hierosolymitanus, Antiochenus, Constantinopolitanus, Romanus. Gallia item & Hispania in suis Synodis suos primates habuerunt. Sed & politici præsides & rectores fuerunt in illis partibus. Meminerimus, in tota Apocalypsi agi de regno, quod non est regnum Dei, sed esse dicitur. Hoc considerato, non mirabimur, Bestiam non tantùm habere locum in septem montibus; sed etiam reges in montibus. Quomodo potest hoc esse regnum Christi? Christus non habet regnum in certo populo. Atqui Bestia hæc habet regnum in populo certo septem montium. Si in eis montibus est Ecclesia, non majore est jure Ecclesia, quàm ea, quæ non est in septem illis montibus. Deinde, quomodo potest esse regnum Christi, quum, saltem in singulis montibus, sint totidem reges, sub titulo pastorum facientes ea, quæ sunt principum & dominorum?

Quinque ceciderunt; & unus est, alius nondum venit. Significatur, non fore stabilem statum Bestiæ & meretricis in istis septem montibus. Ostendit, postquam mulier consedit in septem montibus, secuturum tempus, in quo dici possit, *quinque reges cecidisse & unum esse*, nempe, quando quinque Provinciæ aut regiones fuerunt occupatæ à Gothis, Vandalis, aliisque Barbaris populis, & deinde Sarracenis, tunc quinque reges videntur cecidisse, unus autem tantùm esse, nempe Græcus. Hæc respondent secundæ & tertiæ Bestiæ effectis, de quibus Dan. cap. 7. *Et alter nondum venit*, nempe regnum Italicum & primas ei succenturiatus. *Et, cùm venerit, oportet ipsum parumper manere.* Reges Italici excitati à Papis contra Caroli filios non diu manserunt. Eorum Historia cognosci potest ex Sigonio de regno Italiæ.

Vers.

Vers. 11. *Et Bestia, quæ erat & non est, & ipse octavus est, & ex septem est, & in interitum abit.* Videbatur imperium Romanum esse restitutum per Francos, una cum throno Bestiæ & regno ejus. Spiritus negat *esse*, vel eo modo, quo diximus, Ecclesiam cum sede & potestate humana in Novo Testam. nihil esse; sive eo modo, quo Ez. 21: 31. corona quædam negatur esse corona. *Hæc non hæc.* q. d. hæc corona non est corona, aut hæc corona non est hæc corona, quam Deus promisit. Ita hæc Ecclesia & hoc regnum non est hoc, quod Deus promisit; quanquam simile sit illius, quod fuit in Vet. Testamento nuncupatum regnum Dei & politia Israëlis, licet plerique carnales essent. Prædicata tria hîc sunt, quæ habent copulativam &, per quam inter se divinciuntur. 1. *Ipse octavus est*, sive dicas, hanc esse octavam potestatem, quæ Romæ imperavit: sive quia vocantur Romani imperatores, & tamen non ex Romana urbe sunt; sed regnum ipsorum extra dicionem Romanorum veterum est, nempe in Germania, cujus majestatem vicini comiter reverentur, cum quo etiam sæpe conspirant. Et hic imperator aliquando ipsos Papas redegit in ordinem, aliosque removit, alios instituit. 2. *Est tamen ex septem*, quia est in Italia & Roma, quæ in septem montibus censetur; licèt habeat propagines ac stolones porrectos ultra septem istos montes. 3. *Vadit autem in interitum.* Quia in hac parte Bestiæ judicium Bestiæ absolvitur. De quo videre est Dan. 7: 7. — 15. & vers. 19. usque ad finem.

Vers. 12. *Et decem cornua, quæ vidisti, decem reges sunt.* Plures reges octavo, de quo vers. 11. adjunguntur, ut Bestiæ patroni, aut cum Bestia potestatem habentes. Principalis quidem Bestiæ potestas est in Imperatore, cujus sedes est potissimum Germania, cum quo alii reges sociantur, politicam potestatem habentes. Ordo igitur prophetiæ hic est. Bestia ab initio habet septem montes. Deinde cadunt quinque. Unus est, & sextus venit & parumper manet. Deinde venit octavus, qui & cohæret cum reliquis, & suo modo novus est. Et is in interitum abit. Antequam id fiat, cum Bestia sunt decem reges simul, qui potestatem suam dant Bestiæ. Decem autem reges, qui uno tempore futuri erant, & potestatem suam Bestiæ & imagini ejus daturi, sunt in Germania, Hispania, Gallia, Anglia, Scotia, Dania & Norwegia, Suecia, Polonia, Hungaria, Bohemia. *Qui regnum nondum acceperunt*, intellige tempore prophetiæ. *Sed potestatem, ut reges, unam horam accipiunt cum Bestia*, h. e. futurum est, ut aliquando cum Bestia octavi montis & rege istius regnent. Si quis de numero regum istorum sollicitus sit, & contendat, aliquando plures fuisse, is cogitet 1. ad prophetiæ veritatem sufficere, si inveniantur decem. Nam hæc dicuntur ad terribilitatem & potentiam Bestiæ amplificandam. De-

cem reges sunt. h. e. non minus decem sunt. Ita Mich. 5: 4. *Septem & octo* sunt minimum septem vel octo. 2. Cogitet, aliquando decem fuisse, & cum Bestia adversus Christum pugnasse; & μίαν ὥραν rectè explicari per καὶ μίαν ὥραν, h. e. simul uno tempore. Confer Apoc. 3: 3. Joh. 4: 52.

Vers. 13. *Hi unam sententiam habent, & potentiam suam ac potestatem Bestiæ transtabunt.* In omnibus idem regnabit spiritus, idemque erit consilium, nempe, tanquam religionem & pietatem, ut pacatè regnent, auctoritate ac legibus humanis constituendam esse, neque permittendum cuiquam diversum sapere à reliquis. Quia igitur inveniunt in mundo *Bestiam*, habentem nomen *Ecclesiæ Catholicæ*, cujus auctoritas major sit, quàm omnium religionum, idque vel maximè propterea, quia nulla hæresis potest subsistere coram illis veritatis partibus, quas profitetur Bestia, & quia sanctos & fideles nuspiam reperient, nisi eos, qui cum cœtu Bestiæ miscentur per communionem verborum fundamenti, quæ etiam pronuntiat Bestia: ideò, spretis & abdicatis hæresibus, quas sancti abominantur & Bestia damnat, *potentiam & potestatem suam*, h. e. opes, vim ac jus regnandi eo conferent, ut amplificetur apparentis Ecclesiæ Catholicæ multitudo, & hæreses exstirpentur; tandemque, ut omnis illi nuncupatæ Ecclesiæ Catholicæ contradicens tollatur de medio. Ita factum est. Etiam Arianæ gentes tandem Ecclesiæ Catholicæ nomen dederunt, & suos coegerunt audire & dicere ea, quæ Catholica Ecclesia dicebat. Ita obiter quidem Christi nomen exaltatum est, & regni ejus pomœria prolata: sed & regnum Bestiæ simul crevit, & Ecclesiæ veræ per gloriam externam facta est obscuratio. Hic rursus videmus mixturam duplicis imperii, Politici & Ecclesiastici, juxta typum colossi Dan. 2. Nam in omnibus illis regnis fuerunt subditi Pseudoprophetæ, imò ipsi reges se ipsius subditos profitebantur. Rursus reges *habuerunt potestatem ut reges*, &, mediante Imperatore, tanquam maximo natu fratre in familia, unum Politicum regnum constituerunt. Talis consensio est in Conciliis, quæ vocata sunt Oecumenica, ut Constantiensi, Basileensi, Florentino, Tridentino.

Vers. 14. *Hi cum agno bellum gerent, & agnus vincet illos, quia dominus dominorum est & rex regum; &, qui cum ipso, vocati electi, & fideles.* Possumus distinguere pugnam cum *sanctis* à pugna cum *agno*. Dudum oppugnati sunt sancti; quando errores & superstitiones & peccata creverunt, ipsisque tristitia creata fuit; item, quando reprehensiones ipsorum hæresi deputatæ sunt, & morte punitæ: tandem verò, cum reges destitere Papæ auctoritatem & regnum retundere, eique fasces submiserunt (quod factum est post effracta tria cornua) tum etiam oppugnarunt directè Agnum, subservientes Papæ, se dicenti esse caput Ecclesiæ infallibile,

&

& hæreseos damnanti eos, qui à judicio ipsius ad Synodum provocarent; multò vero magis eos, qui negarunt, ullius verbum, præterquam Christi, in Ecclesia audiendum, aut judicium pertimescendum esse. Hoc apertè factum est post Concilium Constantiense. Quanquam enim etiam Basilienſe definiverit, Concilium esse supra Papam; tamen Eugenius quartus facto demonstravit, Papam esse supra Concilium, instrumento Concilii Florentini; sequentes autem, inprimis Julius & Leo, in Synodo Lateranensi definiverunt, à sententia Papæ non posse provocari ad Concilium; Leoni autem Lutherum damnanti omnes reges inserviverunt, & Lutherani ubique, maximè propter hoc caput doctrinæ, occisi sunt. Agnus autem vicit cum suis. Primò, quia nunquam Ecclesia se subjecit alii præterquam Christo. Est quædam victoria non vinci. Secundò, quia tum, quando Christi auctoritas oppugnata est à regibus, Ecclesia est liberata ab isto jugo & exivit ex Babylone, & ei non multò post est pax data, primò in Imperio Germanico, deinde in aliis regnis, quum etiam jam quidam reges incepissent *meretricem odisse*, ut est vers. 16. Nam in Suedia, in locum Sigismundi persecutoris, qui Poloniæ Rex factus erat, Carolus Patruus ipsius Rex factus est, doctrinæ Euangelicæ addictus. In Dania & Norwegia Christierno successit Fredericus primus, & ipse Euangelicæ addictus confessioni. In Scotia loco Mariæ Jacobus sextus Rex factus est Reformatæ religioni addictus. In Anglia Elizabetha, post Eduardum sextum, & Johannam, Ecclesiæ favit. *Qui cum ipso, vocati, electi & fideles.* Hæc est Ecclesiæ veræ descriptio. *Vocati* dicuntur, qui verbum audiunt & profitentur. Sed sunt vocati, qui non sunt electi: hîc autem *vocati & electi*, hoc est, *secundùm propositum vocati*, potenter adducti, vi æterni beneplaciti, & testamenti, quod fecit Deus in Christo. *Fideles*, quia vocatio secundùm electionem est fidei datio. Ratio, quare vicerit Agnus, est, *quia Dominus dominorum, & Rex regum est.* Habet igitur & potestatem & potentiam supra omnes reges. Quare etiam ferre non potuit, ut alius *Dominus dominorum & Rex regum diceretur*, nempe Papa. Nam, dum non tantùm Domini & Reges se ipsi subjiciunt, sed etiam subditos suos cogunt, ut se ipsi subjiciant, & credant, ipsum habere legislationem, & omnes judicare posse, à nemine verò, etiam secundùm verbum Dei, debere judicari; eo ipso declaratus est Dominus dominorum & Rex regum. Nam, si Papa non debet judicari; necesse est, Christum idem judicare, quod judicat Papa, & approbare, quæ facit Papa, atque ita Papæ esse omnem potestatem datam, & eum à Christo non judicari, atque adeò vel unum esse cum Christo vel Christo superiorem.

Vers. 15. *Et dixit mihi, Aquæ, quas vidisti, ubi scortum sedet, populi & turbæ sunt, & gentes & linguæ.* Hæc multitudo omnis induit formam Bestiæ, per capita & cornua sua, per communionem & unionem in certa forma reipublicæ, ac imprimis in dominatione & jurisdictione urbis magnæ. Quatenus enim meretrix (homines, qui non sunt Christus, & dicunt se ministros Christi, alia docentes) sedet super illis, hoc est, regnat in illis, eatenus est bestia.

Vers. 16. *Et decem cornua, quæ vidisti in Bestia, hi odio habebunt meretricem, & desertam facient illam, & nudam, & carnes ipsius comedent, & ipsam igne cremabunt.* Primum in judicio meretricis est, quòd Christus reges vincet, nempe ut hi non possint exstinguere fidem sanctorum, neque etiam reprimere prædicationem, imò cogantur Ecclesiæ pacem dare. Hîc explicatur amplius & victoria Agni, & judicium meretricis. Victoria Agni de regibus ipsis est; quatenus per prædicationem verbi efficitur, ut reges oderint illam. Quod intelligi potest respectu certæ partis regum, in quibus effectum est, si non, ut amarent veritatem, tamen ut oderint meretricem. Iidem, qui oderunt, *etiam desolatam faciunt*, subductis aquis suis, hoc est, populis sibi subditis. *Et nudam.* Hoc est omnino destituent. *Et carnes ejus comedent.* Tale quid est bona Episcoporum occupare, in terrenos dominatus Diœceses convertere, episcopos, capitula, monasteria, abbates &c. exstinguere: ut nuper etiam factum est in pacificatione Monasterienſi. *Et ipsam comburent igne.* Hic quidam cogitant de excidio urbis Romæ. Certè Es. 23. *Tyrus* (pro qua *Babylonem* dicit Johannes) significat urbem Romam, aliquando in specie, ut est urbs mœnibus inclusa, vers. 7. 8. ubi prophetia loquitur de Roma per Carolum Borbonium capta Anno 1527. aliquando latius, clerum Romanum, qui est in omnibus. Nostrum erit exspectare eventum, qui prophetiarum interpres esse solet. Alioqui Apoc. 19: 20. dicitur de pseudopropheta, quod sit conjiciendus in stagnum ignis. Cætera cognoscentur ex cap. 18: 8.

Vers. 17. *Deus enim dedit in corda ipsorum facere sententiam ipsius, & facere unam sententiam & dare regnum suum Bestiæ, donec consummentur verba Dei.* Deus dicitur dare in corda propriè quidem cogitationes bonas, sed tamen, dum homines judicat dignos esse deceptione, & tradit illos decipiendos spiritui impuro, dicitur eodem modo tradere malas cogitationes in cor, quemadmodum dicitur dixisse Simei, ut malediceret Davidi. Cogitatio regum, qua judicarunt, regnum suum dedendum esse Bestiæ, potuit habere aliquid boni, quia directè quidem & principaliter illi cogitarunt, se debere inservire Christo, ut regnum ejus amplificaretur; quamvis indirectè hoc consecutum sit, ut, dum Christo serviunt, etiam servirent Bestiæ. *Donec.* Ergo nec vult Deus, ut reges hi semper serviant

Bestiæ.

Bestiæ. Terminus autem ille est, *quum completa fuerint verba Dei*, quæ de regibus illis, & tempore regum, & scortationis illorum scripta sunt. Ergo Ecclesia scire etiam potest, quando judicium meretricis immineat.

Vers. 18. *Et mulier, quam vidisti, est civitas illa magna, quæ habet regnum in reges terræ.* Supra cap. 11: 18. Sedes bestiæ notata fuit illo charactere, quòd sit eadem civitas sive dicio, in qua Christus crucifixus est, nempe imperium Romanum. Etiam hoc loco multis videtur Roma describi, quæ tempore Johannis habebat dominatum in reges terræ. Tamen etiam possumus dicere, hîc civitatem illam genuina & formali sua proprietate notari; nempe *imperare regibus terræ.* Notum est Axioma Paparum Romanorum, quòd Ecclesia Romana, id est, Papa & Cardinales habeant summum in orbe magistratum, hoc est, quòd omnis princeps politicus, imò omnis anima illi teneatur obedire. Ergo hoc regnum, cui subjiciuntur principes politici, contradistinguitur politico. Proinde est Ecclesiasticum. Ergo mulier significat principes Ecclesiasticos cum suo capite qui se exserunt in potestates supereminentes & in omnem dictum Deum, qui solo Christo minor est.

CAPUT DECIMUMOCTAVUM.

IN capite superiore strictim indicatum est, Bestiam pugnaturam esse cum Agno, & ab agno victum iri, & civitatem illam magnam igne tandem crematum iri à decem cornibus. Eæ res in capite 18. pleniùs explicantur. Habemus autem hîc duas partes. Prima recenset gradus abolendæ Babylonis usque ad vers. 21. Altera denuntiat subitam ejus delectionem voce Angeli, addito signo: usque ad finem.

1. Καὶ μετὰ τοῦτο εἶδον ἄλλον ἄγγελον καταβαίνοντα ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, ἔχοντα ἐξουσίαν μεγάλην· καὶ ἡ γῆ ἐφωτίσθη ἐκ τῆς δόξης αὐτοῦ.

2. Καὶ ἔκραξεν ἐν ἰσχυρᾷ φωνῇ μεγάλῃ, λέγων· Ἔπεσεν, ἔπεσε Βαβυλὼν ἡ μεγάλη, καὶ ἐγένετο κατοικητήριον δαιμόνων, καὶ φυλακὴ παντὸς πνεύματος ἀκαθάρτου, καὶ φυλακὴ παντὸς ὀρνέου ἀκαθάρτου, καὶ μεμισημένου·

3. Ὅτι ἐκ τοῦ οἴνου τοῦ θυμοῦ τῆς πορνείας αὐτῆς πέπωκε πάντα τὰ ἔθνη· καὶ οἱ βασιλεῖς τῆς γῆς μετ' αὐτῆς ἐπόρνευσαν, καὶ οἱ ἔμποροι τῆς γῆς ἐκ τῆς δυνάμεως τοῦ στρήνους αὐτῆς ἐπλούτησαν.

4. Καὶ ἤκουσα ἄλλην φωνὴν ἐκ τοῦ οὐρανοῦ λέγουσαν· Ἐξέλθατε ἐξ αὐτῆς ὁ λαός μου, ἵνα μὴ συνκοινωνήσητε ταῖς ἁμαρτίαις αὐτῆς, καὶ ἵνα μὴ λάβητε ἐκ τῶν πληγῶν αὐτῆς·

VERS. 1. *Et post hæc vidi Angelum descendentem ex cœlo, qui habebat potestatem magnam: & terra illustrata est à gloria ejus.*

2. *Et clamavit cum robore, voce magna, dicens: Cecidit, cecidit Babylon illa magna, & facta est habitaculum dæmonum, & custodia omnis spiritus immundi, & custodia omnis avis immunda & odiosa:*

3. *Quia de vino excandescentia scortationis suæ potavit omnes gentes: & reges terræ cum illa scortati sunt, & mercatores terræ ex potentia lasciviæ ejus ditati sunt.*

4. *Et audivi aliam vocem ex cœlo dicentem: Exite ex illa, populi mei; ne communicetis cum peccatis ejus, & ne accipiatis de plagis ejus.*

5. *Quia*

5. Ὅτι ἐκολλήθησαν αὐτῆς αἱ ἁμαρτίαι ἄχρι τοῦ οὐρανοῦ, καὶ ἐμνημόνευσεν ὁ Θεὸς τὰ ἀδικήματα αὐτῆς.

6. Ἀπόδοτε αὐτῇ, ὡς καὶ αὐτὴ ἀπέδωκεν ὑμῖν, καὶ διπλώσατε αὐτῇ διπλᾶ κατὰ τὰ ἔργα αὐτῆς· ἐν τῷ ποτηρίῳ, ᾧ ἐκέρασε, κεράσατε αὐτῇ διπλᾶ.

7. Ὅσα ἐδόξασεν ἑαυτὴν καὶ ἐστρηνίασε, τοσοῦτον δότε αὐτῇ βασανισμὸν καὶ πένθος· ὅτι ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτῆς λέγει· Κάθημαι βασίλισσα, καὶ χήρα οὐκ εἰμί, καὶ πένθος οὐ μὴ ἴδω.

8. Διὰ τοῦτο ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ ἥξουσιν αἱ πληγαὶ αὐτῆς, θάνατος καὶ πένθος καὶ λιμός· καὶ ἐν πυρὶ κατακαυθήσεται, ὅτι ἰσχυρὸς Κύριος ὁ Θεὸς ὁ κρίνων αὐτήν.

9. Καὶ κλαύσουσιν αὐτὴν καὶ κόψονται ἐπ' αὐτῇ οἱ βασιλεῖς τῆς γῆς, οἱ μετ' αὐτῆς πορνεύσαντες καὶ στρηνιάσαντες, ὅταν βλέπωσι τὸν καπνὸν τῆς πυρώσεως αὐτῆς·

10. Ἀπὸ μακρόθεν ἑστηκότες, διὰ τὸν φόβον τοῦ βασανισμοῦ αὐτῆς, λέγοντες· Οὐαί, οὐαί, ἡ πόλις ἡ μεγάλη, Βαβυλών, ἡ πόλις ἡ ἰσχυρά, ὅτι ἐν μιᾷ ὥρᾳ ἦλθεν ἡ κρίσις σου.

11. Καὶ οἱ ἔμποροι τῆς γῆς κλαίουσι καὶ πενθοῦσιν ἐπ' αὐτῇ, ὅτι τὸν γόμον αὐτῶν οὐδεὶς ἀγοράζει οὐκέτι·

12. Γόμον χρυσοῦ καὶ ἀργύρου καὶ λίθου τιμίου, καὶ μαργαρίτου, καὶ βύσσου, καὶ πορφύρας, καὶ σηρικοῦ, καὶ κοκκίνου· καὶ πᾶν ξύλον θύινον, καὶ πᾶν σκεῦος ἐλεφάντινον, καὶ πᾶν σκεῦος ἐκ ξύλου τιμιωτάτου, καὶ χαλκοῦ, καὶ σιδήρου, καὶ μαρμάρου,

13. Καὶ κινάμωμον, καὶ θυμιάματα, καὶ μύρον, καὶ λίβανον, καὶ οἶνον, καὶ ἔλαιον, καὶ σεμίδαλιν, καὶ σῖτον, καὶ κτήνη, καὶ ποίμνια, καὶ ἵππων, καὶ ῥεδῶν, καὶ σωμάτων, καὶ ψυχὰς ἀνθρώπων.

14. Καὶ ἡ ὀπώρα τῆς ἐπιθυμίας τῆς ψυχῆς σου ἀπῆλθεν ἀπὸ σοῦ, καὶ πάντα τὰ λιπαρὰ καὶ τὰ λαμπρὰ ἀπῆλθεν ἀπὸ σοῦ, καὶ οὐκέτι οὐ μὴ εὑρήσεις αὐτά.

15. Οἱ ἔμποροι τούτων οἱ πλουτήσαντες ἀπ' αὐτῆς, ἀπὸ μακρόθεν στήσονται, διὰ τὸν φόβον τοῦ βασανισμοῦ αὐτῆς, κλαίοντες καὶ πενθοῦντες·

16. Καὶ λέγοντες· Οὐαί, οὐαί, ἡ πόλις ἡ μεγάλη, ἡ περιβεβλημένη βύσσινον καὶ πορ-

5. *Quia sequuta sunt peccata ejus usque ad cœlum, & recordatus est Deus injustitiæ facta ejus.*

6. *Reddite illi, quemadmodum & ipsa reddidit vobis, & reduplicate ei duplicia secundùm opera ejus. In pocule, quod infudit, infundite ei duplum.*

7. *Quantum glorificavit seipsam & lasciviit, tantum date ei cruciatum & luctum: quia in corde suo dicit: Sedeo regina, & vidua non sum, & luctum non videbo:*

8. *Propterea in une die venient plagæ ejus; mors & luctus & fames; & igne comburetur: quia robustus Dominus Deus, qui judicat eam.*

9. *Et flebunt eam & plangent super ea reges terræ, qui cum ea fornicati sunt & lasciviverunt; quum videbunt fumum incendii ejus:*

10. *Procul stantes, propter metum cruciatus ejus, dicentes: Va, va, civitas illa magna, Babylon, urbs illa valida: quia in una hora venit judicium tuum.*

11. *Et mercatores terræ flent & lugent super ea, quia mercimonium eorum nemo emit amplius.*

12. *Mercimonium auri & argenti & lapidis pretiosi & margaritæ & byssi & purpuræ & serici & coccini; & omne lignum odoratum, & omne vas eburneum, & omne vas ex ligno pretiosissimo & ære & ferro & marmore,*

13. *Et cinnamomum & odoramenta & myrrum & thus & vinum & oleum & similaginem & triticum & jumenta, & oves, & equorum & rhedarum & corporum, & animas hominum.*

14. *Et fructus concupiscentiæ animæ tuæ abiit à te, & omnia pinguia ac splendida abierunt à te, & non invenies ea amplius.*

15. *Mercatores horum, qui ditati sunt ab ea, eminus stabunt propter metum cruciatus ejus flentes & lugentes,*

16. *Et dicentes: Va, va, civitas illa magna, quæ amicta est bysso & purpureo & coc-*

φυρᾶν ἐ κόκκινον, καὶ κεχρυσωμένη ἐν χρυσῷ ἐ λίθῳ τιμίῳ ἐ μαργαρίταις· ὅτι μιᾷ ὥρᾳ ἠρημώθη ὁ τοσοῦτος πλοῦτος.

17. Καὶ πᾶς κυβερνήτης, καὶ πᾶς ὁ ἐπὶ τόπον πλοίων ὁ ὄμιλος, καὶ ναῦται, καὶ ὅσοι τὴν θάλασσαν ἐργάζονται, ἀπὸ μακρόθεν ἔστησαν,

18. Καὶ ἔκραζον, ὁρῶντες τὸν καπνὸν τῆς πυρώσεως αὐτῆς, λέγοντες· Τίς ὁμοία τῇ πόλει τῇ μεγάλῃ;

19. Καὶ ἔβαλον χοῦν ἐπὶ τὰς κεφαλὰς αὐτῶν, καὶ ἔκραζον κλαίοντες καὶ πενθοῦντες, λέγοντες· Οὐαὶ, οὐαὶ, ἡ πόλις ἡ μεγάλη, ἐν ᾗ ἐπλούτησαν πάντες οἱ ἔχοντες πλοῖα ἐν τῇ θαλάσσῃ ἐκ τῆς τιμιότητος αὐτῆς, ὅτι μιᾷ ὥρᾳ ἠρημώθη.

20. Εὐφραίνου ἐπ' αὐτῇ, οὐρανὲ, καὶ οἱ ἅγιοι ἀπόστολοι καὶ οἱ προφῆται, ὅτι ἔκρινεν ὁ Θεὸς τὸ κρίμα ὑμῶν ἐξ αὐτῆς.

21. Καὶ ἦρεν εἷς ἄγγελος ἰσχυρὸς λίθον ὡς μύλον μέγαν, καὶ ἔβαλεν εἰς τὴν θάλασσαν, λέγων· Οὕτως ὁρμήματι βληθήσεται Βαβυλὼν ἡ μεγάλη πόλις, καὶ οὐ μὴ εὑρεθῇ ἔτι.

22. Καὶ φωνὴ κιθαρῳδῶν καὶ μουσικῶν καὶ αὐλητῶν καὶ σαλπιστῶν οὐ μὴ ἀκουσθῇ ἐν σοὶ ἔτι· καὶ πᾶς τεχνίτης πάσης τέχνης οὐ μὴ εὑρεθῇ ἐν σοὶ ἔτι· καὶ φωνὴ μύλου οὐ μὴ ἀκουσθῇ ἐν σοὶ ἔτι.

23. Καὶ φῶς λύχνου οὐ μὴ φανῇ ἐν σοὶ ἔτι· καὶ φωνὴ νυμφίου καὶ νύμφης οὐ μὴ ἀκουσθῇ ἐν σοὶ ἔτι· ὅτι οἱ ἔμποροί σου ἦσαν οἱ μεγιστᾶνες τῆς γῆς, ὅτι ἐν τῇ φαρμακείᾳ σου ἐπλανήθησαν πάντα τὰ ἔθνη.

24. Καὶ ἐν αὐτῇ αἷμα προφητῶν καὶ ἁγίων εὑρέθη, καὶ πάντων τῶν ἐσφαγμένων ἐπὶ τῆς γῆς.

& coccineo & inaurata auro, & lapide precioso & margaritis: quia una hora desolata sunt tanta divitiæ.

17. Et omnis gubernator & omnis in navibus turba & nauta & qui mare exercent, à longè stabant,

18. Et clamabant videntes fumum incendii ejus, dicentes: Quæ similis civitati illi magnæ?

19. Et conjiciebant pulverem in capita sua & clamabant flentes & lugentes, dicentes: Væ, væ, civitas illa magna, in qua ditati sunt omnes habentes naves in mari ex preciositate ejus: quia una hora desolata est.

20. Lætare super ea, cœlum, & sancti apostoli & prophetæ: quia judicavit Deus judicium vestrum de ipsa.

21. Et sustulit unus Angelus robustus lapidem, ut molarem magnum, & conjecit in mare, dicens: Sic impetu conjicietur Babylon illa magna civitas, & non invenietur amplius.

22. Et vox citharœdorum & musicorum & tibicinum & tubicinum non audietur in te amplius: & artifex ullus ullius artis non invenietur in te amplius: & vox molæ non audietur in te amplius.

23. Et lux lucernæ non lucebit in te amplius: & vox sponsi & sponsæ non audietur in te amplius: quia mercatores tui erant magnates terræ, quia in incantatione tua erraverunt omnes gentes.

24. Et in ea sanguis prophetarum & sanctorum inventus est, & omnium mactatorum in terra.

Vers. 1. Initium abolendæ Babylonis facit *Angelus descendens de cœlo habens potestatem magnam, à cujus gloria terra illustrata est.* Spiritus sanctus propter jus Christi efficax in multis hominum cordibus facit, ut luce veritatis omnia colluſtrentur. Is est Angelus volans per medium cœlum cap. 14: 6. 7. Es. 11: 9. promittitur futurum esse, ut *terra plena sit cognitione Domini, quemadmodum mare aquis tegitur.* Quod certe effectum est, quando *lex justitiæ*, quæ est *lex fidei* in Christum, cœpit ita illustrari, ut nuspiam non sermo de ea esset, & omnes cogerentur ei adstipulari, saltem verbis. Jam, qui *legem justitiæ* sive *viam justitiæ* novit, is novit Do-

minum. Jer. 31: 33. 34. De *via justitiæ* manifestanda sic loquitur Esaias cap. 35: 8. *via sanctitatis ita in aperto futura est, ut & stulti non errent.* Ea revelatio *legis justitiæ* permultum facit ad judicium Babylonis. Per eam enim non tantùm denudatur, quòd non sit Ecclesia, & quòd Jezabel non sit prophetissa, sed meretrix & Babylon; & ἄνοια *amentia* eorum, qui resistunt veritati, fit ἔκδηλος *manifesta*: sed etiam per eam fit, ut, quorum cordibus Deus inscribit hanc legem, non possint apud eam manere. Quia Babylon *legem justitiæ* reipsa blasphemat. Præterea per hanc illuminationem mundi fit, ut contumacia & inobedientia errantium crescat; ut non tam per stultitiam quàm per rebellionem veritati resistant: atque ita ipsa Babylon ad judicium suum matureſcat. *Nam revelatur ira Dei de cœlo in omnem impietatem & injustitiam hominum detinentium veritatem in injustitia.* Rom. 1: 18. Cæterum, quæ hujus capitis initio dicuntur, non sunt continuanda cum fine cap. 17. quasi priùs oporteat ea absolvi, quæ cap. 17. describuntur, quàm fieri incipiant ea, quæ cap. 18. describuntur. Quod ex rebus ipsis planum est.

Vers. 2. Collustrationem terræ sequitur vox ejusdem Angeli dicentis: *cecidit, cecidit Babylon* &c. Confer cap. 14: 8. Hîc amplius explicatur, quis sit ille *casus*, nempe, quòd *Babylon facta sit habitaculum dæmonum & custodia omnis spiritus immundi, & volucris impura atque exosa*, h. e. quòd, discedentibus ab ea piis & professoribus veritatis, imò, ejectis illis per anathemata Concilii Tridentini, Ecclesia Romana desierit esse locus, in quo nutriretur Ecclesia; quodque jam in ea dæmones regnent & nihil nisi spiritus immundus, & volucres impuræ, h. e. homines flatibus aëris tenebrosi hujus seculi acti, & doctores cum inauspicata voce regnum tenebrarum pervolitantes, similes corvorum & bubonum. Confer *locustas* cap. 9. & *ranas*, cap. 16. Satis manifestum est, hunc *casum* non esse abolitionem sive deletionem: quia manet *domicilium*, & postea etiam jubetur egredi populus Dei, & ipsa gloriatur in regno suo & se consolatur. Casus Babylonis primus est, quando amittit nomen Ecclesiæ Catholicæ, & se denudat, quòd sit Babylon: quando servi Dei, qui quidem scientiam habent, apud eam manere non possunt; quando extra eam colligitur & reperitur in mundo Ecclesia Catholica Reformata habens Euangelium æternum & non bibens ex poculo aureo scortationum illius; à qua se illa distinguit per nomen *Papistica*. Quando stella illa cadit de cœlo cap. 9. v. 1. tum cadit & *Babylon*. Fit enim *puteus abyssi* aut *fumus ascendens ex puteo abyssi*.

Vers. 3. Ratio casus est, *quia vino scortationis suæ inebriavit gentes.* Confer cap. 14: 8. & *reges terræ cum illa scortati sunt.* Studuerunt ei placere,

cere, non Christo (Confer cap. 17: 2.) & mercatores ex lascivia scortationis ejus ditati sunt. στρῆνος, 2 Reg. 19: 28. pro אַאֲוָן ponitur. στρηνιᾶν, quod est vers. 7. 9. Hesychius interpretatur διὰ πλοῦτον ὑβρίζειν. Arethas mutat in χλιασπαταλᾶν τῷ παρόντι βίῳ, quod est luxuriari. 1 Tim. 5: 11. est χλιαστρηνιᾶν τῷ Χριστῷ, h. e. contra Christum petulanter se efferre. Volunt derivatum παρὰ τὸ στρεῖν ἡνίας, *privare freno. Mercatores terræ* distinguuntur à *meretrice* seu *Babylone*, ut cives à civitate, h. e. civium societate. Babylonem esse emporium, jam visum est cap. 13: 17. Finis hujus civitatis est ditari in rebus terrestribus. Huc comparatæ sunt incantationes ejus & fornicationes & effrenis licentia illa & petulantia exercita contra Christum & suos: hæc causa ruendi est.

Vers. 4. Succedit alia vox ex cœlo cohortans restitantes & tergiversantes, *Ut exeant ex Babylone, ne communicent cum peccatis ejus, & accipiant de plagis ejus.* Confer cap. 14: 9. 10. Ista vox audita est in ore multorum disputantium de reliquiis Romani fermenti, seque invicem ad illas abjiciendas cohortantium. Qui egressi sunt, eos magis oportet egredi, & nihil, quod ejus proprium est, retinere. Qui in medio Babylonis adhuc vivunt, & per μόρφωσιν τῆς εὐσεβείας, h. e. Scripturam & verba fundamenti, quæ etiam apud Bestiam sunt, singulis temporibus illuminantur: ii excitantur, ut non diligant seculum hoc & ea, quæ in mundo sunt, neque se occultent aut apud errantes hærere pergant. Omnis denique, qui pro Cive populi Dei haberi vult, his verbis monetur, ut cogitet, annon in media Babylone versetur, dum putat, se Ecclesiæ Catholicæ consortem esse.

Vers. 5. Ratio ducta à communione plagarum imminentium exaggeratur. *Quia multa & magna sunt peccata Babylonis usque ad cœlum. Et Deus injustè actorum ejus recordatur.* Nota: ἠκολούθησαν αἱ ἁμαρτίαι αὐτῆς ἄχρι τοῦ οὐρανοῦ. q. d. creverunt ordine se invicem sequentia & catenæ more inter se colligata peccata ejus. Est quædam necessaria & naturalis talium errorum & talium peccatorum connexio. Inde in principio non possunt consistere, donec in Deum ipsum & regnum ejus incurrant.

Vers. 6. 7. Est adhortatio ad illam cruciandam. *Reddite ipsi, ut illa vobis* (ἀποδιδόναι hic est Hebræum גְּמַל, quod significat plenè tribuere bonum vel malum. Et τὸ ἀπὸ in compositione sæpe non vicem, sed perfectionem, notat) h. e. nolite ipsi parcere aut blandiri, vel illam excusare, sed, quemadmodum illa vos dolore affecit per suas abominationes, ita vos vicissim dolorem ei inurite demonstratione veritatis & sancta conversatione & fuga omnis erroris. *Et ingeminate ipsi duplum secundum opera ipsius.* Simplex damnum est corpore occidere vel bona eripere. Sed animas ipsis

eripere duplex jactura bestiæ est. Neque corporibus tantùm egrediendum est, ut videatur *desolata*, sed spiritu, ut revera *sit desolata*. Et, quemadmodum illa falsitatem vobis propinavit, sed sub fuco verorum verborum; ita vos ipsi temperate poculum in eodem calice verbi Dei alterum tantum, ut nihil nisi veritatem, quàm odit, ex vobis audiat. *In quantum se glorificavit & lascivivit, tantum date ipsi cruciatum*, per contemtum, *& luctum*, per secessionem perfectam sine spe reconciliationis. Quia in corde suo dicit, *sedeo regina, & vidua non sum, & luctum non videbo.* Non debetis ferre, ut illa adhuc de regno suo gloriari possit, & sibi spondere perpetuam gloriam aut sperare recuperationem ablatorum. Hinc patet, quàm noxium fuerit consilium quorundam meditantium reconciliationem: quorum inceptum fuisse causam vindemiæ agendæ & torcularis calcandi, monuimus ad cap. 14: 18.

Vers. 8. Hîc continuat judicium meretricis, sed tanquam in prædictione, ita ut verba, quæ sequuntur, possint referri ad vocem Angeli jubentis exire ex Babylone. *Propterea in una die venient ipsius plagæ, mors, luctus, fames*, h. e. occisio mœchorum & filiorum ejus, ut utrosque lugeat, tanquam vidua & orba; & *fames*, ut consolationem non inveniat, sublata voluptate, quam habuit in hoc seculo ex abundantia suæ lasciviæ. *Et igni comburetur.* Plus hîc significatur, quàm ἀνάλωσις notata cap. 14: 10. 11. Aliud etiam, quàm status bestiæ in stagno ignis. Nam κατάκαυσις significat abolitionem per ignem. Vide cap. 17: 16. Hic effectus refertur ad Dei potentiam, ut judicis. *Nam robustus est Dominus, qui illam judicat.* Notemus, tale judicium exspectandum esse, quod habeat insignem effectum divinæ omnipotentiæ.

Vers. 9. 10. *Et flebunt illam & plangent reges terræ, qui scortati sunt & lasciviverunt cum ipsa; procul stantes propter metum cruciatus ejus, dicentes: Væ, væ civitas illa magna Babylon, civitas illa valida, quod in una hora venit judicium tuum.* Ita hæc peragentur, ut potentes in hoc mundo timeant, & procul stent, neque audeant succurrere, & mirentur judicium Dei in pessumdatione istius falsæ Ecclesiæ, quæ habuit tam potentes assertores in mundo, & visa est esse inexpugnabilis, & recognoscant Dei judicium in illam.

Vers. 11. Hîc est ὑποπτωσις fletus & planctus *mercatorum terræ*, usque ad v. 17. Ratio autem plangendi est, quòd *nemo amplius ipsorum merces emat.* Quia bestia ponetur in stagno ignis cum pseudopropheta. Ergo, cremata Babylone, &, fortassis, eversâ, saltem potestate privatâ cathedrâ, supererunt tamen *mercatores terræ* venditantes suas merces, sed qui irridebuntur à plerisque. quos illi dum reprehendent, complorabunt suam sortem. Mer-

ces

ces hæ multæ sunt, quæ hîc ordine recensentur. Quanquam autem omnes hæ merces secundùm literam capi possint : siquidem hoc agitur in regno terreno, ut rebus talibus homines affluant, & ut potestas sit illa aliis venum dandi : tamen malim ἀλληγορικῶς eas accipere. *Aurum* est id, quod habetur in rebus optimum & purissimum & maximè durabile. Est emblema Dei; quem vendit Ecclesia Romana, dum vendit hominibus potestatem justificandi & Spiritum sanctum dandi ex opere operato, itemque per imagines & templa Deum devinciendi, ut ibi præsens sit iis, qui ritu ab ipsis instituto eum ibi quærunt. Item, dum vendunt officia episcopalia & imprimis ipsum thronum Papæ, quibus dicunt Spiritum sanctum præsentem esse in Concilio, & Papæ etiam extra Concilium. Vendunt etiam vitam æternam, quæ consistit in visione Dei, dum partim merentibus partim satisfacientibus remittunt peccata & attribuunt merita Ecclesiæ ac Christi superabundantia. *Argentum* nobis significat puritatem & innocentiam humanæ Christi naturæ. Certè Christum θεάνθρωπον vendunt in Missa. Si metaphoram non asperneris, aliquid simile invenies in Psalmo 15: 5. *Argentum suum non dat fœnori*, q. d. non vendit. Verbum Dei & pietatem non habet ut πορισμὸν. 1 Tim. 6: 5. *Lapis pretiosus & margaritæ* sunt Petrus & Apostoli (confer cap. 21: 14. 19. 21.) *Byssus* sunt δικαιώματα τῶν ἁγίων. confer cap. 19: 8. *Purpura* sunt passiones Christi. *Sericum*, ut id distinguamus à byssо, sit nova obedientia & sanctitas fidelium. Quæ solent appellare merita sanctorum. Ita *coccinum* erunt passiones sanctorum. *Lignum odoratum* sunt homines nati in horto Dei, prædíti spiritu vitæ & fragantia sive bonorum operum sive doctrinæ. Horum communio venalis est. Quin etiam dantur magnæ stipes, ut Papa illos canonizet, quò liceat illos invocare, & omnem voluptatem ex illis capere. *Vasa ex ebore, ex ligno pretioso, ex ære, ex ferro, ex marmore* sunt omnes, qui videntur usum habere in Ecclesia, sive doctores, sive rectores sive principes, munientes Ecclesiam, sive milites & equites in suis ordinibus, qui frangunt omnia, sive in quibus duri patientia & abstinentia spectatur, quales sunt monachi. Hos omnes habet, qui jus hujus civitatis emit.

Vers. 13. *Cinnamomum* sit donum sanationis : *suffimenta* sint orationes sanctorum ; orationes pro mortuis : imò etiam potestas orandi & offerendi pro aliis. *Unguentum* sit χάρισμα virtutum illustrium. *Thus* oblatio pro peccatis. *Vinum* verbum Dei recreans animas. *Oleum* consolatio. *Semidalis* doctrina de perfectione Christiana. *Triticum* doctrina de Christianæ pietatis initiis. *Jumenta*, quæ homines portant & laborant in arvo, sit clerus, ut loquuntur : qui venditur Episcopis. *Oves* sint Laici ; *Equi*

(ponitur hic genitivus, qui partitionem significat, ut sit ἵππων pro ἵπ-πων τινὰς. Sic Luc. 16:24. ὕδατος. Actor. 21. 16. σωπλδον καὶ τ μα-θητῶν, intellige τινὲς. Gallus *des chevaux*) sunt populi, regna, principatus. *Quadrigæ* sive *rhedæ* sint imperatorii currus. *Corpora* venduntur, cùm venditur potestas imponendi pœnas corporales, ad satisfaciendum. *Animæ hominum*, dum datur potestas occidendi, vel etiam animas ex purgatorio liberandi, in eo retinendi, denique eas gehennæ addicendi vel in cœlum mittendi. Hæc est potestas ligandi & solvendi. Meminimus, Papas etiam mandasse Angelis, ut animas occisorum in præliis pro regno papali deferrent in paradisum. Quibus illa potestas venditur, illis animæ hominum venduntur. Adde potestatem præcipiendi & obligandi conscientias.

Vers. 14. Hîc est apostrophe, qua Angelus compellat Babylonem, eique insultat, *quòd fructus concupiscentiæ anima ipsius ab ipsa abierit, & omnia opima ac splendida ab ipsa abierint, quodque illa non sit invenienda amplius.* hoc est, quod illa, quæ illectare solent homines, apud ipsam non amplius reperiantur; verbi causa dominatus externus, obedientia regum & populorum, abundantia bonorum. Ubi & emtio & venditio cessat, ibi cessant etiam illa, propter quæ lucrum appetitur, & quæ sine quæstu suppeditare non possunt.

Vers. 15. Redit ad ὑποτύπωσιν planctus negotiatorum. *Procul* (inquit) *stant propter cruciatum ejus.* Nescio, annon illud, *procul stare*, significet involuntariam recessionem & simulatam conversionem ad religionem Ecclesiæ Reformatæ.

Vers. 16. Hîc verba lamentationis exprimuntur. Quæ significant affectum erga Babylonem jam dejectam, & admirationem istius desolationis tam subitò factæ. Confer cap. 17: 4.

Vers. 17. A *mercatoribus* transit ad *naucleros*, & *nautas* & omnes *classiarios*, sive socios navales, & *qui mare exercent*; illisque tribuit similem admirationem, luctum, planctum, lamentationem.

Vers. 18. 19. *Mare* est mundus. *Naves* sunt Ecclesiæ particulares per mundum dispersæ, diœceses: *naucleri*, rectores diœcesium, Episcopi. Ita & Zach. 11:7. 13. *Nautæ* sunt canonici, clerici, monachi, abbates, regulares. Hisce tribuitur in specie, quòd *conjecerint pulverem in capita sua.* Vice mitræ, procul dubio, & coronarum, quas gesserunt. *Quæ est similis civitati isti magnæ.* Hæc verba sunt quasi circumspicientium aliquam etiam civitatem magnam in mundo, cui se dare possint; aut contendentium pro auctoritate illius civitatis, & restitutionem ejus flagitantium.

Vers.

Vers. 20. Nova apostrophe, qua Angelus compellat *cœlum*, *sanctos Apostolos*, & *Prophetas*, eosque inhortatur ad lætitiam, *quòd Deus judicium ipsorum ex ipsa judicaverit.*

Vers. 21. Introducitur Angelus, qui signo adumbret celeritatem abolitionis Babylonis magnæ. Is, *sublato magno lapide*, eoque conjecto in mare, dixit, *Sic impetu vel momento conjicietur Babylon, civitas magna*, & non reperietur amplius. Facile ex antecedentibus intelligitur, ita urbem conjectum iri in profundum, ut tamen reges, negotiatores, nautæ & nauclerí procul stantes videant illum casum. Analoga est conjectio montis magni igne ardentis in mare, cap. 8: 8.

Vers. 22. 23. Describitur civitatis illius ἐρήμωσις, *quòd musici, artifices, vox molæ, lux, lucernæ, & vox Sponsi ac Sponsæ*, in illa non sint futura amplius. Addit rationem desolationis triplicem, 1. quia negotiatores ipsius *fuerint principes terræ.* Sumtum ex Es. 23: 8. Sensus est, quia, qui docere ac regere debebant Ecclesiam, & Christo lucrari animas, se converterint ad quæstum & *mercedem injustitiæ*, quam diligebat Bileam: &, mediante quæstu, se fecerint Dominos terræ. Sive per *terram* intelligamus territoria, sive intelligamus ipsam Ecclesiam. Ita Cantic. 8: 11. accusantur *custodes vineæ* Domini, quòd *pro fructu vineæ quisque illorum domum retulerit mille argenteos.* 2. Quòd ipsius incantamentis seductæ sint gentes. De φαρμακείᾳ diximus ad cap. 9: 21.

Vers. 24. 3. *Quòd in illa sanguis prophetarum & sanctorum inventus sit, & omnium mactatorum in terra.* Sic Matth. 23: 35. Hierosolymæ imputatur etiam sanguis Abelis. Omnis homicida habet communionem cum omnibus homicidis, & reus fit omnium homicidiorum, & cum omnibus homicidis punitur. Refer huc Es. 26: 21. *Revelabit terra sanguines suos, & non amplius teget occisos suos.* Quasi dicat, in generatione hac punietur omne homicidium & Deus se demonstrabit inquisitorem sanguinis. Psalm. 9: 13.

CAPUT DECIMUMNONUM.

IN hoc capite duæ partes sunt. In prima explicatur fructus & consequentia victoriæ & judicii Babylonis; usque ad vers. 11. In secunda parte explicatur prælium Christi cum Bestia & Pseudopropheta.

1. Καὶ μετὰ ταῦτα ἤκουσα ὡς φωνὴν ὄχλου πολλοῦ μεγάλην ἐν τῷ οὐρανῷ, λεγόντων· Ἀλληλουϊά· ἡ σωτηρία, καὶ ἡ δόξα, καὶ ἡ τιμὴ, καὶ ἡ δύναμις Κυρίῳ τῷ Θεῷ ἡμῶν·

VERS. 1. *Et post hæc audivi tanquam vocem turbæ multæ magnam in cœlo, dicentis: Alleluja: Salus & gloria & honor & potentia Domino Deo nostro.*

2. Quia

2. Ὅτι ἀληθιναὶ καὶ δίκαιαι αἱ κρίσεις αὐτοῦ· ὅτι ἔκρινε τὴν πόρνην τὴν μεγάλην, ἥτις ἔφθειρε τὴν γῆν ἐν τῇ πορνείᾳ αὐτῆς, καὶ ἐξεδίκησε τὸ αἷμα τῶν δούλων αὐτοῦ ἐκ τῆς χειρὸς αὐτῆς.

3. Καὶ δεύτερον εἰρήκασι· Ἀλληλούϊα· Καὶ ὁ καπνὸς αὐτῆς ἀναβαίνει εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων.

4. Καὶ ἔπεσον οἱ πρεσβύτεροι οἱ εἴκοσι καὶ τέσσαρες, καὶ τὰ τέσσαρα ζῶα, καὶ προσεκύνησαν τῷ Θεῷ τῷ καθημένῳ ἐπὶ τῷ θρόνου, λέγοντες· Ἀμήν· Ἀλληλούϊα.

5. Καὶ φωνὴ ἐκ τοῦ θρόνου ἐξῆλθε, λέγουσα· Αἰνεῖτε τὸν Θεὸν ἡμῶν πάντες οἱ δοῦλοι αὐτοῦ, καὶ οἱ φοβούμενοι αὐτὸν καὶ οἱ μικροὶ καὶ οἱ μεγάλοι.

6. Καὶ ἤκουσα ὡς φωνὴν ὄχλου πολλοῦ, καὶ ὡς φωνὴν ὑδάτων πολλῶν, καὶ ὡς φωνὴν βροντῶν ἰσχυρῶν, λεγόντων· Ἀλληλούϊα· ὅτι ἐβασίλευσε Κύριος ὁ Θεὸς ὁ παντοκράτωρ.

7. Χαίρωμεν καὶ ἀγαλλιώμεθα, καὶ δώσωμεν τὴν δόξαν αὐτῷ· ὅτι ἦλθεν ὁ γάμος τοῦ Ἀρνίου, καὶ ἡ γυνὴ αὐτοῦ ἡτοίμασεν ἑαυτήν.

8. Καὶ ἐδόθη αὐτῇ ἵνα περιβάληται βύσσινον καθαρὸν καὶ λαμπρόν· τὸ γὰρ βύσσινον τὰ δικαιώματα τῶν ἁγίων.

9. Καὶ λέγει μοι· Γράψον· Μακάριοι οἱ εἰς τὸ δεῖπνον τοῦ γάμου τοῦ Ἀρνίου κεκλημένοι. Καὶ λέγει μοι· Οὗτοι οἱ λόγοι ἀληθινοί εἰσι τοῦ Θεοῦ.

10. Καὶ ἔπεσον ἔμπροσθεν τῶν ποδῶν αὐτοῦ προσκυνῆσαι αὐτῷ· καὶ λέγει μοι· Ὅρα μή· σύνδουλός σου εἰμὶ καὶ τῶν ἀδελφῶν σου τῶν ἐχόντων τὴν μαρτυρίαν τοῦ Ἰησοῦ. τῷ Θεῷ προσκύνησον· ἡ γὰρ μαρτυρία τοῦ Ἰησοῦ ἐστὶ τὸ πνεῦμα τῆς προφητείας.

2. *Quia vera & justa sunt judicia ejus: quia judicavit meretricem magnam, quæ corrupit terram fornicatione sua, & vindicavit sanguinem servorum suorum ex manu ejus.*

3. (*Et secundò dixerunt: Alleluja*) *Et fumus ejus ascendit in secula seculorum.*

4. *Et ceciderunt Seniores viginti quatuor & quatuor animalia, & adoraverunt Deum, qui sedebat in throno, dicentes: Amen, Alleluja.*

5. *Et vox ex throno exivit, dicens: Laudate Deum vestrum omnes servi ejus, & qui timetis eum, & parvi & magni.*

6. *Et audivi tanquam vocem turbæ multæ, & ut vocem aquarum multarum, & ut vocem tonitruum validorum, dicentium: Alleluja. Quia regnum capessivit Dominus Deus omnipotens.*

7. *Lætemur & exultemus & demus gloriam ipsi: quia venerunt nuptiæ agni & uxor ejus se præparavit.*

8. *Et datum est ei, ut amicteret se byssо pura & splendida. Nam byssus sunt argumenta justitiæ sanctorum.*

9. *Et dicit mihi: Beati, qui ad cœnam nuptiarum agni vocati sunt. Et dicit mihi: Hi sermones veri sunt Dei.*

10. *Et cecidi coram pedibus ejus, ut adorarem eum: & dicit mihi: Vide ne feceris. Conservus tuus sum & fratrum tuorum, qui habent testimonium Jesu. Deum adora. Nam testimonium Jesu est spiritus prophetia.*

Vers. 1. Primus fructus judicii Babylonis est conversio multorum ad Deum. Quæ indicatur δοξολογία multarum turbarum in cœlo. Quod attinet *turbas*, confer cap. 7: 9. ubi *turbis innumerabilibus* tribuitur similis δοξολογία; nominatim propter σωτηρίαν *salutem*, quam Deus dedit. Hic commemoratur *gloria*, *honor*, *potentia*, ut cap. 5: 12. 13. Convenit etiam δοξολογία, quæ est cap. 15: 2. 3. 4.

Vers. 2. Glorificatio hîc fit propter judicia Dei, quæ celebrantur, ut justa & vera. Nominatim commemoratur judicium *meretricis magnæ, quæ corrumpebat terram* (confer cap. 11: 8.) *sua fornicatione*. In *fornicatione* est *corruptio terræ*, h. e. corruptio Ecclesiæ in eo consistit, si doceatur non soli

Deo

Deo & Christo adhæresceré, nec per ipsum verbum Dei adducatur ad cognitionem veritatis, quæ est secundùm pietatem, & ad sapientiam ac prudentiam veram, sed abducatur ad præcepta hominum, & ut non teneat caput, patiens se in ordinem redigi ab illis, qui motu proprio & voluntatis propriæ instinctu leges dant, & sibi judicium secundùm eas leges arrogant; & cum illis peccet. Quemadmodum clarè Apostolus docet Coloss. 2. v. 16.—23. Qui Christi nomen suscipiunt, & verbum Euangelii audiunt, hactenus *terra* sunt: quæ accipit semen ad fructum. Sed, quando fructus impeditur, aut malum semen ad fructum malum superseminatur, & mali fructus educantur, boni autem strangulantur, *terra corrumpitur.* Vel ex hoc solo cognosci potest, *Meretricem* significare illos, qui in Ecclesia, h. e. inter medios fideles docent *scortari.* Nam *terra* Ecclesiam significat. Si igitur requirendum est, an tales exstiterint, vel sint, in promtu est scire, esse aliquos, qui corrumpant terram. Nam in Ecclesia Catholica schisma factum est, ita ut alii dissentientes à se vocent hæreticos, illi vicissim vocent eos, à quibus damnantur, Babylonem. Necesse est, vel hos vel illos esse terræ corruptores. Ut igitur deprehendamus eos, videndum est, quinam doceant *scortari.* Sed hoc ex ipsa voce manifestum est. Nam ea mulier scortatur, non, quæ maritum suum solum amat & timet, sed, quæ alium, præter maritum, amat & timet, eique obedit. Si quis hîc dicat, se homines velle haberi ut paranymplos, non ut sponsum: is ea ratione non evadet. Nam quæ est causa damnandi illos, qui postulant se doceri ex solo verbo Dei, & sibi demonstrari, quòd Christus hominibus certis, quos homines nuncupant Papas, Episcopos potestatem habentes in presbyterium & Ecclesiam, dederit illam potestatem & auctoritatem definiendi & proponendi legem fidei & actionum? Annon propterea, quia detrahunt fidem verbo, nisi ab ipsis proponatur, & negant nos verbis Christi doceri aut omnia doceri posse, & volunt sibi obediri ab hominibus, etiam quando non narrant verbum Dei (ut Christus narrabat ad præscriptum) neque demonstrant ex scripturis vel suam ad docendum auctoritatem vel id, quod docent, & teneri præcipiunt? Alteruter igitur sive dubio scortatur. Nam Prophetia mentiri non potest. Quis ergo? Illene, qui cupit audire verba Christi, ut ipsius discipulus; an ille, qui hunc hæreticum vocat, quia hominum dicta ad verba Christi examinat? Porrò laudatur Deus, quòd *vindicaverit sanguinem servorum suorum ex manu ipsius.* Confer cap. 6: 10. 11.

Vers. 3. *(Et iterum dixerunt Halleluja) & fumus ejus ascendit in secula.* Nova ratio celebrandi Deum est, quia Babylon exstincta est in perpetuum, quasi semper ardeat, & incendium ipsius nunquam restinguatur. Confer c. 14. 11.

Vers. 4. Turbis junguntur *presbyteri* 24. & 4. *animalia*, *qui adorarunt Deum sedentem in throno dicentes*, *Amen Halleluja*. *Amen* significat approbationem ejus, quod Deus ut justum exigit. Hinc *Deus Amen* appellatur Es. 65: 16. quia liquidò ipsi, laudem veritatis suæ stipulanti, creatura respondere potest *Amen*.

Vers. 5. Huic glorificationi succinit *vox ex throno*, inhortans *servos Dei omnes*, *& timentes ipsum parvos & magnos*, *ad laudandum Deum suum*. Quo significatur, primò, fideles ex scripturis habituros consolationem, quòd illo tempore securè Deum laudare possint, sine metu adversationis regni oppositi; deinde, Deum eo tempore nihil aliud postulare à timentibus se, quàm ut laudetur ab ipsis, ut *Deus ipsorum*. Quod quum dicit, rejicit omnes nominatos Deos, secundùm formulam Testamenti Novi: quæ exstat Jer. 31: 33. 34. *Ego do legem meam in medio eorum* (ut non habeant opus vel verba, per quæ doceantur, vel clavim cognitionis à quoquam mendicare) *& in cordibus eorum inscribam eam*, *& fiam ipsis in Deum* (in quo etiam continetur, Ego ero Rex eorum & doctor ipsorum, Es. 33: 22.) *& illi erunt Mihi populus*: *& non docebunt amplius alter alterum*, h. e. nulli subjicientur, qui aliud verbum acceperit, quàm quod ad omnes pervénit, quod necessarium sit audire ad *cognoscendum Deum*. quia, in quorum corda inscripta fuerit lex Dei, ii *cognoscent dominum*, *& magni & parvi*. Confer 1 Joh. 2: 27. Alludunt verba ad Psalm. 115: 13.

Vers. 6. 7. 8. Sequitur multiplex *vox tanquam turba multa*, *tanquam aquarum multarum*, *tanquam tonitruum validorum*, *dicentium Halleluja*: *quia Dominus Deus ille omnipotens regnum accepit*: Et se *ad lætitiam & exultationem*, *& dandam gloriam ipsi* cohortantium, *quia venerunt nuptiæ agni & uxor ejus sese præparavit*. Quippe cui datum sit *se induere byssino puro & splendido*. Cum explicatione, quòd *byssinum sint justitiæ sanctorum*. Hisce significatur, Evangelium de regno Dei, & de instante resurrectione mortuorum, ut sponsa Christi cum ipso in perfecto gaudio triumphet, sine ulla vilitate atque miseria membrorum corporis Christi, magis magisque indies per totum mundum celebre atque clarum fore, ut semper vox sequens priorem claritate superet, quemadmodum vox aquarum multarum superat vocem turbarum & vox tonitruum fortium superat vocem aquarum. De *regno capto*. vide cap. 11: 15. Lætitia & ἀγαλλίασις, & datio gloriæ est *festum* illud σκηνοπηγίας, *tabernaculorum*, quod Zacharias prophetat celebrandum Hierosolymis ab omnibus gentibus, postquam *Deus solus rex factus fuerit*. Zach. 14: 9. 16. Præparatio sponsæ est in spe Ecclesiæ desiderantis occurrere resurrectioni mortuorum. Phil. 3: 11. Argumentum imminentis resurrectionis mortuorum sumitur ab ornatu sponsæ.

Quando

Quando enim sponsa ornatur, id signum est; instare nuptias. Ornatum fatentur esse donatum, non sumtum. Ergo & voluntas sponsi, cujus vestibus ornatur sponsa, ex illius ornatu noscitur, quòd scilicet paratus sit illam deducere domum. Ornatus is est *in byssino puro & splendido.* Non hic jam amplius duo testes prophetant in saccis. Non est amplius vel æstimatur meretrix, se falsò jactans indumentis sponsæ. Non sunt amplius βδελύγματα: sed sunt *stolæ albæ & palmæ*, est *byssus pura & splendida*, nempe τὰ δικαιώματα τ ἁγίων: hoc est, verba vera & Deo glorioſa, & actiones emendatæ, quibus sancti celebrantur in mundo, quæ sunt in ipsis fructus justitiæ, & signa justificationis, quibus quotidie *justificantur.* Confer cap. 22: 11. Δικαίωμα aliquando significat justum præceptum; aliquando judicium; aliquando causam justitiæ, sive juris filiorum post multa peccata; hîc autem δικαίωματα significant verba & facta justitiæ sanctorum consentanea, & illam manifestantia. Hoc enim tantùm potest hoc vocabulum significare hoc loco, ut maneat ἀναλογία ἡ πίστεως, *conformitas fidei.*

Vers. 9. Jubetur Johannes scribere, *beati, qui sunt vocati ad nuptias agni*, hoc est, quos Deus verbo suo & spiritu illuminavit, ut videant beatitudinem nuptiarum agni, & quorum voluntatem sanctificat, ut participes illarum nuptiarum esse desiderent, seque ornent ad illas. Neque enim intelliguntur, qui tantùm sunt invitati & compellati; & non sunt ἡτοιμασμένοι *parati.*

Vers. 10. *Et cecidi ad pedes ipsius, ut ipsum adorarem: & dicit mihi: vide ne; conservus tuus sum & fratrum tuorum.* His verbis significatur libertas Ecclesiæ Christianæ. Non sumus servi Angelorum, sed Angeli Christo subjecti nostri conservi sunt. Oppositum hoc τῇ θρησκείᾳ τ ἀγγέλων *cultui angelorum*, &, qui cum eo consociatur, cultui sanctorum defunctorum. Conservis non debetur *servitus* vel *adoratio.* *Quotquot habent testimonium Jesu*, non servi sunt, sed liberi. *Nam & spiritus prophetiæ est testimonium Jesu.* hoc est, spiritus, qui per prophetas locutus est, Jesum testatus est unicum Dominum omnium & ipsorum Angelorum, & copulatorem eorum, quæ sunt in cœlis & quæ sunt in terris. Ephes. 1. vers. 10. Nuspiam in sermone prophetico loquitur Filius Dei, ut Angelos assumens, ut illis subjiciat orbem habitabilem futurum; sed ubique loquitur, ut גֹּאֵל יִשְׂרָאֵל vindex & assertor seminis Abrahami, Israëlis. Igitur non debent ii, qui à Christo redemti sunt, se subjicere Angelis, aut eos adorare: quum Angeli ipsi eum adorent, & ipsi ministrent; fideles autem liberi sint, ut nemini, nisi Deo, in libertate, h. e. in amore & lætitia, serviant. *Spiritus prophetiæ est testimonium Jesu.* h. e. 1. Spiritus, qui in prophetis locutus est, testatur de Jesu. Psalm. 40. *De me in volumine*

libri scriptum est, h. e. in toto libro. Actor. 10: 43. *Huic omnes prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus omnem, qui credit in ipsum.* Confer etiam Actor. 3: 21. 24. 2. Spiritus, qui fuit in prophetis & per eos locutus est, est testimonium & argumentum, quòd venturus esset Christus; qui est Jesus. Nemo enim potuit accipere spiritum prophetiæ & sanctificationis, nisi à Mediatore. Nam Deus non potest habere communionem cum peccatore, nisi in Mediatore, & propter eum. Cum quo unum simus per ipsius Spiritum. Idcò dicuntur & Prophetæ *spiritum Christi* habuisse. Quin & nulla fuisset prophetia, si non esset testimonium Jesu. Quia non potuit vita æterna promitti aut dari, nisi in ipsius nomine. 3. In nemine est *spiritus prophetiæ*, h. e. faciens intelligere promissiones Dei & eis credere, nisi in quo est *testimonium Jesu*. Contra, in quo est *testimonium Jesu*, in eo est *Spiritus Prophetiæ*. 4. Quare non est in Novo Testamento prophetia singularis & ἰδίας ἐπιλύσεως, *privatæ explicationis* sive propositionis (quasi prophetia sit hominum certorum privilegium) sed omnes, qui *habent testimonium Jesu*, sunt *prophetæ*, & hi *norunt omnia*, neque debent aliquid accipere, quod inauditum sit; quia testimonium Jesu auditum est, & in eo debent omnia, quæ ab hominibus dicuntur, convenire & concentrari. 5. Spiritus Prophetiæ testatur solum Jesum Dominum, non autem Angelos. Hebr. 2. vers. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 15. 16.

11. Καὶ εἶδον τὸν οὐρανὸν ἀνεῳγμένον, καὶ ἰδοὺ ἵππος λευκός, καὶ ὁ καθήμενος ἐπ' αὐτὸν καλούμενος πιστὸς καὶ ἀληθινὸς, καὶ ἐν δικαιοσύνῃ κρίνει καὶ πολεμεῖ.

12. Οἱ δὲ ὀφθαλμοὶ αὐτοῦ ὡς φλὸξ πυρός· καὶ ἐπὶ τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ διαδήματα πολλά· ἔχων ὄνομα γεγραμμένον, ὃ οὐδεὶς οἶδεν, εἰ μὴ αὐτός·

13. Καὶ περιῤῥεραμμένος ἱμάτιον βεβαμμένον αἵματι· καὶ κέκληται τὸ ὄνομα αὐτοῦ· Ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ.

14. Καὶ τὰ στρατεύματα τὰ ἐν τῷ οὐρανῷ ἠκολούθει αὐτῷ ἐπὶ ἵπποις λευκοῖς, ἐνδεδυμένοι βύσσινον λευκὸν καθαρόν.

15. Καὶ ἐκ τοῦ στόματος αὐτοῦ ἐκπορεύεται ῥομφαία ἐξέτη, ἵνα ἐν αὐτῇ πατάξῃ τὰ ἔθνη· καὶ αὐτὸς ποιμανεῖ αὐτοὺς ἐν ῥάβδῳ σιδηρᾷ· καὶ αὐτὸς πατεῖ τὴν ληνὸν τοῦ οἴνου τοῦ θυμοῦ τῆς ὀργῆς τοῦ Θεοῦ τοῦ παντοκράτορος.

16. Καὶ ἔχει ἐπὶ τὸ ἱμάτιον καὶ ἐπὶ τὸν μηρὸν αὐτοῦ τὸ ὄνομα γεγραμμένον· Βασιλεὺς βασιλέων καὶ Κύριος κυρίων.

VERS. 11. *Et vidi cœlum apertum: & ecce equus candidus, & sedens in eo nominatus Fidelis & Verus, & in justitia judicat & belligerat.*

12. *Oculi autem ejus, ut flamma ignis: & in caput ejus diademata multa: habens nomen scriptum, quod nemo novit, nisi ipse.*

13. *Et amictus veste tincta sanguine: & vocatur nomen ejus, Sermo Dei.*

14. *Et exercitus, qui in cœlo, sequebantur eum in equis albis, induti byssinum candidum & purum.*

15. *Et ex ore ipsius procedebat romphæa acuta, ut in ea feriret gentes: & ipse pascit eas in virga ferrea. & ipse calcat torcular excandescentia & iræ Dei omnipotentis.*

16. *Et habebat in veste & in femore suo nomen illud scriptum; Rex regum & Dominus dominorum.*

17. *Et*

17. Καὶ εἶδον ἕνα ἄγγελον ἑστῶτα ἐν τῷ ἡλίῳ· καὶ ἔκραξε φωνῇ μεγάλῃ, λέγων πᾶσι τοῖς ὀρνέοις τοῖς πετωμένοις ἐν μεσουρανήματι· Δεῦτε καὶ συνάχθητε εἰς τὸ δεῖπνον τὸ μέγα τοῦ Θεοῦ,

18. Ἵνα φάγητε σάρκας βασιλέων, καὶ σάρκας χιλιάρχων, καὶ σάρκας ἰσχυρῶν, καὶ σάρκας ἵππων καὶ τῶν καθημένων ἐπ' αὐτῶν, καὶ σάρκας πάντων ἐλευθέρων καὶ δούλων, καὶ μικρῶν καὶ μεγάλων.

19. Καὶ εἶδον τὸ θηρίον, καὶ τοὺς βασιλεῖς τῆς γῆς, καὶ τὰ στρατεύματα αὐτῶν συνηγμένα ποιῆσαι πόλεμον μετὰ τοῦ καθημένου ἐπὶ τοῦ ἵππου καὶ μετὰ τοῦ στρατεύματος αὐτοῦ.

20. Καὶ ἐπιάσθη τὸ θηρίον, καὶ μετ' αὐτοῦ ὁ ψευδοπροφήτης ὁ ποιήσας τὰ σημεῖα ἐνώπιον αὐτοῦ, ἐν οἷς ἐπλάνησε τοὺς λαβόντας τὸ χάραγμα τοῦ θηρίου, καὶ τοὺς προσκυνοῦντας τῇ εἰκόνι αὐτοῦ· ζῶντες ἐβλήθησαν οἱ δύο εἰς τὴν λίμνην τοῦ πυρὸς τὴν καιομένην ἐν θείῳ·

21. Καὶ οἱ λοιποὶ ἀπεκτάνθησαν ἐν τῇ ῥομφαίᾳ τοῦ καθημένου ἐπὶ τοῦ ἵππου, τῇ ἐκπορευομένῃ ἐκ τοῦ στόματος αὐτοῦ· καὶ πάντα τὰ ὄρνεα ἐχορτάσθησαν ἐκ τῶν σαρκῶν αὐτῶν.

17. *Et vidi unum Angelum stantem in sole, & clamavit voce magna, dicens omnibus avibus volantibus in medio cœlo: Venite & congregamini ad cœnam magni Dei,*

18. *Vt comedatis carnes regum, & carnes tribunorum, & carnes robustorum, & carnes equorum & sedentium in eis, & carnes omnium liberorum & servorum, & parvorum & magnorum.*

19. *Et vidi Bestiam & reges terræ & exercitus eorum congregatos ad faciendum bellum cum sedente in equo, & cum exercitu ipsius.*

20. *Et prehensa est Bestia, & cum ea Pseudopropheta, qui fecerat signa coram ea, quibus seduxerat eos, qui acceperunt signaturam Bestiæ, & adorantes imaginem ejus. Vivi conjecti sunt ambo in stagnum ignis, quod ardet sulphure.*

21. *Et reliqui interfecti sunt romphea sedentis in equo, quæ exit ex ore ejus. & omnes volucres satiatæ sunt de carnibus eorum.*

Vers. 11. Secunda pars capitis, ut diximus, est ἐπεξήγησις sive expositio rerum antea involutiùs dictarum. Repræsentatur prælium diei magnæ, quo occiduntur reges, & bestia comprehenditur, ac cum illa pseudopropheta. Propheticas visiones, quæ sequuntur, non significare semper rem consequentem, ita ut, quod prior visio docet, sit totum prioris temporis; quod sequens, totum sit posterioris temporis: ex solo Daniele & Zacharia satis potest constare. Ita in Apocalypsi semper Novus Typus profertur cum distinctiori rerum quarundam explicatione. Etiamsi igitur Babylon jam cap. 18. visa fuerit conjecta in mare, tamen hîc præcedentia rursus explicantur, quæ desinunt in Bestiæ & pseudoprophetæ conjectionem in stagnum ignis. *Vidi*, inquit, *cœlum apertum, & ecce equus albus, & sedens in illo nuncupatus fidelis & verax, qui in justitia judicat & belligerat. Vidi cœlum apertum.* Quando stabat tabernaculum prius in terra, & cùm sacerdotes tum reliqui Israëlitæ coacti sunt apud altare consistere & ibi ministeriis fungi, via sanctuarii non fuit manifestata. Hebr. 9: 8. Quæ via recens & viva per velum, h. e. carnem Christi, initiata est in Christi morte. Hebr. 10: 19. 20. 21. 22. Nam, quando Christus mortuus est, jus resurgendi & in gloriam intrandi obtinuit, ut coram facie

Dei pro nobis appareret, & nos in ipso propè accederemus ad Deum: quemadmodum sacerdos maximus, quum in jejunio hircum in altari obtulisset, jus habebat intrandi in intimum tabernaculum. Sed ille quidem habebat sanguinem, quo terrestria sancta purificabantur. Ideò quotannis oportebat eum ritum instaurari: neque per eum sanguinem datum fuit omnibus Israëlitis vel uno die videre arcam positam in adyto. At Christus habuit meliorem sanguinem, quo ipsa cœlestia semel, facta peccati abolitione, purificavit, & in ea ipse ut præcursor noster ad Patrem intravit, ut sederet ad dextram Dei, usque dum omnes hostes ipsius ponantur scabellum pedum ejus. Qui igitur in eum credimus, credimus in eum & sedentem ad dexteram Dei & pro nobis interpellantem & volentem nobis dare regnum. Ita *prope accedimus*, & ex eo effunditur in nos spiritus adoptionis filiorum per fidem Euangelii. Ergo propter hanc causam vidit Johannes *cœlum apertum*. Quemadmodum autem Es. 19: 1. Deus dicitur *in nube levi advehi in Ægyptum*, quo significatur, Deum suo tempore cum Euangelio & Spiritu suo in mundum venire, & nominatim in id Imperium, quod & Ægypti similitudinem habebat, & Ægyptum veram complectebatur: ita hic dicitur Christus *in equo albo* prodire, h. e. ut *princeps pacis*, se manifestans in filiis & nunciis pacis. Confer Apoc. 6: 2. Nam, in quibus Christus vivit & regnat & per quos se exhibet mundo, ut volens regnare in eo, ii cum equo apertissimè comparantur. Vide Zachar. 10: 5. Vocatur *fidelis*, quia fidem suorum non destituit, nec spem: *Verus*, quia jam id agit, ut promissiones suas & Patris impleat ac repræsentet. *Et in justitia judicat ac belligerat.* Idem Salvator est & donorum ac promissorum Dei exhibitor, idem judex; quia filius hominis est. Salvat per gratiam; *judicat* inobedientes. Non potest absolvere eos, qui salutem illam magnam negligunt. Debet enim justitia Dei & regnum ejus obtinere, postquam ipse consedit in throno. *Justitia*, quam amat; *justitia*, quam adduxit, quam prædicavit, cui homines jubet se subjicere, quam donat suis; *justitia* ipsius, sive jus salvandi oves suas; non patitur, ut non *judicet*: nempe ut non consoletur, qui in ipsum credunt; & non ostendat, iræ filios esse, qui ipsum respuunt. Es. 11: 4. *Et judicabit in justitia tenues, & demonstrationem faciet in æquitate mansuetis terræ; & percutiet terram virga oris sui, & spiritu labiorum suorum interficiet improbum. Et belligerat:* Quia non cessat usque ad ultimum diem hoc agere, ut populum sibi colligat, & in mundo regnet, & Diabolum conterat sub pedibus Ecclesiæ. *In justitia belligerat.* Es. 11: 5. *Et erit justitia cingulum lumborum ejus & veritas cingulum renum ejus.* h. e. justitia Dei, justitia ipsius, sive jus regnandi ipsius, justitia Ecclesiæ donata erit ipsi causa & incitamentum

tum ad agendum & efficaciter operandum & bellum gerendum. Es. 41: 2. *Quis excitavit ab oriente, cui justitia occurrit ad omnem gressum ejus?* Es. 56: 1. *Propinqua est salus mea, ut veniat* cum effectu, salvatione gentium; *& justitia mea, ut reveletur.* Es. 59: 16. *Justitia ejus eum fulcivit, & induit justitiam, velut loricam.*

Vers. 12. *Oculi ipsius, ut flamma ignis.* Confer cap. 1: 14. & 2: 18. 23. *Et in capite ipsius diademata multa*; quia data est ipsi potestas omnis in cœlo & terra, & omnia regna debent ipsi servire. Reges & reginæ ipsi & populo ipsius serviunt. Regum ipsi servientium coronæ sunt ipsius coronæ. *Habens nomen scriptum, quod nemo novit, nisi ipse.* h. e. quod nulla creatura comprehendit. Quemadmodum Marc. 13: 32. dicitur, neminem nosse diem ultimi judicii, nisi Patrem; ita hîc, neminem nosse nomen Filii, nisi Filium: quia una est tantùm cognitio nominis istius divina, qua Filius solus se ipsum novit, quia & Patrem novit; & Pater solus novit Filium, quia & se novit. Nomen Christi est *mirabilis* Es. 9: 5. *Quantum est nomen ejus, & quantum est nomen filii ejus, ut cognoscas?* Prov. 30: 4. Nec tamen hîc tantùm indicatur incomprehensibilitas; sed etiam ignoratio ejus, quæ est in creaturis, nisi ipse revelet, in quantum id à creatura cognosci potest. Vide rursus Matth. 11: 27. Joh. 3: 33. 1 Cor. 2: 14. Joh. 3: 3. 6. Ergo nullus est hominum, qui sit revelator istius nominis, sed, quicunque cognoscunt, cognoscunt per ipsum. Hic Papa vel cum discipulis collocatur vel extra discipulos. Nam, si is non novit nomen Christi, nec aliis potest revelare. *Scriptum* id nomen est. Nam *de eo scriptum est in volumine libri.* Psalm. 40: 8. In Scriptura exstat hoc nomen, h. e. Deus per scripturam testatus est ea, quæ oportet de Christo credere.

Vers. 13. *Et veste amictus tincta sanguine*, quia & in carne sua & in membris patitur. Coloss. 1: 24. Signum Ecclesiæ potiùs est consortium passionum Christi, quàm effusio sanguinis illorum, qui testantur, se ipsi soli credere, & aspernantur auctoritatem humanam, & verbum, quod Christus non dixit, & non possunt convinci contrarii. *Et nominatur nomen ejus SERMO DEI.* Vide Joh. 1: 1. & 1 Joh. 1: 1. Hîc maximè spectari puto, quòd Christus *verba Dei loquitur.* Joh. 3: 34. ita ut *credamus per ipsum in Deum.* 1 Petr. 1: 21. Hoc oppositum est gloriationi falsæ Antichristi, qui, dum se dicit vicarium Dei & Christi, principem Ecclesiæ, testem necessarium ad indicandum, quod sit verbum Dei, & dictatorem legum non scriptarum, quas motu proprio Ecclesiæ imponit: se *sermonem Dei* & vocem ejus jactat. Christus solus est sermo Dei & imago Patris, in cujus voluntate & motu proprio voluntas Patris cernitur, quia

quia unum est cum ipso. Vocabulum hoc, quod instar nominis proprii habet, nemini communicatur.

Vers. 14. *Et exercitus, qui erant in cœlis, sequebantur ipsum, in equis albis, induti byssino candido & puro.* Angeli possunt intelligi per exercitus cœlestes. Sed tamen & fideles adhuc mortales in cœlo sunt, ratione πολιτεύματος. Ita hîc habemus duplex caput Sermonem Dei, & Pseudoprophetam, & statum fidelium liberum à jugo pseudoprophetæ, ut sint jam facti exercitus cœlestes. *Equi albi*, quibus vehuntur, significant Ecclesiam, cujus communionem habent singuli. Ita omnes sancti sunt singulis fidelibus equus albus. *Byssinum candidum & purum* sunt verba vera, vita non inquinata, certè abominationibus Antichristianis, & per quotidianam resipiscentiam magis magisque purgata. Confer vers. 18. & cap. 14. vers. 4.

Vers. 15. *Et ex ore ipsius exit gladius acutus.* Confer cap. 1: 16. Is gladius est partim verbum Euangelii Hebr. 4. vers. 2. partim sententiæ Christi judicis pronuntiatæ in immorigeros; quarum effectus sunt magnæ plagæ ipsis irrogatæ. *Et ipse pascet gentes virga ferrea.* Confer cap. 12: 5. *Et ipse calcat torcular vini excandescentiæ & iræ Dei omnipotentis.* Vide Es. 63: 3. 4. 5. 6. Calcatio torcularis est labor Christi, quem is exantlat in destructione peccati. Igitur huc referenda est ante omnia Christi passio, qua condemnavit peccatum, ut non amplius regnaret in suis, aut eos traheret ad mortem vel etiam sub accusatione reatûs retineret. Deinde vero efficacia meriti ipsius, ut, deleta omni rebellione carnis, solus regnet, & quidem in pace. *Cum Christo vetus noster homo crucifixus est, ut aboleatur corpus peccatorum, ne amplius serviamus peccato.* Rom. 6: 6. Ea vis & efficacia crucifixionis Christi est, ut propter eam oporteat aboleri vetustum nostrum hominem; quod fiet in abolitione corporis hujus mortalis, in quo quamdiu sumus, tamdiu cum concupiscentiis ejus conflictamur. Quòd si ea vis est & efficacia crucifixionis Christi in electis: non putamus, Christi crucifixioni & morti & fusioni sanguinis ipsius hoc deberi, ut hostes ejus omnes supponantur pedibus ipsius? Est hic *lacus vini excandescentiæ & iræ Dei omnipotentis.* Quia zelus Dei & odium peccati imposuit Christo omnem illum laborem; quatenus Deus non voluit mundum perire, neque adeò ipsos improbos voluit judicare nisi postquam potentiam suam & longanimitatem suam & gratiam in electis multimodis ostendisset, & illos omnibus rationibus ἀναπολογήτους demonstrasset. *Vinum*, quod ab excandescentia Dei ex lacu hoc fluit, est sanguis omnis carnis, & nominatim populorum contumacium. Et hinc Christo attribuitur, quòd evertat omnes filios Sethi. Num. 24: 17. Apostolus dicit

1 Cor.

1 Cor. 15: 24. *Quum aboleverit omnem principatum & omnem potestatem ac potentiam.* Hinc est, quod omnia ὑψώματα destruuntur & rebelles puniuntur.

Vers. 16. *Et habet in vestem & in femur suum nomen hoc scriptum, Rex regum & Dominus dominorum.* h. e. cujus omnia sunt propria, & qui habet imperium in omnes. *In femur*, quia nomen ipsius pro gladio est (Vide Psalm. 45. vers. 4.) aut pro balteo, quia ipsi est causa ἑτοιμασίας. (Vide Es. 11. v. 5.) aut pro roboramento crurum ac pedum ad calcandum torcular. *In vestem*, quia ad hoc venit in carne & mortuus est & resurrexit. Rom. 14. v. 2. Nam corpus Christi ipsi pro veste est. Adde, quòd membra ipsius hujus nominis stigmate ab alienis distinguuntur. Apoc. 14. v. 1. Galat. 6. v. 17.

Vers. 17. In sequentibus est ὑποδύπωσις cladium, quæ post revelatum Euangelium orbi incumbunt, & termini illarum. *Vidi Angelum stantem in sole & clamabat voce magna.* Ut simpliciſſimè hoc interpretemur, *solem* dicamus esse tum primam prædicationem Euangelii per Apostolos & eorum discipulos; tum deinde prædicationem *Euangelii æterni*, cap. 14: 6. Idem sanè est Euangelium, sed prædicatio differt. Primo tempore ab Apostolis sincerè & purè prædicatum est. Sed paulatim invaluerunt tenebræ & zizania. Secunda prædicatio proficit per multas disceptationes & titubationes ad majorem semper lucem & puritatem. In omni sermone maximè *Solis* nomen meretur *JUSTITIA*. Hic apex & nucleus doctrinæ secundùm pietatem est. Unde & Christus *Sol justitiæ* appellari voluit Malach. 4. v. 1. Esaias cap. 11. v. 9. prophetat, fore, ut *terra plena sit cognitione Domini, ut aquæ mare tegunt:* nempe in pace, quam Deus daturus erat Ecclesiæ à *corruptione* vindicatæ. Ergo, Angelum *stare in sole*, dicamus, notare, quòd in illa manifestatione contineatur manifestatio prophetiarum, tales clades prænunciantium, cum eo eventu, ut Bestia & Pseudopropheta capiantur &c.

Dicens volucribus omnibus volantibus in medio cœli; venite & congregamini ad convivium Dei magni, ut comedatis carnes regum &c. Talis invitatio volucrium & ferarum est & Ezech. 39: 17. Vide, si placet, conjecturam nostram de Gog & Magog. Etiam Es. 56: 8. 9. similis est citatio ferarum terræ. *Dixit Dominus Deus, congregans dispersos Israëlis: adhuc colligam ad ipsum, ad congregatos ejus. Omnes feræ agri, venite ad comedendum omnes feras in sylva.* Quæ citatio ferarum agri notat vocationem sive adductionem Barbararum gentium, ut sese effunderent in meditullium orbis Romani, & superbos in eo devorarent, populosque suos prope adducerent, ut Christus etiam ex iis colligeret suos. Interim vi hujus vocationis etiam

illa fiunt, de quibus Apocalypsis propriè loquitur. Ea enim loquitur de his, quæ accidunt cum revelatione Euangelii æterni, quia est tanquam præconiatio Angeli stantis in Sole, ut diximus. *Epuli diei magnæ* etiam mentio fit Es. 25. v. 6. *Et faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium opimorum convivium fecum, opimorum medullatorum fecum faccatarum.* h. e. convivium delectabile mutabit in convivium acerbum & lamentabile. *Et abolebit in monte hoc faciem tegumenti, quo teguntur omnes populi &c.* h. e. injusti reiminis, quod incumbit gentibus, & doctrinæ seductionis, quæ impedit cognitionem veritatis. *Abolet mortem in perpetuum.* Clarum est, ea cum Apocalypsi convenire. Huc etiam referenda sunt, quæ Apocal. 6. v. 15. 16. 17. supra vidimus. Alites volantes in media cœli regione non tantùm κατὰ τὸ ῥητὸν sive propriè intelligere possumus, sed gentes rapaces vagari solitas & incursionibus in aliena regna assuetas. In earum numero sunt fortasse *reges ab Oriente.* Cap. 16. v. 12. Quod dicit, *congregamini*, suspicionem facit de constitutione Imperii alicujus magni, in quo multæ gentes sub Monarcha uno contineantur, ut ita volucres hæ venire possint agminatim. Omitto nunc, de quibus dixi, Barbararum gentium in Imperium Romanum effusionem: item dominationem Sarracenorum, quæ in multas dynastias sparsa tandem per Otomannidas videtur esse coadunata; nisi quòd adhuc Persæ, Tartari & Otomannidæ dissociantur. Notabilis autem est progressus Otomannidarum, post Constantinopolin expugnatam; quod factum est anno 1453. atque ita Imperium Christianorum in Græcia finitum. Selimus, Solimanni parens, per Syriam in Ægyptum profectus reliqua Orientis suo Imperio aggregavit. Factum id est anno 1516. & 1517. Primum prælium cum Camsone, ut Calvisius annotat, mense Augusto accidit. Ante majum sequentis anni omnis Syria, Arabia, Ægyptus, victo Tomumbejo & regno Mamlucorum abolito, Turcis paruit. Ex eo tempore Sarracenicæ res partim in Turcas, partim in Persas translatæ fuerunt. Sunt autem Turcæ gens alia, quàm Sarracenica. Hanc historiam notamus etiam propter prophetiam Es. 21. v. 16. *Dum annus agitur* (quasi dicas intra annum vertentem) *quales sunt anni mercenarii, consumetur omnis gloria Kedar,* hoc est, regnum Arabum, quod illi post fugam Judæorum habituri sanè potentissimum & latissimum. Ex quo tempore clarissimè Sol Euangelii cœpit emicare, cœpit etiam in ipso effectu apparere & cognosci vox Dei vel Angelorum ejus prophetarum, qua multæ aves congregatæ sunt in unum ad epulum Dei. Quantis cladibus Solimannus Selimi filius rem Christianam affecerit, ex Historiis cognosci potest. Deus autem novit, an ulterior futura sit avium illarum congregatio, & illarum adductio in mon-

montem Dei, ut vorent carnes regum & principum, & tribunorum &c. Convivium magni diei, ad quod vocantur aves, nihil est nisi copia, seu facultas occidendi multos homines, reges, principes, tribunos, vel etiam carnem ipsorum dandi pabulum alitibus cœli; de qua loquitur Esaias cap. 30. v. 25. *Et erunt in omni monte alto & in omni clivo elato distincti rivi aquarum in die occidionis magnæ, cùm cadent turres, aut arces.* Etiam cap. 33. v. 18. 19. Simul abolitio multorum dignitate præstantium per populum Barbarum prænunciatur, & Ecclesiæ in certa parte promittitur, quod illum populum Barbarum non sit visura. *Cor tuum meditabitur terrorem: ubi scriba? ubi trutinator? ubi numerans arces? populum fortem non videbis, populum profundorum labio, præut audiatur; subsannabilem lingua sine intelligentia.* Confer cum his Hos. 6. v. 11. Habac. 3. v. 16.

Vers. 19. *Et vidi Bestiam & reges terræ & exercitus illorum collectos ut facerent bellum cum sedente in equo, & cum exercitu ipsius.* Jam cap. 9. v. 16. & 16. v. 14. 16. de hoc bello aut hujus quodam actu dictum est. Etiam cap. 20. v. 8. 9. de eodem erit mentio. Congregationis hujus etiam meminit Esaias cap. 66. v. 18. *Et, quod me attinet, opera ipsorum, & cogitationes ipsorum sunt ad congregandum omnes gentes & linguas, & venient, & videbunt gloriam meam.* Congregatio illa constitit partim in adunatione omnium sub legem Bestiæ; ut omnes velint Ecclesiam exstinctam: partim in fœdere, de mutuis auxiliis sibi ferendis, in bello contra Ecclesiam. Quod fœdus *Societas sacerdotum* vocatur. Hos. 6. v. 9. Bellum autem illud geritur vel apertè & directè vel dissimulanter.

Vers. 20. *Et prehensa est Bestia & cum illa Pseudopropheta ille, qui fecerat signa coram ipsa, quibus deceperat accipientes signaturam Bestiæ & adorantes imaginem ipsius. Vivi conjecti sunt hi duo in stagnum ignis, quod ardet sulphure. Bestia comprehensa est. Prehensa est*, ut se commovere & violentiam suam exercere non posset. Dominationi Pseudoprophetæ positus est modus non semel. Per Schisma Græcorum & dominationem Sarracenorum coarctata est ejus potentia. Superiori seculo data est Ecclesiæ pax. Vidimus etiam bello Germanico impositum finem anno 1648. *Et cum ea pseudopropheta* seducens eam. Ne nimis grande quid hîc exaudiamus, dicamus, intelligi imminutionem potestatis ejus, ut passim nocere & formidabilis esse non posset. Psalm. 10. v. 18. *Non addet amplius formidabilis esse homo ex terra.* Psalm. 12. v. 9. *Secundùm elationem vilitas filiis hominum.* Dicit, *vivos illos conjectos esse in stagnum ignis*, hoc est, non omnes occisos esse corporaliter, sed in vivis relictos esse. Quod significat pacem quandam invitis extortam. De qua accipimus, quod legitur Es. 19. v. 21. *Cognoscetur Dominus Ægypto*, hoc est, experientur potentiam ejus, *& cognoscent*

Ægyptii Dominum illo die. hoc est, fatebuntur, se absque Deo præliatos esse contra Ecclesiam & Ecclesiam ab ipso adjutam fuisse; *& servient Deo munere & sacrificio.* hoc est, de bonis suis vel à se vendicatis multa effundent, regionesque tradent, ut in iis verbum Dei prædicetur. *Et vovebunt votum & reddent.* hoc est, spondebunt Ecclesiæ pacem, & fidem non fallent, saltem aliqui.

Conjecti autem dicuntur in stagnum ignis, quia incipient illa videre & audire, quæ ipsis sint dolori & invidiæ, & cum ulcere malæ conscientiæ cogentur semper conflictari, atque ita perpetuis ardoribus æstuare. Sic Zach. 14. v. 12. & sequent. plaga populorum, qui belligeraverant contra Hierosolymam, definitur: quòd *stantibus super pedibus suis caro & oculi & lingua tabescent.* Non videtur hoc sola pacificatione Ecclesiæ effici. Quamvis enim fieri non possit, ut non doleant, animam Ecclesiæ instar passerculi, rupto laqueo, ex manu ipsorum evasisse: tamen, quamdiu sperare possunt, se redituros ad pristinam scortationem, & meretrix dicere potest, *Sedeo regina*, & vident, *populi sancti manum confringi*, & proinde occasionem habent dicendi: *Ubi est Deus ipsorum?* Deut. 32. v. 37. nondum videntur esse in stagnum ignis conjecti.

Vers. 21. *Et reliqui occisi sunt romphæa sedentis in equo, quæ exit ex ore ipsius: & omnes alites satiatæ sunt de carnibus ipsorum.* Hoc sine dubio significat occisionem corporis, quia oppositum est, quorundam *vivorum conjectioni in stagnum ignis.* Possunt autem duæ partes hujus versus constitui, vel etiam, si *alites* propriè acceperis, possunt illa conjungi. Ita significatur multorum strages & clades, partim ante comprehensam. Bestiam, partim post eam comprehensam. Solent autem, ubi prælia acta sunt, antequam cadavera sepeliantur, vultures & corvi non longè abesse.

Gladio Christi, qui ex ore ipsius prodit, omnis cædes attribuitur, quia Christus sententia sua eos occidit. Vide & de his Deut. 32. v. 41. 42. & ibi notata.

CAPUT

CAPUT VIGESIMUM.

DRACO VINCTUS, SOLUTUS, IN STAGNUM IGNIS CONJECTUS; THRONUS ALBUS, JUDICIUM EX LIBRIS, RESURRECTIO MULTORUM.

1. Καὶ εἶδον ἄγγελον καταβαίνοντα ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, ἔχοντα τὴν κλεῖδα τῆς ἀβύσσου, καὶ ἅλυσιν μεγάλην ἐπὶ τὴν χεῖρα αὐτοῦ.

2. Καὶ ἐκράτησε τὸν δράκοντα, τὸν ὄφιν τὸν ἀρχαῖον, ὅς ἐστι διάβολος καὶ Σατανᾶς· καὶ ἔδησεν αὐτὸν χιλια ἔτη.

3. Καὶ ἔβαλεν αὐτὸν εἰς τὴν ἄβυσσον, καὶ ἔκλεισεν αὐτὸν, καὶ ἐσφράγισεν ἐπάνω αὐτοῦ, ἵνα μὴ πλανήσῃ τὰ ἔθνη ἔτι, ἄχρις τελεσθῇ τὰ χίλια ἔτη· καὶ μετὰ ταῦτα δεῖ αὐτὸν λυθῆναι μικρὸν χρόνον.

4. Καὶ εἶδον θρόνους, καὶ ἐκάθισαν ἐπ' αὐτούς, καὶ κρίμα ἐδόθη αὐτοῖς· καὶ τὰς ψυχὰς τῶν πεπελεκισμένων διὰ τὴν μαρτυρίαν Ἰησοῦ καὶ διὰ τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ, καὶ οἵτινες οὐ προσεκύνησαν τῷ θηρίῳ, οὔτε τὴν εἰκόνα αὐτοῦ· καὶ οὐκ ἔλαβον τὸ χάραγμα ἐπὶ τὸ μέτωπον αὐτῶν, καὶ ἐπὶ τὴν χεῖρα αὐτῶν· καὶ ἔζησαν, καὶ ἐβασίλευσαν μετὰ τοῦ Χριστοῦ τὰ χίλια ἔτη.

5. Οἱ λοιποὶ τῶν νεκρῶν οὐκ ἀνέζησαν ἕως τελεσθῇ τὰ χίλια ἔτη. Αὕτη ἡ ἀνάστασις ἡ πρώτη.

6. Μακάριος καὶ ἅγιος ὁ ἔχων μέρος ἐν τῇ ἀναστάσει τῇ πρώτῃ· ἐπὶ τούτων ὁ θάνατος ὁ δεύτερος οὐκ ἔχει ἐξουσίαν, ἀλλ' ἔσονται ἱερεῖς τοῦ Θεοῦ καὶ τοῦ Χριστοῦ, καὶ βασιλεύσουσι μετ' αὐτοῦ χίλια ἔτη.

7. Καὶ ὅταν τελεσθῇ τὰ χίλια ἔτη, λυθήσεται ὁ Σατανᾶς ἐκ τῆς φυλακῆς αὐτοῦ·

8. Καὶ ἐξελεύσεται πλανῆσαι τὰ ἔθνη τὰ ἐν ταῖς τέσσαρσι γωνίαις τῆς γῆς, τὸν Γὼγ καὶ τὸν Μαγώγ, συναγαγεῖν αὐτοὺς εἰς πόλεμον, ὧν ὁ ἀριθμὸς ὡς ἡ ἄμμος τῆς θαλάσσης.

9. Καὶ ἀνέβησαν ἐπὶ τὸ πλάτος τῆς γῆς, καὶ ἐκύκλωσαν τὴν παρεμβολὴν τῶν ἁγίων, καὶ τὴν πόλιν τὴν ἠγαπημένην· καὶ κατέβη πῦρ

VERS. 1. *Et vidi Angelum descendentem de cœlo, qui habebat clavim abyssi, & catenam magnam super manu sua.*

2. *Et comprehendit Draconem, serpentem illum priscum, qui est Diabolus & Satanas. Et vinxit eum mille annos.*

3. *Et conjecit eum in abyssum, & clausit eum, & obsignavit super eo, ne seduceret gentes amplius, donec finirentur mille anni illi. Et post hæc oportet eum solvi parvum tempus.*

4. *Et vidi thronos (& considerunt in eos; & judicium datum est eis) & animas securi percussorum propter testimonium Iesu & propter sermonem Dei; & , qui non adoraverunt Bestiam & imaginem ejus, & non acceperunt signaturam in frontem suam & in manum suam; & vixerunt & regnaverunt cum Christo mille illos annos.*

5. *Reliqui autem mortuorum non revixerunt, donec finirentur mille anni. Hæc est resurrectio prima.*

6. *Beatus & sanctus, qui habet partem in resurrectione prima. In eos mors secunda non habet potestatem, sed erunt sacerdotes Deo & Christo, & regnabunt cum eo mille annos.*

7. *Et, quum finiti fuerint mille anni illi, solvetur Satanas ex custodia sua.*

8. *Et exibit ad seducendum gentes in quatuor Angulis terræ, Gog & Magog, ut congreget eos in bellum. quorum numerus ut sabulum maris.*

9. *Et ascenderunt in latitudinem terræ, & corona cinxerunt castra sanctorum & civitatem dilectam. Et descen-*

λὸ τ̃ Θεῦ ἐκ τ̃ ὐρανῦ, καὶ κατέφαγεν αὐτούς.

10. Καὶ ὁ διάβολος ὁ πλανῶν αὐτοὺς ἐβλήθη εἰς τὴν λίμνην τ̃ πυρὸς καὶ θείου, ὅπου τό τε θηρίον καὶ ὁ ψευδοπροφήτης· καὶ βασανισθήσονται ἡμέρας καὶ νυκτὸς εἰς τοὺς αἰῶνας τ̃ αἰώνων.

11. Καὶ εἶδον θρόνον λευκὸν μέγαν, καὶ τὸν καθήμενον ἐπ' αὐτῦ, ἀπὸ τ̃ προσώπου ἔφυγεν ἡ γῆ καὶ ὁ ὐρανός· καὶ τόπος ὐχ εὑρέθη αὐτοῖς.

12. Καὶ εἶδον τοὺς νεκροὺς, μικροὺς καὶ μεγάλους, ἑστῶτας ἐνώπιον τ̃ Θεῦ, καὶ βιβλία ἠνεῴχθησαν· καὶ βιβλίον ἄλλο ἠνεῴχθη, ὅ ἐστι τ̃ ζωῆς· καὶ ἐκρίθησαν οἱ νεκροὶ ἐκ τ̃ γεγραμμένων ἐν τοῖς βιβλίοις, κατὰ τὰ ἔργα αὐτῶν.

13. Καὶ ἔδωκεν ἡ θάλασσα τοὺς ἐν αὐτῇ νεκρούς, καὶ ὁ θάνατος καὶ ὁ ᾅδης ἔδωκαν τοὺς ἐν αὐτοῖς νεκρούς· καὶ ἐκρίθησαν ἕκαστος κατὰ τὰ ἔργα αὐτῶν.

14. Καὶ ὁ θάνατος καὶ ὁ ᾅδης ἐβλήθησαν εἰς τὴν λίμνην τ̃ πυρός· αὕτη ἐστὶν ὁ δεύτερος θάνατος.

15. Καὶ, εἴ τις ὐχ εὑρέθη ἐν τῇ βίβλῳ τ̃ ζωῆς γεγραμμένος, ἐβλήθη εἰς τὴν λίμνην τ̃ πυρός.

dit ignis à Deo ex cœlo & devoravit eos.

10. *Et Diabolus, qui seducebat eos, conjectus est in stagnum ignis & sulphuris; ubi Bestia & pseudopropheta; & cruciabuntur die & nocte.*

11. *Et vidi thronum candidum magnum, & eum, qui sedebat in eo; à cujus facie fugit terra & cœlum: & locus non est inventus eis.*

12. *Et vidi mortuos, parvos & magnos, stantes coram Deo: & libri aperti sunt: & liber alius apertus est; qui est vita: & judicati sunt mortui ex scriptis in libris secundùm opera sua.*

13. *Et dedit mare mortuos, qui erant in eo: & mors ac infernus dederunt mortuos, qui in ipsis: & judicati sunt quisque secundùm opera sua.*

14. *Et mors atque infernus conjecti sunt in stagnum ignis. Hæc est secunda mors.*

15. *Et, si quis non est inventus in libro vitæ scriptus, conjectus est in stagnum ignis.*

ANte annos viginti edidimus conjecturam de Gog & Magog, h. e. de duobus capitibus Ezechielis, in quibus is prophetat de Gog & Magog, capite XXXVIII. & XXXIX. Ei in fine adjecimus brevem expositionem paraphrasticam hujus capitis VICESIMI Apocalypseos. Nota est sententia veterum quorundam, à qua recentiores quidam non alieni sunt, de resurrectione martyrum anticipata. Sufficiat nunc unus Justinus Martyr in Dialogo cum Tryphone pag. 240. lin. 36. editionis Comelinianæ. Καὶ ἐπειδὴ καρ' ἡμῖν ἀνήρ τις, ᾧ ὄνομα Ἰωάννης, εἷς τ̃ ἀποστόλων τ̃ Χριστ̃, ἐν ἀποκαλύψει γενομένῃ αὐτῷ χίλια ἔτη ποιήσειν ἐν Ἱερουσαλὴμ τοὺς τῷ ἡμετέρῳ Χριστῷ πιστεύσαντας προεφήτευσε, καὶ μετ' ταῦτα τὴν καθολικὴν καὶ (συνελόντι φάναι) αἰωνίαν ὁμοθυμαδὸν ἅμα πάντων ἀνάστασιν γενήσεσθαι καὶ κρίσιν. Sed ex ea, quam diximus, paraphrasi patet nostra sententia, nos non existimare, quòd martyres, post destructum Antichristum sint resurrecturi in corporibus & per mille annos in mundo regnaturi cum Christo, ut post illos mille annos iterum veniant Gog & Magog & gentes nova deceptione abducantur à sinceritate Euangelii & ei infe-

sta

ſtæ fiant: quodque judicium, de quo in hoc capite ſermo fit, non ſit judicium ultimum; & reſurrectio etiam in fine capitis non ſit reſurrectio carnis. Nam ſtatim ab initio hujus capitis memoratur Angelus deſcendens de cœlo cum catena magna, ut vinciat Diabolum, ne gentes amplius ſeducat. quod non poteſt intelligi niſi de ſeductione illa, in qua ante prædicationem Euangelii gentes Diabolo ſerviebant. Unde & reſurrectio, quæ quibuſdam tribuitur in gentibus, vocatur *reſurrectio prima*. Atqui *reſurrectio prima* gentium eſt illa, de qua loquitur Servator Joh. 5: 25. *Amen, Amen dico vobis, venit hora & nunc eſt, cùm mortui audient vocem filii Dei &, qui audiverint, vivent.* Si igitur *reſurrectio prima* eſt ante mille illos annos, malè differtur ad mille eos annos. Accedit, quòd beatitudo & ſanctitas appropriatur illis, qui habent partem in prima reſurrectione. veſſ. 6. Sed ſi illa eſt reſurrectio carnis, plures ſunt beati & ſancti, quàm qui primò in carne reſurrecturi eſſe dicuntur. Et verò abſurdum eſt dicere, quòd, qui pro Euangelio mortui ſunt, reſurrecturi ſint, Patriarchæ verò & Prophetæ non ſint reſurrecturi, ut cum Chriſto regnent, qui tamen habent promiſſionem ἡ κληρονομίας ἡ γῆς. Ergo iſta non eſt reſurrectio carnis. Temerarium eſt dicere & definire, hanc eſſe reſurrectionem carnis: quum poſſit intelligi Reſurrectio ex morte in peccatis & præputio carnis. Nam quæ prophetia dicit, duplicem eſſe reſurrectionem carnis? Joh. 5. quum locutus eſſet de reſurrectione ex morte in peccatis, ſubjungit alteram communem juſtis & injuſtis, partim ad vitam partim ad judicium. verſ. 28. 29. Planè ſilet reſurrectionem martyrum, quæ hanc anteceſſura ſit. Quin in promiſſionibus ſuis ſatis habet dicere, *Ego ſuſcitabo eum ultimo die.* Matth. 24: 14. conjungit *prædicationem Euangelii regni in tota habitabili, ad teſtimonium gentium, & Finem.* Daniel cap. 7. quum oſtendiſſet, regnum eſſe datum populo ſanctorum Celſorum, negat deinde regnum ab eo ablatum iri. Atqui, ſi hîc reſurrectio martyrum intelligitur, ſuccedit adhuc bellum & coarctatio Eccleſiæ & dominatio Gog & Magog. Hæc interpretatio corrumpit filum omnium viſionum, quæ ſunt in Apocalypſi tota, & omnis prophetiæ. At noſtra, qui intelligimus reſurrectionem gentium ex morte in peccatis, omnibus prophetiis convenit. Nam clarè prophetia diſtinguit duo tempora reſurrectionis gentium: quarum prima fit per primam Euangelii prædicationem, altera per prædicationem Euangelii æterni, qua manifeſtatur & aboletur Antichriſtus. Præterea dicitur verſ. 2. quòd hic Angelus apprehenderit Draconem. Quod non poteſt eſſe aliud & diverſum ac disjunctum à victoria Chriſti & ſanctorum de Dracone, quæ deſcribitur cap. 12. Revera autem per primam Euangelii prædicationem hoc factum eſt, ut Draco diſcederet & con-

conjiceretur in abyssum. Itemque, quòd dicuntur throni visi, in quibus considerint, necessariò intelligendum est factum per abolitionem persecutorum, qui fidem Christianam impugnarunt, & homines coëgerunt diis immolare. Ideo fit mentio *securi percussorum propter martyrium Jesu*. Quod autem eodem versu *vixisse* & *regnasse* dicuntur *cum Christo*, quod vers. 5. dicitur ἀνάστασις: id potest referri ad eos, qui non adorarunt Bestiam. Nam, quando Draco decessit, Bestia successit. Si tamen quis omnino velit, hoc referendum esse ad ψυχὰς τ πεπελεκισμένων, quòd dicuntur *vixisse* & *regnasse*, ne sic quidem resurrectio carnis potest inde exsculpi; quia resurrectio carnis non est *animarum*, sed corporis. Ergo vel illud *vixisse*, aut *resurrexisse*, notaret gaudium aliquod & lætitiam animarum: vel verba ista ἔζησαν καὶ ἐβασίλευσαν, distributivè alterum ad non adorantes Bestiam, nempe ἔζησαν, alterum, nempe τὸ ἐβασίλευσαν, ad utrosque, animas securi percussorum, & non adorantes Bestiam, referenda erunt. Quanquam simplicissimum est, Johannem, thronis collocatis, vidisse & *animas securi percussorum* & *non adorantes Bestiam*; & vidisse sive cognovisse, utrosque illos, πεπελεκισμένους & non adorantes Bestiam, suis temporibus revixisse, & nunc, ut vivos, cum Christo regnare mille annos, nempe prolatis semper per mille illos annos Ecclesiæ in terra pomæriis. Ita notatur, licèt thronum Draconis Bestia insederit, tamen & alios thronos fuisse, & Christum regnasse ac sanctos, etiamsi à Bestia vinci viderentur. Nam & hoc verbum veritatis, quod Bestia loquebatur in fraude, & quo sua mendacia tegebat, erat verbum Christi & fidelium, qui per id erant vivificati. Nos quidem non negamus, cùm prædicabitur Euangelium in tota terra, fluere posse mille annos pacis Ecclesiæ. Sed negamus, hoc ullibi in sacris literis dictum esse, aut quòd bellum Gogi & Magogi immediatè præcedat ultimum judicium. Non debeo silere, quod Gerardus Mercator verba 4. versus, *& vidi thronos* &c. sic interpretetur; seductis à Satana datum ac permissum fuisse, ut sanctos judicarent & sanguinem illorum funderent. Ita significaretur ipsa persecutio Gentilium. Sed, quia Johannes vidit thronos, postquam Angelus obsignavit super Dracone; tutius certiusque est verba illa latè sic capere: coërcita persecutione cœpisse judicium agi, Cathedras erectas esse, in illis multos consedisse, qui acceperint potestatem judicandi. Planè constat, cùm Constantinus vicisset adversarios suos, actam fuisse Synodum Nicenam, eique datam fuisse ab Imperatore non tantùm potestatem demonstrandi veritatem ex Scriptura & improbandi errores, sed etiam instituendi hierarchiam, &, quod alicubi consuetudine obtinebat, legem faciendi. Videatur Canon Sextus. Dum Cathedræ ita occupantur, etiam Bestia thronum invasit,

& tan-

& tandem Antichriſtus in templum Dei conſedit. Notabile porro eſt, quòd verſ. 10. mentio tantùm fit unius throni candidi magni, qui eſt thronus juſtitiæ & gloriæ, & ſolius Chriſti. Quod, comparato verſ. 4. ſignificat, judicium poſtremis temporibus aliter actum iri, ac in prioribus factum fuerat. Quanquam enim in librorum apertione & judicatione mortuorum multi habeant partem (unde Dan. 7: 9. 10. dicuntur *throni collocati & permanens diebus conſediſſe, & judicium conſediſſe*, tanquam multis ſedentibus, & *libri aperti eſſe*) tamen, quia non eſt uſurpatio ſimilis poteſtatis, ut antea, unus tantùm judex deſignatur. Non poſſum etiam aliter ſtatuere, quin egreſſio Satanæ ad ſeducendum gentes, ut congregentur in bellum verſ. 8. ſit illa ipſa proceſſio dæmoniorum ad congregandum reges terræ & totius habitabilis ad prælium dici magnæ, quæ dicitur cap. 16: 14. Omitto, quòd, ſi aliter hæc interpretemur, nihil ſimile in tota Apocalypſi futurum ſit, neque poſſit reperiri locus in tuba ultima, ubi hæc collocentur; imò in omni prophetia V. Teſt. Nam &, quæ de Gog ac Magog ſcripta ſunt Ezech. 38. & 39. in Antichriſto impleta eſſe & temporibus Beſtiæ convenire, dicto tractatu demonſtravimus. Quòd verò judicium, de quo eſt verſ. 11. & ſequentibus, non ſit ultimum, patet ex iis, quæ ſequuntur in cap. 21. ubi deſcribuntur res geſtæ in terrâ, poſt abolitionem *cæli primi & primæ terræ*. Item ex eo, quòd dicitur *infernus conjectus in ſtagnum ignis*. Quæ ſi propriè intelligantur, conjicietur infernus in infernum. Sed intelliguntur *ſeductores & tyranni*, ut cap. 6: 8. De mortuorum judicatione & vivificatione agit etiam Eſaias cap. 26: 14. 19. & de multorum, jacentium in pulvere terræ, reſurrectione Daniel cap. 12: 1. Sed, poſtquam hæc præfati ſumus, ad verba prophetiæ accedamus. Nulla enim certior demonſtratio eſt, quàm ſenſus verborum in rebus ipſis, de quibus ſimpliſſimè & rectiſſimè dici poſſunt, oſtenſio.

Verſ. 1. *Et vidi*, q. d. Amplius etiam myſterium regni cœlorum mihi patefactum eſt. *Et vidi Angelum de cœlo deſcendentem, qui habebat clavim abyſſi*. h. e. poteſtatem educendi ex morte & inferno, & rurſus τῷ ταρταρῶσαι & in gehennam conjiciendi. Chriſtus ſine dubio eam poteſtatem habet: ſed & Spiritus ſanctus, quem Chriſtus, quum in cœlum aſcendiſſet, miſit à Patre. Hactenus datus erat *ſpiritus ſervitutis*, & quidem ſoli Iſraëli. Fuit deinde miſſus Spiritus ad educendum mortuos & captivos Satanæ ex regno tenebrarum, & eos transferendum in regnum filii Dei. Nam, *qui aſcendit in altum, captivam agit captivitatem & accipit dona in hominibus, etiam immorigeros, ut habitent pulchritudinem Dei*. Pſalm. 68: 19. Id autem agit per Spiritum ſuum. *Per legem Spiritus vitæ in Chriſto Jeſu liberamur à lege peccati & mortis*. Rom. 8: 2. Nihil auguſtius hìc intelligi

poteſt, nihil etiam exilius, quàm miſſio Spiritus ſancti de cœlo cum poteſtate & jure ſanctificandi & ſalvandi hæreditatem Chriſti in omnibus gentibus.

Et catenam magnam in manu ſua. Qui habebat potentiam coërcendi Satanam: ſine cujus nutu & definito conſilio Satanas nihil valebat agere, neque ulla creatura. Divina potentia notatur, qua omnia, tanquam catena, conſtringuntur.

Verſ. 2. *Et apprehendit* ſive *in poteſtatem redegit Draconem.* Cæpit Spiritus in mundo, in quo regnabat *Draco*, potentiam ſuam exſerere, miſſo ad gentes Euangelio & Apoſtolis; & per gratiam ſuam mentes & cogitationes hominum ſubigere in obedientiam veritatis & amorem ac *cultum Dei vivi ac veri*; & in lucem protrahere mendacia & fraudes Satanæ, quibus gentes faſcinaverat. *Draconem, ſerpentem illum priſcum, qui eſt Diabolus & Satanas. Draconem* appellat reſpiciens corporaturam ejus. quam deſcripſit cap. 12. *Serpentem priſcum*, reſpiciens ad impoſturam & mendacium ac tentationem, qua primum hominem in lapſum præcipitavit, & ſic in poteſtatem ſuam redegit. quatenus effecit, ut, niſi in *homine* ſive *Adamo ſecundo*, non poſſet homo à poteſtate ejus liberari & vitæ Dei particeps fieri. Cujus judicii & ἀπολομίας exemplum eſt in Gentibus, quas Deus, uſque ad mortem Chriſti, *ſivit ire in viis ſuis. Diabolum* vocat, ut perpetuum hoſtem Dei & calumniatorem operum ejus. *Satanam*, quia eſt ἀντιδικον *adverſarium* & *accuſator* fidelium. *Et ligavit eum*; coëgit eum abire ab ea parte mundi, in qua Spiritus voluit Chriſti regnum erigere. *Mille annos.* Ita ut per mille annos magis magiſque in arctum redigeretur. Hîc non opus eſt tempus id præciſè numerare. Sufficit, Diabolum abactum & conſtrictum *non minùs mille annis.*

Verſ. 3. *Et conjecit eum in abyſſum.* Vel affecit eum dolore & cruciatu: vel, dedit ei regnare in extremis gentibus, quas Deus demum extremo tempore vocare decrevit. *Et incluſit eum, & obſignavit ſuper eo.* Etiam, quum conatus eſſet iterum in ſcenam prodire, ſub Juliano ſcilicet, ſtatim eum repreſſit & ita eum incluſit, ut non prodiret ampliùs. *Ut non ſeduceret gentes amplius.* Quemadmodum eas ſeduxerat antea, ut adorarent idola, ligna & lapides. Ergo Angelus ille deſcendit de cœlo, quum gentes adhuc ſeducerentur à Diabolo ad idololatriam. Ergo vinctio Diaboli hîc intelligitur illa, per quam effectum eſt, ut in magna & nobiliſſima parte orbis deſtrueretur idololatria. Vinctus ex illo tempore fuit Diabolus, non, ut nihil ageret & ocioſus eſſet; ſed ut non poſſet talis apparere, qualis antea; nec poſſet imponere & ſeducere, niſi *transfigurans ſe in Angelum lucis & præconem juſtitiæ.* Quod quum fecit, hoc operam dedit,

ut

ut Judæos induraret, hæreſes noxias excitaret, zizania in agro Domini ſeminaret, Beſtiam produceret & Pſeudoprophetam ac Imaginem Beſtiæ. Ita ex Dracone factus eſt *Spiritus Antichriſti.* 1 Joh. 4: 3. *Donec finirentur mille illi anni. & poſt hæc oportet eum ſolvi parvum tempus.* Non ad priſtinam ſeductionem, ſed *ad congregandum gentes in bellum.* ut eſt verſ. 8.

Verſ. 4. *Et vidi thronos. Throni* ſenioribus attribuuntur. Quando Eccleſia in pace colligitur, etiamſi omnes *ſedeant coram Domino*, tanquam fratres, tamen ſunt & throni eorum, qui præſunt, & docent alios. Confeſſus Eccleſiæ ad audiendum verbum Dei liber ſignificatur. Hoc minimum eſt, quod intelligi hîc poteſt. Sed tamen, quum dicit, *vidi thronos, & conſederunt in eos, & judicium datum eſt eis*, aliquid amplius notatur. In Eccleſia erectos eſſe thronos, & in eis conſediſſe quoſdam: & poteſtatem judicandi eis conceſſam eſſe. Diligenter conſiderandum eſt, quòd deinde verſ. 11. introducatur *thronus magnus candidus.* Quare fieri non poteſt, ut non verſ. 4. indicentur *throni*, in quibus etiam homines potuerint conſidere ad dominandum. Et id eò magis, quia adjicitur, *& conſederunt in eis*, quibus *judicium datum eſt.* Quod ſignificat, judicium ab Eccleſia ablatum & ſedentibus in throno conceſſum eſſe. Conſtat ex Matth. 18: 17. habere Eccleſiam judicium. ut & ex 1 Cor. 5: 2. 11. 12. 13. Omnis frater debet admonere fratrem & lugere ſuper fratre ἁμαρτανόντῳ, *non reſipiſcente*, &, poſt ἔλεγχον atque *redargutionem Eccleſiæ*, fugere communionem ejus, qui *frater nominatur* & ſcandaloſus eſt. Id autem debet facere in bona conſcientia & fide Dei. Quando autem certis hominibus *judicium datur*, tum ratio ſuſcipiendi vel non ſuſcipiendi, ut fratrem, eſt dictum & ſententia eorum, *quibus datum eſt judicium.* Accedit, quòd ſtatim fit mentio *Beſtiæ*: quæ, ut ſupra demonſtratum eſt, eſt multitudo ſimul parens *ſecundæ Beſtiæ*, ſimul dominatum exercens & ſignaturam h. e. legem ſingulis dans.

Et vidi animas ſecuri percuſſorum propter teſtimonium Jeſu & propter ſermonem Dei, & eos, qui non adorarunt Beſtiam, neque imaginem Beſtiæ; & non receperunt ſignaturam in frontem ſuam & in manum ſuam: & vixerunt & regnarunt cum Chriſto mille annos. Quum poſiti eſſent *throni*, quumque Eccleſiæ data eſſet libertas conveniendi cum ſuis doctoribus & paſtoribus, viſi ſunt Chriſtiani *regnare.* Sed, ut jam monitum eſt, potuerunt ingredi lupi rapaces, & gentes mentientes Chriſto, & non tantùm pædagogia, ſed etiam *principatus* & ἀνομία, *defectio* ac lex *defectionis.* Ideò Spiritus hîc nos abducit à thronorum aſpectu ad aliud, quod Johanni præbuit videndum: nempe *animas ſecuri percuſſorum*, nempe à Romanis, quamdiu durabat perſecutio. *Propter teſtimonium Jeſu*, quia profeſſi ſunt, *Jeſum*

esse Christum, *Dominum*, *à quo*, qui ipsi dati sunt, accipiunt *spiritum*, ut sint unum corpus cum ipso, & in ea communione justitiam & vitam æternam. *Et propter sermonem Dei*, hoc est, propterea, quòd retinuerunt τὸν λόγον τοῦ θεοῦ, *divinitus inspirata*, Mosis, Prophetarum & Apostolorum, & *præcepta Dei*, neque ab eis divelli se passi sunt; amaveruntque magis sanguinem suum profundere, quàm verbum illud omittere aut id blasphemare. De quibus vide etiam cap. 12: 11. *Animas* eas videt: & quidem *viventes*, h. e. lætitia immarcescibili repletas: & *regnantes cum Christo* in regno gloriæ, & capientes fructum laborum suorum & mortis suæ ex Ecclesiæ in terris amplificatione & Diaboli coërcitione. Non dicit, *vidi securi percussos resuscitatos in corporibus suis*, εἶδον τοὺς πεπελεκισμένους ἀναστάντας: quemadmodum sine dubio dicendum fuisset, si Spiritus voluisset nos omninò resurrectionem eorum secundùm carnem intelligere. Quando autem ψυχαὶ *animæ* dicuntur *vixisse*, intelliguntur in vita fuisse, ut animæ. Ita Abrahamus, Isaacus & Jacobus *vivunt* Deo. Luc. 20: 38. Ita, *qui credit in Christum*, *non moritur*, &, quorum *corpus* est *mortuum propter peccatum*, eorum *spiritus est vita propter justitiam*, Rom. 8: 10. Deinde vidit etiam eos, *qui non susceperunt signaturam Bestiæ & eam atque imaginem ejus non adorarunt*. Non dicit, *vidi animas eorum*. Sed, *vidi*, *qui non adorarunt*. Ut igitur *animas securi percussorum* vidit in cœlo, ita hos vidit in terra. Vidit igitur simul *Bestiam* & *imaginem ejus* & *adorantes eam* & *suscipientes signaturam ejus*. Sed vidit Bestiam & imaginem ejus & adorantes eam expertes vitæ & regni. Eos autem, qui eam non adorarunt, vidit *viventes & regnantes cum Christo*, h. e. participes regni Dei, victores Satanæ & peccati, hæredes mundi. Clarè distinguit Regnum Christi & Bestiæ. Bestiæ regnum de hoc mundo est: Christi regnum non est de hoc mundo. Quando autem *throni collocati* sunt, & Ecclesiæ data est libertas conveniendi in nomine Christi, tum homines vel Christianorum nomen assumserunt vel non. Hi sine dubio pro *mortuis* habendi sunt: ut & illi, qui ab Ecclesia non recepti sunt, propter verbum aliud & aliam doctrinam, cum quibus fuit Christo & Ecclesiæ disceptatio. De qua Es. 41. Sed non in omnibus, qui cum Ecclesia sive veris Catholicis fidelibus conjuncti fuerunt, etiam fuit fides. Plurimi eorum fuerunt Bestia aut adoratores Bestiæ. Hi igitur etiam non *vixerunt*, neque *regnarunt cum Christo*. Quemadmodum Christus *regnat*, quando verbum ejus fide suscipitur, ita fideles *regnant cum Christo*, quando verbum ipsorum & charitas ac patientia ipsorum frugifera sunt ad multorum fidem, qui unius corporis cum ipsis membra fiunt, *& Ecclesia nutritur à gentibus*. *Per mille illos annos*. Talis fuit status Ecclesiæ & regenitorum per mille illos annos, non minùs.

Vers.

Vers. 5. *Reliqui autem mortuorum non revixerunt, donec finirentur mille illi anni.* Quis non intelligit, hoc dici de hominibus mortuis in peccato & præputio carnis? Etiamsi Diabolus esset conjectus in Abyssum, tamen fuit Bestia & multi, qui non revixerunt. Hæc est mors, in quam primò incidit homo. Ex hac morte resurrectio est *prima resurrectio.* Similiter Esaias cap. 26: 14. *Mortui non reviviscebant, resoluti non surgebant: iccirco visitasti & profligasti eos & perdidisti omnem memoriam ipsis.*

Hæc est prima resurrectio. 1. Qua homo vivificatur ad vitam æternam. Homo duplici resurrectione indiget. Prima est vivificatio ex morte in præputio carnis. Secunda carnis. 2. Qua mundus à Deo vivificatus est per prædicationem Euangelii & efficaciam *Angeli de cœlo missi*, h. e. Spiritus sancti. Nempe sub persecutionibus Idololatrarum, &, post collocatos thronos, in conflictu cum Bestia; quamdiu ea Ecclesiæ admixta fuit. Nam ex capite hoc patet, & deinde alio tempore resurrectionem gentium fieri.

Vers. 6. *Beatus & sanctus, qui habet partem in resurrectione prima. In eos secunda mors non habet potestatem.* In *reliquos* igitur *mortuorum*, qui *non revixerunt*, *secunda mors* habuit potestatem: quia fuerunt sub regno ejus, qui dicitur *Mors*, quem *Infernus sequitur.* Apoc. 6: 8. Indurati enim sunt, & testes Dei sibi interfecerunt ac cadavera effecerunt. ut est cap. 11: 7. 8. Qui non revixerunt, non fuerunt *beati*: quia manserunt sub ira. Non *sancti*; quia Spiritu Dei caruerunt, & cor eorum non est purificatum fide. Qui autem revixerunt, ii *beati* sunt, quia *justi: sancti*; quia à Spiritu sancto sanctificati ad amorem veritatis. Propter eam causam *secunda mors*, ἀνομία, ἀποστασία, induratio, in eos potestatem non habet. Regeniti non deficiunt, quia *beati* & *sancti* sunt; h. e. quia à Deo justificati sunt & arrhabonem Spiritus à Deo acceperunt & eo signati sunt.

Sed erunt sacerdotes Deo & Christo. Prope accedent ad Deum in Christo. Oppositum hoc *sacerdotibus*, quos homines nominant, qui habeant potestatem absolvendi, & offerendi pro peccatis; sine quibus fideles ad Deum accedere non possint. Quia autem *sacerdotes sunt Deo & Christo:* ideò *mors secunda non habet potestatem in eos.* Habent enim προσαγωγὴν & accessum ad intima sanctuarii per fidem & spem. Hebr. 6: 18. 19.

Et regnabunt cum ipso mille annos. Ecclesia enim nutrietur à gentibus non minùs mille annis.

Vers. 7. *Et, quum finiti fuerint mille anni, solvetur Satanas ex custodia sua. Annos* illos *mille* liquidò possumus numerare à *positis thronis*, h. e. à data Ecclesiis libertate conveniendi in nomine Christi & sedendi coram doctoribus & senioribus suis. A temporibus Constantini usque ad tem-

pora Ludovici Bavari hic modus temporis invenitur. Qui ultimus Papis restitit, & fuit κατέχων ac impediens ipsos. Postquam omnis principum resistentia sublata est, quæ fuit τὸ κατέχον, *impediens*, 2 Thess. 2: 7. tum Satanas operam navavit, ut reges traderent potestatem suam Bestiæ, & Imaginem Bestiæ agnoscerent pro Capite. Tum incitavit Pseudoprophetam Satanas ad ea dicendum & faciendum, per quæ denudaretur ὁ Ἄνομος, legem ferens præter legem, & ut maxima vi omnes ad defectionem impellerentur. Ea occasio fuit fidelibus contradicendi: & ita tandem *Euangelium æternum* prædicari cæptum est. Res eò processit, ut per Concilium Tridentinum stabiliretur auctoritas Papæ & traditionum, & interpretatio alligaretur Cathedræ, & mendacia pro articulis fidei obtruderentur, & veritas, imprimis justitia Euangelica, damnaretur. Ita ejecti sunt fideles ex medio Civitatis magnæ, & Ecclesiam desierunt gentes alere.

Vers. 8. *Et exibit ad seducendum gentes, quæ* sunt *in quatuor Angelis terræ, Gog & Magog, ut congreget eos in bellum. Quarum numerus ut arena maris.* Habebit Ecclesia pacem aliquamdiu: sed Satanas non sinet requiescere fidei adversarios. Es. 57: 20. *Sed non justi, ut mare impulsum, quod quiescere non potest.* Ideò dicitur de *quatuor Angelis ligatis ad Euphratem*, quòd sint *parati ad horam, diem, mensem, annum.* Apocal. 9: 15. Seductio eadem & instigatio ad bellum inferendum Ecclesiæ pacatæ jam supra tacta est cap. 16: 13. 14. *Gentes in quatuor Angelis terræ.* Quæ terram Ecclesiæ, ex civitate magna egressæ, cingunt undiquaque. Apocalypsis hîc digitum intendit ad Prophetiam Ezechielis & nos ad eam ablegat, ut in ea hujus belli qualitatem & modum pleniùs cognoscamus: significans, Prophetiam illam tunc impletum iri, quando Ecclesia cæperit separari à Bestia & in aliqua terra habuerit pacem & statum à civitate magna secretum. *Gogum* porrò esse principem eorum, qui hoc bellum gerent, & *Magog* esse eos, qui cum hoc Principe facient. Quandoquidem *Gog* non est nomen proprium, quod ulli homini datum sit in Prophetia, extra hanc Prophetiam, vel etiam in sacra historia (nisi alicui ex tribu Ruben) neque verisimile sit, cum, de quo hîc Prophetia loquitur, hoc nomine vulgo nuncupandum esse, ut ejus nomen fuerit ante præscriptum, ut nomen *Córesch*, *Josiæ* & sicujus præterea: quandoquidem etiam Prophetia indicat, hominibus mirum futurum, quum illum *Gog* suo tempore recognoverint: satis apertum est, nomen hoc accipiendum esse, ut significans qualitatem ejus, de quo sermo est. Quale nomen est *Immanuël*; *Magór missabíb.* Quemadmodum etiam sæpe futuri temporis homines nominibus eorum, qui antea fuerunt, nominantur:

ut

ut Johannes Baptista nominatur *Elias*, meretrix magna *Jezabel*. Tale nomen erat Νικολαΐτας capite secundo. Ergo etymon vocis inspiciendum est. *Gog* à *Gág* deducitur. Quod στέγω *tectum* notat. Notissimum est, in prophetiis symbolicè dici Arbores magnas, Velum injectum gentibus, Tegmen. Hæc omnia idem sunt. *Góg* est *princeps in terra Magóg*. Ratio analogiæ requirit, ut *Magóg* similiter ex etymo explicemus; τὸ ὑπόστεγον, quod sub tegmine est, quod tegitur. Quando *principem dicit in terra*, satis significat, se innuere τὸν ἄρχοντα, τὸν νομοθέτην, *principem & legislatorem*, qui suppositos tibi habere velit servos & filios Dei; cui se subjiciunt, qui volunt ambulare juxta hominum præceptum. Ita ut nihil planiùs ad intellectum dici posse videatur, si paululum superesse debeat, quod attentionem exigat, & negligentem frustretur, sive ut ænigmatis aliquam similitudinem habeat. Sed & Apocalypsis tollit ænigma & explanat, quod erat in Prophetia Ezechielis. Testatur enim, eas gentes, quæ terram Ecclesiæ circumdant, h.e. Bestiam & ejus caput, Imaginem Bestiæ, esse *Gogum* & *Magogum* illum; de quibus scilicet Ezechiel prophetaverat. *Quarum numerus est ut sabulum maris.* Quæ innumerabiles sunt. Parvæ igitur Ecclesiæ vires in eo tempore.

Vers. 9. *Et ascenderunt in latitudinem terræ, & cinxerunt castra sanctorum & civitatem dilectam.* Hoc tempore habet Ecclesia formam tum *castrorum*, tum *civitatis*: illa scilicet, quæ hunc impetum experitur: quia partim vivunt sparsi in oppidis & pagis, aut etiam inter medios adversarios, quorum insultum quotidie exspectare & semper in acie stare necesse habent; partim vivunt in aliqua republica, & in ea habent ordinem constitutum. In Germania, in Bohemia, in Gallia tanquam castra: in Belgio tanquam civitas. Infestatio proficit ad extremum usque discrimen. Daniel. 11: 44. 45. *Et exibit cum æstu magno ad profligandum & anathemate percutiendum multos: & plantabit tentoria Appadnó inter maria in monte décoris sancti.* Ita omnia pervadet, ut ab unó mari ad aliud tentoria sua & cultum suum statuat. Vide & Zachar. 14: 1. 2. In quantam angustiam venerint non uno tempore res Belgarum, nemini ignotum est. Imprimis Anno 1629. quando Victor Germaniæ Exercitus Cæsarianus & Regius in Velaviam irrupit, magna animorum perculsio fuit.

Et descendit ignis à Deo ex cœlo & devoravit eos. Dedit enim Deus civitatibus suis in Ægypto רַב וּמוֹשִׁיעַ *patronum & liberatorem*, Es. 19: 11. objecit Gogo gladium in omnibus montibus suis; etiam gladium fratris in fratrem vertit. Nam & eorum, qui Imagini Bestiæ serviebant, quique cognati erant, arma in ipsos versa nemo ignorat. Dan. 11: 45. *Et veniet ad finem suum & non erit auxiliator ei.* Zachar. 14: 3. *Et exibit Jehovah & præ-*

& præliabitur in gentes illas. Cum hoc jam subaudiendum, quod capite 19. vers. 20. dicitur: *Et prehensa est Bestia & Pseudopropheta* &c. Nam, quod sequitur vers. 10. id Bestiæ & Pseudoprophetæ illum statum præsupponit.

Vers. 10. *Et Diabolus seducens eos conjectus est in lacum ignis & sulfuris; ubi Bestia & Pseudopropheta*, h. e. Postquam Bestia & Pseudopropheta conjecti fuerunt in lacum ignis, deinde etiam Diabolus in eum conjicietur. Subintelligimus, Diabolum non statim, quum Gog & Magog coërcitus fuerit, desiturum gentes incitare. Quod ea, quæ post pacem Monasterii factam, egit, ut &, quæ nunc fiunt, satis demonstrant. Tamen & Diabolus aliquando conjicietur in eundem lacum, & cogetur desistere ab ea seductione & exagitatione gentium. Quod ipsi extremum tormentum est. Es. 27: 1. *Illo die visitabit Jehovah gladio suo difficili & valido in Leviathan serpentem impetuosum & in Leviathan serpentem tortuosum: & occidet Draconem, qui est in mari.* Per hæc *Bestiam & Pseudoprophetam & Diabolum* intelligi posse, quis neget?

Vers. 11. *Et vidi thronum candidum magnum, & eum, qui sedebat super eo: à cujus facie fugit terra & cœlum, & locus non est repertus ipsis.* Christus consedit ad dextram majestatis. Tunc Jehovah rex factus est. Tamen ita, ut ejus solium fuerit à pridem. Psalm. 93: 1. 2. Johannes etiam vidit animas securi percussorum & eos, qui Bestiam non adorabant, regnantes cum Christo. Neque separatio populi Dei à Bestia vel eductio ejus ex Babylone facta est absque judicio & manifestatione throni Christi. Daniel cap. 7: 9. vidit *solia posita & considentem permanentem diebus*, quum Bestia quarta loqueretur grandia. Johannes hoc loco mentionem facit throni candidi, non significans, eum tunc primùm conspectum, sed eum tunc evidentiùs conspectum. Significat, inquam, Christi regnum & ejus potentiam magis magisquè factum esse manifestum, & efficaciam ejus eò usque operosam fuisse, *donec cœlum & terra fugerent.* hoc est, Christum sibi collegisse Ecclesiam per verbum suum & eam conservasse ac defendisse, & coram ea non potuisse consistere *cœlum & terram*, h. e. *Gog & Magog, Bestiam & Pseudoprophetam.* Nam *cœlum* est sublimitas, auctoritas & potestas eorum, qui se dominos Ecclesiæ constituunt; *terra* respondens illi *cœlo* est multitudo, quæ illos dominos admittit & agnoscit. Ita fuit *cœlum & terra*, quæ Christus per regnum suum abolevit. Hagg. 2: 7. Hebr. 12: 26. *Novum cœlum* factum fuit, quando per regnum Christi vetus politia & principatus deorum nuncupatorum abolitus est. Hoc cœlum non præterit, non convolvitur. Sed aliud *cœlum*, h. e. alius principatus, tradux prioris & tamen non idem, qui se extulerat in Eccle-

Ecclesia, coram throno Christi fugiet. Inde igitur *cœlum novum & terra nova.* Apocal. 21: 1. Quum igitur manifestissimum sit, sub regno Christi futurum fuisse, ut principatus aliquis hominum erigeretur & q. in cœlum extolleretur, isque tandem aboleretur; & hæc prophetia sit in omnium manibus: supra fidem est, potuisse fieri, ut hæc legentes, & vera esse dicentes, tamen eum principatum usurparent, qui in solius Christi humeros devolutus est, & se tanquam vicarios Dei & Christi in cœlo collocarent, & tale cœlum voluerint esse, quale id fuit, quod abolitum est. Profectò inexplicabilis est ἐνέργεια τῆς ἀπάτης, *efficacia erroris*, in eis, qui hoc fecerunt; quibus Satanas potuit persuadere, de ipsis hîc non loqui prophetiam, sed esse alium, qui adhuc non fuerit, de quo hæc dicta sint. Ad quos excæcandos plurimum fecit opinio, Prophetias intelligi & explicari ab hominibus non posse. Quibus ut concedam, posse quem insipientem, indocilem & non confirmatum abuti Scriptura prophetica per temeritatem, & debere nos de iis, quæ non intelligimus, dicere, quòd ea non intelligamus: tamen hoc neutiquam concedo, non debere nos scrutari & meditari tum hanc tum cæteras prophetias, &, quando rem videmus, quæ rectè & commodè per verba prophetiæ describi possit, eam non esse illam, de qua Spiritus sanctus locutus est. Hoc certum est, si illi, qui pseudoprophetæ facti sunt, cum debita modestia has prophetias legissent, neutiquam, quod illis verbis damnatur, fecissent. Sed, quemadmodum principes prioris seculi Dominum gloriæ nescientes crucifixerunt, ita hi, Christum & regnum ejus & fidei naturam ignorantes, Christum & regnum ejus & fidem oppugnarunt. *Thronum candidum* dicit, quia est *thronus gratiæ*, Hebr. 4: 16. justitiæ, pacis, veritatis, lucis. Nam, qui in eo sedet, est Salvator, sacerdos, in quo habemus accessum ad Deum, plenus veritate & gratia, lux, donator Spiritus sancti. *Magnus*, quia se extendit in totam terram. *A cujus facie fugit terra & cœlum*; quia regnum Dei βιάζεται, h. e. μὴ δυνάμεως εὐαγγελίζεται, & occupatur à βιασταῖς. Matth. 11: 12. Luc. 16: 16. *Terra & cœlum.* Nempe primò, quod fuit, antequam ipse in cœlum ascenderet; secundò, quod ejus simile deinde extitit tegumentum omnium populorum. *Et locus non est repertus eis.* Minimum, quod hæc verba notare possunt, hoc est: Tale regnum & populos collectos in unum sub tali capite nuspiam fore amplius. Ita Judaicum cœlum abolitum est, etiamsi maneant in mundo Judæi; sed in eo statu, qui indicatur Hos. 3: 4.

Vers. 12. *Et vidi mortuos, magnos & parvos, stantes coram Deo.* Sunt, qui putent, deinceps agi de ultimo judicio. Quibus non assentior: 1. quia nihil est, quod ad hanc expositionem cogit. Nisi velimus dicere, nullum

agi posse alio modo judicium & ἔλεγχον ante resurrectionem mortuorum, per verbum Dei & Spiritum ejus. 2. Quia *Mors* & *Infernus*, qui dicuntur dedisse mortuos suos, non significant Mortem corporis aut loca subterranea aut carcerem spiritum inobedientium, sed per metaphoram aliquid analogum significant. quia dicuntur & ipsi conjecti in lacum ignis: quæ est mors secunda. Quomodo *Mors* & *Infernus* propriè accepta *conjiciantur in lacum ignis* in ultimo judicio, non intelligo. 3. Quia, quæ cap. 21: 1. 2. 3. 4. 5. dicuntur facta, quum novum cœlum & nova terra esset, ea non sunt statûs gloriæ cœlestis, sed pertinent ad regni Dei in terra illustrationem. 4. Quia omnia secundùm analogiam reliquarum prophetiarum & promissionum Dei significare possunt id, quod ante ultimum judicium futurum est. *Vidi mortuos*, h. e. homines mortuos in lapsibus & præputio carnis, qui hactenus non revixerant. ut est vers. 5. Christus Joh. 5: 25. *Mortui audient vocem filii Dei, &, qui audiverint, vivent.* Euangelium prædicatur mortuis. *Parvos & magnos*, omnis ætatis & dignitatis. *Stantes coram Deo*, ut judicandos. Nam *Euangelium regni prædicabitur in tota habitabili in testimonium gentibus.* Quando homo audit verbum Dei, stat coram Deo. *Et libri aperti sunt.* Sumtum ex Daniele cap. 7: 10. ubi non agi de ultimo judicio, apertum est. *Libros* intelligo scripturarum; in quibus Testamentum, lex & fœdus Dei. Alioqui, si eos libros non intelligimus, regula judicii hîc nulla erit. Deus judicat secundùm Euangelium. Rom. 2: 16. Hoc scriptum est. Nihil opus est *libros conscientiæ* intelligi. Quando dicitur, *secundùm opera*, nota ea esse, satis constat. Non memini me in scripturis observare, ullibi conscientiam *librum* dici. *Libri* igitur *aperti sunt.* Scripturæ scrutatio, & demonstratio ex ea magis magisque increbuit, mens scripturarum patuit magis magisque, & asserta adstructaque est ad convictionem conscientiæ; si quis vellet attendere. Sedens in Bestia etiam docuit & judicavit, sed non secundùm scripturas; verùm ut spiritum dictantem habens, & ex motu proprio, ut θέλων. Coloss. 2: 18. Judicium, quo judicantur mortui, ut stantes coram Deo, agitur ex scripturis: 1. Quia in eis sunt voces ipsius Dei, à Spiritu sancto dictatæ, quibus mortui compellantur. 2. Quia demonstratio sensus earum vocum fit per comparationem & sic analogiam & conspirationem verborum, quibus utitur spiritus, & rerum, quas loquitur. Rom. 12: 6. 1 Corint. 2: 13. 3: 11. 12. Qui ex Scriptura discit, ei θεὸς ἀποκαλύπτει, Philip. 3: 15. eum docet Unctio, 1 Joh. 2: 27. is est discipulus Jehovæ. Es. 54: 13. Joh. 6. 45. Ergo & is, qui audit Scripturæ voces & demonstrationem veritatis ex ea, ἐλέγχεται ὑπὸ τοῦ πνεύματος, *redarguitur à Spiritu*, Joh. 16: 8. *stat coram Deo* & ab eo

judi-

judicatur. Judicat Deus per verbum ſuum, judicant etiam fideles. Nam vel ſecundùm verbum Dei accipiunt fratres, vel non fratres repudiant, ne communicent cum eorum peccatis. Ita Eccleſia per confeſſionem veritatis condemnat falſitatem & impietatem. Sed ſtrictè, quum dicitur, *libri aperti ſunt*, ſignificatur inſtitutio & demonſtratio. Nam diſtinctè deinde *judicatio* memoratur.

Et liber alius apertus fuit, qui eſt vitæ. Liber vitæ agni eſt liber, in quo ſcripti ſunt, qui agno donati ſunt, ut vivificentur ab ipſo. Joh. 6: 39. *Aperitur* is *liber* & patet, quando, qui mortui ſunt in peccatis, per ſpiritum & verbum reviviſcunt; & ea, quæ viventium ſunt, dicunt & faciunt, malum autem fugiunt.

Et judicati ſunt mortui, qui non revixerunt, *ex ſcriptis in libris, ſecundùm opera ſua.* Qui enim non deſinunt facere opera mortuorum, judicantur ex libris & iis, quæ in iis ſcripta ſunt, quòd ſint mortui. *Opera mortuorum* ſunt partim interna, partim externa. Externa, dicere & docere mendacium, & à peccatis non abſtinere. Externa verò indicant animi habitum internum; quem Scriptura dicit eſſe in iis, in quibus non eſt fides in Deum & charitas erga omnes ſanctos. Matth. 7: 16. *A fructibus ſuis cognoſcetis eos*, h. e. ex *operibus*, dictis ſcilicet & factis. Summa huc redit: *Libri aperti ſunt*, h. e. indicatus eſt ſenſus Scripturæ, veritas demonſtrata eſt. *Liber vitæ apertus* eſt; patuit gratia Dei in audientibus, quoſnam dediſſet Chriſto Pater. Crediderunt, qui ad vitam æternam divina gratia ordinati ſunt, ſive in quibus Spiritus effecit, ut non ſe non dignos vita æterna judicarent. *Judicati ſunt mortui ſecundùm opera ſua.* Illi, qui in morte manſerunt, in conſcientia ſua damnationis ſententiam acceperunt.

Verſ. 13. *Et dedit mare mortuos, qui in ipſo* erant. h. e. mundus ſeparatus à terra, in qua verbum Dei auditur & agricultura fit ad fructificandum Deo, ſive populi alieni à nomine Chriſtianorum, non impediebant, quò minùs mortui ſui audirent verbum Dei & ex libris docerentur & vel vivificarentur per verbum, vel judicarentur.

Et mors atque infernus dedit mortuos, qui *in eis.* h. e. ipſe ille doctor, qui vocatus eſt *Mors*, & illa poteſtas, quæ dicta eſt *Infernus*, cap. 6: 8. non poterant impedire, quò minùs *mortui*, in quos antea poteſtatem habuerant, audirent verbum, & veritatem cognoſcerent, & per eam vivificarentur, qui ſcripti in libro vitæ.

Et judicati ſunt quiſque ſecundùm opera ſua. Vel audiens & credens Deo & ei confeſſionem reddens ore & opere accepit ſententiam juſtificationis; vel inobediens, & falſa loquens ac mala faciens, accepit ſententiam

condemnationis. Hoc est judicium Dei & Christi, quod peragitur in regno Dei, quo fit, ut justi cum bona conscientia accedant ad Deum, injusti, si non sentiant se damnatos, tamen *latitiam Spiritus & spem vivam*, ex verbo Dei & proinde auctore Deo, habere non possint. Quod judicium negatur ab iis, qui negant, posse fidelem habere bonam conscientiam coram Deo sive credere suam justificationem; &, qui negligunt scripturam & non in bona conscientia loquuntur & agunt secundùm ea, quæ scripta sunt in libris, censent fortasse posse salvos fieri. Qui negant, scripturam unicuique testari, sitne justus an injustus. Qui judicium & sententiam humanam requirunt, juxta quam dicendum & agendum sit. Ab hoc *judicio* distinguendum est *judicium*, quod facit Ecclesia. Cujus judicium nihil aliud est, quàm fidelis propositio divinæ legis & divini fœderis, & consolatio fidelium ac communio cum eis, publicum verò testimonium, quo declarat, se non velle cum aliorum peccatis communicare. Quod judicium si idem sit cum judicio, quod Deus agit per scripturam, ratum est & in cœlo: sin, est aberratio, quæ neminem vel obligat vel tertere debet.

Vers. 14. *Et mors atque infernus conjecti sunt in lacum ignis.* h. e. quisquis superierit, qui doceat errores veteres & in eis perseverabit, sive princeps solitus potestatem suam tradere doctoribus erroris, versabuntur in dolore & in cruciatu malæ conscientiæ; certè carebunt solatio tum bonæ conscientiæ tum prosperitatis in hoc seculo. *Hæc est mors secunda.* Sine dubio prima mors est ea, in quam conjecit mundum Adami peccatum. A qua omnes homines *mortui* dicuntur in hoc capite: quippe indigentes vivificatione Dei. Secunda mors similiter absque ullo dubio est, quæ primæ supervenit. Quæ est induratio in peccato aut reditus ad peccandum h. e. scandala docendum & faciendum, post auditum verbum Dei & agnitionem veritatis. Cum hac morte conjuncta est mala conscientia, spei carentia vel etiam desperatio in hac vita & perpetuus dolor post hanc vitam.

Vers. 15. *Et, si quis non fuit inventus in libro vitæ scriptus, conjectus fuit in lacum ignis.* Si quis non fuit propter meritum & postulationem Filii ex Testamento Dei vivificatus per gratiam, & donum Spiritus sancti accepit, ut converteretur ad Deum, is non pervenit ad vitam (tanta est impotentia, tanta pravitas mortuorum) sed incidit etiam in secundam mortem & dolorem, qui eam comitatur. Ita in his justum Dei judicium conspectum est, in illis περισσεία τῆς δικαιοσύνης *abundantia justitiæ* Christi & gratia Dei ac potentia Spiritus sancti.

CAPUT

CAPUT VIGESIMUMPRIMUM.

COELUM ET TERRA NOVA, HIERUSALEM NOVA.

1. Καὶ εἶδον οὐρανὸν καινὸν καὶ γῆν καινήν· ὁ γὰρ πρῶτος οὐρανὸς καὶ ἡ πρώτη γῆ ἀπῆλθαν· καὶ ἡ θάλασσα οὐκ ἔστιν ἔτι.

2. Καὶ ἐγὼ Ἰωάννης εἶδον τὴν πόλιν τὴν ἁγίαν, Ἱερουσαλὴμ καινὴν, καταβαίνουσαν ἀπὸ τοῦ Θεοῦ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, ἡτοιμασμένην ὡς νύμφην κεκοσμημένην τῷ ἀνδρὶ αὐτῆς.

3. Καὶ ἤκουσα φωνῆς μεγάλης ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, λεγούσης· Ἰδοὺ ἡ σκηνὴ τοῦ Θεοῦ μετὰ τῶν ἀνθρώπων, καὶ σκηνώσει μετ' αὐτῶν, καὶ αὐτοὶ λαοὶ αὐτοῦ ἔσονται, καὶ αὐτὸς ὁ Θεὸς ἔσται μετ' αὐτῶν θεὸς αὐτῶν.

4. Καὶ ἐξαλείψει ὁ Θεὸς πᾶν δάκρυον ἀπὸ τῶν ὀφθαλμῶν αὐτῶν, καὶ ὁ θάνατος οὐκ ἔσται ἔτι· οὔτε πένθος, οὔτε κραυγὴ, οὔτε πόνος οὐκ ἔσται ἔτι, ὅτι τὰ πρῶτα ἀπῆλθαν.

5. Καὶ εἶπεν ὁ καθήμενος ἐπὶ τῷ θρόνῳ· Ἰδοὺ, καινὰ πάντα ποιῶ. Καὶ λέγει μοι· Γράψον· ὅτι οὗτοι οἱ λόγοι ἀληθινοὶ καὶ πιστοί εἰσι.

6. Καὶ εἶπέ μοι· Γέγονε. ἐγώ εἰμι τὸ Α καὶ τὸ Ω, ἡ ἀρχὴ καὶ τὸ τέλος. ἐγὼ τῷ διψῶντι δώσω ἐκ τῆς πηγῆς τοῦ ὕδατος τῆς ζωῆς δωρεάν.

7. Ὁ νικῶν κληρονομήσει πάντα, καὶ ἔσομαι αὐτῷ Θεὸς, καὶ αὐτὸς ἔσται μοι υἱός.

8. Δειλοῖς δὲ καὶ ἀπίστοις καὶ ἐβδελυγμένοις καὶ φονεῦσι καὶ πόρνοις καὶ φαρμακοῖς καὶ εἰδωλολάτραις, καὶ πᾶσι τοῖς ψευδέσι, τὸ μέρος αὐτῶν ἐν τῇ λίμνῃ τῇ καιομένῃ πυρὶ καὶ θείῳ, ὅ ἐστι θάνατος δεύτερος.

9. Καὶ ἦλθε πρός με εἷς τῶν ἑπτὰ ἀγγέλων τῶν ἐχόντων τὰς ἑπτὰ φιάλας τὰς γεμούσας τῶν ἑπτὰ πληγῶν τῶν ἐσχάτων· καὶ ἐλάλησε μετ' ἐμοῦ, λέγων· Δεῦρο, δείξω σοι τὴν νύμφην τοῦ γυναῖκα.

10. Καὶ ἀπήνεγκέ με ἐν πνεύματι ἐπ' ὄρος μέγα καὶ ὑψηλὸν, καὶ ἔδειξέ μοι τὴν πόλιν τὴν μεγάλην, τὴν ἁγίαν Ἱερουσαλὴμ, καταβαίνουσαν ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ἀπὸ τοῦ Θεοῦ·

VERS. 1. *Et vidi cœlum novum & terram novam. nam primum cœlum & prima terra præterierant. & mare non erat amplius.*

2. *Et ego Iohannes vidi sanctam illam civitatem Ierusalem novam descendentem à Deo de cœlo paratam tanquam sponsam ornatam viro suo.*

3. *Et audivi vocem magnam ex cœlo dicentem: Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum ipsis, & ipsi populi ipsius erunt, & ipse Deus erit cum ipsis, Deus ipsorum.*

4. *Et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis ipsorum, & mors non erit amplius, neque luctus, aut clamor, aut labor non erit amplius, quia priora abierunt.*

5. *Et dixit sedens in throno, ecce nova omnia facio. & dicit mihi, scribe, quia hi sermones veri & fideles sunt.*

6. *Et dixit mihi, factum est. Ego sum A & Ω, principium & finis: ego sitienti dabo ex fonte aquæ vitæ gratis.*

7. *Qui vincit, hæreditabit omnia, & ego ero illi in Deum, & ille erit mihi filius.*

8. *Meticulosis autem & infidelibus & abominabilibus & homicidis & scortatoribus & idololatris & omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno, quod ardet igne & sulphure, quod est secunda mors.*

9. *Et accessit ad me unus illorum septem Angelorum, qui habebant septem phialas plenas septem plagis ultimis, & locutus est mecum, dicens, Adesdum, ostendam tibi sponsam Agni uxorem.*

10. *Et transtulit me in spiritu in montem magnum & altum & monstravit mihi civitatem illam magnam, sanctam illam Ierusalem, quæ descendebat ex cœlo à Deo.*

11. Ἔχουσαν τὴν δόξαν τοῦ Θεοῦ· καὶ ὁ φωστὴρ αὐτῆς ὅμοιος λίθῳ τιμιωτάτῳ, ὡς λίθῳ ἰάσπιδι κρυσταλλίζοντι·

12. Ἔχουσά τε τεῖχος μέγα καὶ ὑψηλόν, ἔχουσα πυλῶνας δώδεκα, καὶ ἐπὶ τοῖς πυλῶσιν ἀγγέλους δώδεκα, καὶ ὀνόματα ἐπιγεγραμμένα, ἅ ἐστι τὰ δώδεκα φυλὰς τῶν υἱῶν Ἰσραήλ.

13. Ἀπ' ἀνατολῆς, πυλῶνες τρεῖς· καὶ ἀπὸ βορρᾶ, πυλῶνες τρεῖς· καὶ ἀπὸ νότου, πυλῶνες τρεῖς· καὶ ἀπὸ δυσμῶν, πυλῶνες τρεῖς.

14. Καὶ τὸ τεῖχος τῆς πόλεως ἔχον θεμελίους δώδεκα, καὶ ἐν αὐτοῖς ὀνόματα τῶν δώδεκα ἀποστόλων τοῦ ἀρνίου.

15. Καὶ ὁ λαλῶν μετ' ἐμοῦ εἶχε κάλαμον χρυσοῦν, ἵνα μετρήσῃ τὴν πόλιν καὶ τοὺς πυλῶνας αὐτῆς καὶ τὸ τεῖχος αὐτῆς.

16. Καὶ ἡ πόλις τετράγωνος κεῖται, καὶ τὸ μῆκος αὐτῆς ὅσον ἐστὶ καὶ τὸ πλάτος· καὶ ἐμέτρησε τὴν πόλιν τῷ καλάμῳ ἐπὶ σταδίους δώδεκα χιλιάδων· τὸ μῆκος καὶ τὸ πλάτος καὶ τὸ ὕψος αὐτῆς ἴσα ἐστί.

17. Καὶ ἐμέτρησε τὸ τεῖχος αὐτῆς ἑκατὸν τεσσαρακοντατεσσάρων πηχῶν, μέτρον ἀνθρώπου, ὅ ἐστιν ἀγγέλου.

18. Καὶ ἡ ἐνδόμησις τοῦ τείχους αὐτῆς ἴασπις· καὶ ἡ πόλις χρυσίον καθαρὸν, ὁμοία ὑάλῳ καθαρῷ·

19. Καὶ οἱ θεμέλιοι τοῦ τείχους τῆς πόλεως παντὶ λίθῳ τιμίῳ κεκοσμημένοι· ὁ θεμέλιος ὁ πρῶτος, ἴασπις· ὁ δεύτερος, σάπφειρος· ὁ τρίτος, χαλκηδών· ὁ τέταρτος, σμάραγδος·

20. Ὁ πέμπτος, σαρδόνυξ· ὁ ἕκτος, σάρδιος· ὁ ἕβδομος, χρυσόλιθος· ὁ ὄγδοος, βήρυλλος· ὁ ἔνατος, τοπάζιος· ὁ δέκατος, χρυσόπρασος· ὁ ἑνδέκατος, ὑάκινθος· ὁ δωδέκατος, ἀμέθυστος.

21. Καὶ οἱ δώδεκα πυλῶνες δώδεκα μαργαρῖται, ἀνὰ εἷς ἕκαστος τῶν πυλώνων ἦν ἐξ ἑνὸς μαργαρίτου· καὶ ἡ πλατεῖα τῆς πόλεως χρυσίον καθαρὸν, ὡς ὕαλος διαφανής.

22. Καὶ ναὸν οὐκ εἶδον ἐν αὐτῇ· ὁ γὰρ Κύριος ὁ Θεὸς ὁ παντοκράτωρ ναὸς αὐτῆς ἐστι, καὶ τὸ ἀρνίον.

23. Καὶ ἡ πόλις οὐ χρείαν ἔχει τοῦ ἡλίου οὐδὲ τῆς σελήνης, ἵνα φαίνωσιν ἐν αὐτῇ· ἡ γὰρ δόξα

11. *Quæ habebat gloriam Dei. & luminare ejus erat simile lapidi pretiosissimo, ut lapidi Iaspidi Chrystallum imitanti.*

12. *Quæ habebat murum magnum & altum. quæ habebat portas duodecim, & ad portas Angelos duodecim, & nomina inscripta, quæ sunt duodecim tribuum filiorum Israel.*

13. *Ab ortu, porta tres. ab aquilone, porta tres. à meridie, porta tres. ab occidente, porta tres.*

14. *Et murus habebat fundamenta duodecim, & in illis erant nomina duodecim apostolorum agni.*

15. *Et, qui loquebatur mecum, habebat calamum aureum, ut metiretur civitatem & illius portas & murum ejus.*

16. *Et civitas quadrata jacet, & longitudo ejus tanta est, quanta latitudo. & mensus est civitatem calamo ad stadia duodecim millium. longitudo & latitudo & altitudo ejus æquales sunt.*

17. *Et mensus est murum illius centum quadraginta quatuor cubitorum, mensuram hominis, hoc est Angeli:*

18. *Et murus erat constructus ex Iaspide, civitas erat aurum purum, simile vitro puro.*

19. *Et fundamenta muri civitatis erant ornati omni lapide precioso. Fundamentum primum Iaspis: secundum Sapphirus: tertium Chalcedonius: quartum Smaragdus:*

20. *Quintum Sardonyx: sextum Sardius: septimum Chrysolithus: octavum Beryllus: novum Topazius: decimum Chrysoprasus: undecimum Hyacinthus: duodecimum Amethystus.*

21. *Et duodecim portæ duodecim margaritæ; quælibet porta erat ex una margarita: & platea civitatis aurum purum, ut vitrum limpidum.*

22. *Et templum non vidi in ea. Nam Dominus Deus omnipotens templum ejus est & Agnus.*

23. *Et civitas non habet opus solo & luna, ut luceant in ea. Nam gloria*

Dei

τ Θεῦ ἐφώτισεν αὐτὴν, καὶ ὁ λύχνος αὐτῆς τὸ ἀρνίον.

24. Καὶ τὰ ἔθνη τῶν σωζομένων ἐν τῷ φωτὶ αὐτῆς περιπατήσουσι· καὶ οἱ βασιλεῖς τῆς γῆς φέρουσι τὴν δόξαν καὶ τὴν τιμὴν αὐτῶν εἰς αὐτήν.

25. Καὶ οἱ πυλῶνες αὐτῆς οὐ μὴ κλεισθῶσιν ἡμέρας· νὺξ γὰρ οὐκ ἔσται ἐκεῖ·

26. Καὶ οἴσουσι τὴν δόξαν καὶ τὴν τιμὴν τῶν ἐθνῶν εἰς αὐτήν·

27. Καὶ οὐ μὴ εἰσέλθῃ εἰς αὐτὴν πᾶν κοινὸν, καὶ ποιῶν βδέλυγμα, καὶ ψεῦδος· εἰ μὴ οἱ γεγραμμένοι ἐν τῷ βιβλίῳ τῆς ζωῆς τοῦ ἀρνίου.

Dei illuminavit eam, & lucerna ejus Agnus.

24. *Et gentes eorum, qui ſalvantur, in luce ejus ambulabunt, & reges terræ ferunt gloriam & honorem ſuum in eam.*

25. *Et porta illius non clauduntur de die. Nox enim ibi non erit.*

26. *Et ferent gloriam & honorem gentium in eam.*

27. *Et non intrabit in eam omne polluens & faciens abominationem ac mendacium: niſi qui ſcripti ſunt in libro vitæ Agni.*

VErſ. 1. *Et vidi cœlum novum & terram novam. Nam primum cœlum & prima terra præterierant, & mare non eſt amplius.* Supra c. 20: 22. dicitur, quòd *terra & cœlum fugerint à conſpectu ejus, qui in throno candido conſedit.* Quo ſignificatur, quòd, ex quo Chriſtus incepit mundum clariùs docere per Euangelium æternum & illius illuſtrationem, atque errantes judicare ex iis, quæ ſcripta ſunt in libris Vet. & Nov. Teſtam. non tantùm Eccleſia fuerit educta ex Babylone, & ita cæperit liberari à jugo eorum, qui tanquam in cœlo ſedentes dictabant leges & pronuntiabant judicia; atque ita *cœlum novum* & *terra nova* inceperit fieri h. e. regnum cœlorum cæperit ſe puriùs & clariùs oſtendere in populo jugi & ſervitutis experte, & à dominis liberato: ſed etiam reliquiæ talis hierarchiæ tandem fuerint abolitæ in Eccleſia (de qua abolitione loquitur Eſaias cap. 24: 23.) imò etiam regnum adverſarium fuerit magis magiſque debilitatum & ita deſtructum, ut non ſimiliter, atque antea, regnaret. Hæc humanæ poteſtatis in Eccleſia abolitio pendet à dicto Hagg. 2: 7. quod repetit Apoſtolus Hebr 12: 26. 27. *Novi* autem *cœli* & *terræ* mentionem facit Eſaias cap. 65: 17. Sanè 2 Petr. 3: 13. fit mentio cœli novi & terræ novæ, in quibus juſtitia habitet, quos exſpectamus. Ex iis locis comparatis cum Hagg. 2: 7. ubi dicitur, *Movebo cœlum & terram*, patet, motum illum eſſe ſucceſſivum & paulatim diſtinctis partibus vel gradibus fieri, donec illa fiant, quæ nullo modo amplius ſunt movenda, ſed in æternum permanſura, abolitis omnibus principatibus & poteſtatibus terreſtribus. 1 Cor. 15: 24. Cæperunt vetera aboleri, quando principes & poteſtatem habentes in populo Judaico in cruce à Chriſto triumphati ſunt: item, quando in Eccleſia Chriſtiana deſiit ſacrificium & munus, h. e. gentes in præputio ſine onere legis cerimonialis ad communionem admiſſæ ſunt: item, quando thronus ſeniorum, qui nuncupabantur Dii, everſus eſt in deſtructione

ſtructione templi & urbis. Sed, poſtquam perſecutio ceſſaſſet, iterum ſunt collocati throni & quidam in illis conſederunt tanquam legiſlatores ac judices, atque exorta eſt Beſtia ſecunda ſedens in Beſtia prima, tanquam de cœlo loquens (Pſalm. 73: 9.) & ſic renovata eſt Beſtia, quæ antea (quum ſtaret reſpublica Iſraëlis) fuerat, quanquam annihilata eſſet. Oportuit igitur etiam hunc thronum de cœlo depelli, atque ita ſtatum Eccleſiæ alium fieri, hominibus ſcilicet in terra ſtantibus, Chriſto autem ſolo in cœlo ſedente. Ut eſt Pſalm. 115: 15. *O cœli*, h. e. vos, qui principes Eccleſiæ eſſe vultis, *cœli ſunt Domino*, h. e. Deus ſolus in cœlo ſedet, ut Rex. *Terram autem dedit filiis hominum*, h. e. omnium hominum eſt in pari libertate ad tribunal ipſius ſtare. Ad hoc autem, ut Eccleſia ſecundùm inſtitutionem Chriſti regatur, etiam paulatim procedi, vel ex Eſ. 24: 23. vel ex reipſa clarum eſt. Nam etiam in Eccleſia Reformata nondum ubique eadem regiminis forma eſt. Poſt hanc Eccleſiæ liberationem & ſubjectionem totius mundi ſupereſt adhuc alia novitas, cum delebitur & luctа peccati & mors. Quæ novitatis hic inchoatæ conſummatio & perfectio eſt. Et Petrus quidem de hac conſummatione loquitur. Eſaias autem & Apocalypſis de prædicatione regni per totum orbem, Matth. 24: 15. abolita contraria poteſtate. Eſaias cap. 25: 7. *Abolebit in monte hoc faciem veli.* Apocalypſis hic doçet; aliquando ita *cœlum novum & terram novam futuram* eſſe, ut *mare non ſit amplius.* In prima abolitione veteris cœli conjiciebatur magnus mons in mare, cap. 8: 8. Erat igitur *mare.* Poſtea *aſcendit Beſtia ex mari*, Apoc. 13: 1. & altera ex terra. Manet tamen *mare*, in quod etiam phiala ſecunda effunditur. Quando cadit Babylon & Sidus illud ingens de cœlo cadit, fit quodammodo novum cœlum: magis etiam in calcatione torcularis. Interim adhuc eſt Babylon & montes & inſulæ & mare. Deinde cadit Babylon, fugiunt montes & inſulæ & eſt *mare*, quod fit *vitreum* & igni mixtum. Tandem *non eſt mare amplius*, h. e. *omnes populi ſerviunt Eccleſiæ.* Dan. 7: 27. Apoc. 11: 15. & 15: 4. quippe non ſupereſt amplius populus, qui ſe à regno Dei ſeparet, in quo non fiat ſementis verbi & fructus ædificationis proveniant.

Verſ. 2. *Et ego Johannes vidi ſanctam illam civitatem Jeruſalem novam, deſcendentem à Deo de cœlo, paratam tanquam ſponſam ornatam viro ſuo.* Vidit Eccleſiæ ſtatum in hoc mundo ultimum, nempe quòd eſſet ornata viro ſuo, & parata in illius adventum. Vocat *civitatem ſanctam* propter ſanctificationem, quæ eſt in ſanguine & ſpiritu Chriſti. *Civitatem*, quia eſt multitudo regem habens, vinculo fidei & charitatis conjugata ad communionem maximorum bonorum. *Jeruſalem novam*, quia non eſt civitas terreſtris

terrestris ut Jerusalem, aut ita recta: neque est serva, sed libera, Gal. 4: 26. est tamen *Jerusalem*, quia sancti, qui olim Hierosolymæ Christum exspectarunt, partem in ea habent, & ad illos reliqui ex gentibus accedunt & Christus Hierosolymis revelatus, exuta veteris Hierosolymæ forma, rex in ea est. Dicitur *descendens à Deo ex cœlo*, quia porrigitur ex cœlo in terram, ut urbs aliqua, cujus arx & acropolis in fastigio montis sita est, domus autem civium in valle circumjecta: ita ut, qui in arce, &, qui in valle habitant, commeatum inter se habeant, aliquando ascendentes, aliquando descendentes. Talis civitas dicitur rectè *descendere de monte in vallem*. Confer cap. 3: 12. Equidem ignoro, quomodo id non de statu Ecclesiæ terrestri explicandum sit, sed de cœlesti. Quod de cœlo descendit, in terram utique descendit. Neque puto, dici civitatem hanc descendere de cœlo, quia Johannes ænigma hoc in terra videt. Id certè non potest dici in loco 2 Cor. 5. vers. 1. vel Apoc. 3. vers. 12. Quid multa? Negabimusne, in regno Christi esse eam ἀνακεφαλαίωσιν, qua terrena & cœlestia fiunt unum? Novum, quod hîc Johannes vidit in hac civitate, est ejus *ornatus*, tanquam *sponsæ*, nempe ut sint abolita omnia, siqua, scortationis. sic Es. 60: 22. *Populus tuus omnes justi*, h. e. non audietur in Ecclesia verbum falsæ justitiæ: ideoque omnes, qui ad Ecclesiam accedunt, tales erunt, ut sperari de illis possit, illos, ut credere, ita justificatos esse. Quando enim verbum hominum non amplius auditur in Ecclesia aut ullum assumentum humanum, spes est, eos, qui hanc confessionem in ore habent, justos esse, h. e. apud homines sunt irreprehensibiles. Deinde *præparatio tanquam sponsæ*, quæ scilicet jamjam sit deducenda domum. Ea est exspectatio resurrectionis mortuorum. Eam exspectationem Zacharias cap. 14. vocat *celebrare festum tabernaculorum*.

Vers. 3. 4. *Et audivi vocem magnam ex cœlo dicentem, ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum ipsis* (confer cap. 7: 15.) *& ipsi populi ipsius erunt, & ipse Deus erit cum ipsis, Deus ipsorum. Et absterget Deus omnem lachrymam ab oculis ipsorum* (confer cap. 7: 17.) *mors non erit amplius, neque luctus aut clamor aut labor, quia priora abierunt.* Hæc sanè in plenissima consummatione sunt vitæ alterius. Nihilominus tamen etiam in hac vita, propter rationem Novi Testamenti, habent suam veritatem: multò magis, quando Antichristus, qui vocatur *mors*, cessat esse potens & terribilis, & Ecclesia non metuit tyrannorum violentiam. Nam tunc revera *tabernaculum* Dei, Christus, *est cum hominibus*, & perpetuò manet cum ipsis, ita ut *populi ipsius*, non verò hominum subditi sint, qui ad Deum accedunt; tum *Deus est cum ipsis* in Christo, qui est Immanuel: tunc Deus *est ipsorum Deus*, qui ipsos justificat & vivificat, ut non moriantur: tunc cessant *Lacryma*,

quibus deplorabatur terræ corruptio; & *mors*, h. e. defectio & seductio & luctus ob vastitatem Ecclesiarum: *& clamor*, alios accusantium vel sese defendentium; & *labor*, h. e. molestia & difficultas in tollendis offendiculis. Hæc enim prioribus temporibus fuerant. Si hæc unicè & omninò velimus & contendamus de seculo futuro intelligenda esse, nulla erit alia ratio, quàm quòd putemus, nullo modo in hoc seculo Ecclesiam divina ἀναψυξις & consolatione potituram, ut hæc more metaphorarum Scripturæ de ea in terra adhuc versante dici possint. Quod est μετα αἱτημα.

Vers. 5. *Et dixit sedens in throno*; *Ecce nova omnia facio*, h. e. Deus per verbum suum faciet intelligere eos, qui signa temporis diligenter animadverterint & rectè deprehenderint, se in eo esse, ut omnia faciat nova, atque ita veracem esse & promissiones suas implere. Observa rursus, quòd jam Apostolus dicit 2 Cor. 5: 17. *Ecce omnia nova facta sunt*; qui tamen exspectabat dies alios. Nam videbat, non omnia præteriisse vetera, ita ut non essent. Jam denuò dicit hîc Deus: *Ecce facio omnia nova.* Quia ἀναλογίας progressus est. *Et dicit mihi: scribe, quia hi sermones veri & fideles sunt.* q. d. quantumvis magnum hoc videatur in oculis tuis, tamen ne dubites scribere, quia verè hæc venient.

Vers. 6. *Et dixit mihi: Factum est. ego sum* A *&* Ω, *principium & finis: ego sitienti dabo ex fonte aquæ vitæ gratis.* Verba Dei hæc sunt, quibus significat, omnia peracta esse, quæ debuerunt fieri. Nominatim se, qui cùm summus sit, factus sit infimus, cùm principium omnium sit, etiam jam finem esse, & omnia ad se revocare, ut gloriosus sit in suis. Præterea significat unicam rationem perveniendi ad consolationem & lætitiam; nempe, ut in homine quidem sit *sitis*, h. e. verus amor gloriæ Dei manifestandæ per misericordiam; ex parte Dei autem sit gratuita donatio: idque, quia Deus est A & Ω, & *initium* & *finis*.

Vers. 7. *Qui vincit, hæreditabit omnia, & ego ero illi in Deum, & ille erit mihi filius.* Pergit declarare bonum fidelium. *Qui vincunt*, h. e. qui superant ratiocinationes carnis, concupiscentiam suam, fraudem Satanæ, & metum, ut ex corde Deo credant, & ei perpetuò adhæreseant. Nempe, omnia ipsorum erunt. Quippe quia Deus erit *Deus ipsorum*, h. e. quod à fideli Deo rationalis creatura exspectare in hac vita prudenter potest, hoc ipsis fiet; & ipsi *erunt Deo in filios, ergo hæredes.* Rom. 8. vers. 17. Gal. 3. vers. 7.

Vers. 8. *Meticulosis* autem, qui dubitant vitam, fortunasque suas propter Christum projicere, aut aliquid pati propter veritatem; item, *infidelibus*, h. e. qui animas suas Deo non committunt, qui testimonium ejus non recipiunt; qui ipsi mentiuntur, & à veritate deficiunt, quando infestantur:

ſtantur ; item *abominabilibus :* quales ſunt omnes irregeniti , maximè illi, qui mendacium loquuntur in nomine Dei; & *homicidis* , charitate carentibus, fratres & ſervos Dei perſequentibus ; & *ſcortatoribus* , h. e. amicitiam hujus mundi æſtimantibus ; & *veneficis*, qui putant, à verbis & ritibus pendere juſtificationem ſive ſanctificationem hominis, ex opere operato, quemadmodum magi ſolent verbis & ritibus, fœdere cum Diabolo inito, per ipſius obſequium virtute humana majora efficere; & *idololatris,* qui, quod Dei eſt, tribuunt creaturæ, aut Deo non tribuunt eam majeſtatem ac gloriam , quam ipſe habet , atque ita deducunt Deum ad vilitatem creaturæ, quive Deum non colunt juxta præſcriptum verbi in fide, ſed, dum Deum volunt hic illic colere , ubi non dixit ſe futurum eſſe & adorari velle , ut cultores celſorum, Diabolum adorant cultus talis doctorem ; item *omnibus mendacibus*, h. e. vel veritatem non ex corde loquentibus, vel falſum veritati addentibus, vel veritatem abnegantibus lingua & corde. *Pars illorum erit in ſtagno* , vel *lacu, qui ardet igne & ſulphure.* Jam aliquoties dictum eſt, per hoc ſignificari cruciatus omnes malæ conſcientiæ & invidiam adverſus Eccleſiam : quæ mala in hac vita incipiunt , in gehenna conſummantur. Videtur autem Apocalypſis hoc ænigma ſumſiſſe ex Eſ. 30. verſ. ult. *Nam præparatum eſt ab heſterno Topheth*, h. e. inſtar loci illius fædiſſimi, & ſacrilegio, impuritate, & effuſione ſanguinis innoxii deturpatiſſimi, qui prope Hieroſolymam erat in Gehinnom : *Etiam illud (Tópheth* ſcilicet) *REGI præparatum eſt.* Certè non *regi* , de quo eſt Pſalm. 45. & 72. Ergo cui *regi?* Numquid omni regi, qui accepit poteſtatem à Deo, & miniſtravit Deo ? Ne illi quidem. Ergo *Regi* , h. e. homini, qui ſe dicit *regem* in populo Dei, quum non ſit *rex* ille *Dei*, *unctus ſuper monte ſancto Sion.* Pſalm. 2. *regi adverſario*, לְמֶלֶךְ יָרִיב , τῷ Ἀντικρίσῳ; & regibus ei poteſtatem ſuam dantibus. *Profundavit*, *dilatavit* h. e. illa vallis , ille lacus eſt profundatus & dilatatus. *Pyram ejus* quod attinet , eſt *ignis & ligna multa* , h. e. incendio non deeſt pabulum. *Halitus Jehovæ eſt tanquam torrens ſulphuris*, *quo ardeat*, h. e. tum conſcientia , quæ eſt lux Dei in homine, tum Dei ſanctitas & judicium , imò ipſa exiſtentia Dei æterna erit cauſa , quare impiorum cruciatus nunquam deſinat. *Quod eſt ſecunda mors* , nempe ardere igne & ſulphure in ſtagno iſto eſt ſecundæ mortis , h. e. defectionis à veritate agnita fructus & continuatio.

Verſ. 9. Hinc uſque ad verſ. 6. cap. 22. eſt deſcriptio *Hieroſolymæ* cœleſtis ſive *de cœlo deſcendentis* , quæ vocatur *ſponſa agni & uxor.* Ad eam videndam invitatur Johannes per Angelum unum ex ſeptem illis, qui habebant phialas plenas plagis ultimis.

Vers. 10. *Et transtulit me in spiritu in montem magnum & altum, & monstravit mihi civitatem illam magnam, sanctam illam Jerusalem* &c. similiter Ezech. 40: 2. statuitur in monte admodum. Locus civitatis est *magnus mons*, h. e. totus mundus sive tota habitabilis, quæ tota, propter eminentiam supra aquas, *mons* appellari potest, & propter diversas altitudines, *montes*. Ita Jon. 2. dicit se Jonas *descendisse ad aquamenta montium*. Ergo *mons* aliquis *magnus & altus* est emblema significans totum mundum. Dan. 2: 35. dicitur *lapis factus in montem magnum & altum, qui impleverit totam terram*. h. e. Christus factus in magnum populum, in toto mundo collectum. Populus & regnum dicitur *mons* per metaphoram. *Hierosolymam, quæ de cœlo descendit. Hierosolyma* dicitur, quia ejus præcipua pars sunt beati, qui Hierosolymis Christum exspectarunt & viderunt, & in quibus Christus Hierosolymis unctus est, per quorum verbum, quod Hierosolymis exivit, Ecclesia colligitur. *De cœlo descendens* dicitur, quia non est tantùm in cœlo, sed partem in justitiæ consummatione & in libertate & in lætitia habent cum cœlestibus sancti, qui sunt in terra. Sancta Civitas non *Roma* appellatur, sed *Hierosolyma de cœlo descendens*.

Vers. 11. *Quæ habebat gloriam Dei*, h. e. Deus ibi præsens erat cum omnibus suis divitiis & omni claritate. Vide vers. 23. *Et luminare ejus erat simile lapidi pretiosissimo, ut lapidi Jaspidi Crystallum imitanti*. Confer cap. 4. vers. 3. Deus est rupes, quia ipse est sine initio, sine fine, sine mutatione; & aliis omnibus rebus sustentaculum est, & tutissimus receptus fidelium. Ideò *lapidi* comparatur. Deus simplex est & purus; ideò lapidi limpido, qualis est *Jaspis*, non quivis (nam & crassiorem quidam autumant) sed *Crystallum imitans*. Nihil enim in Deo est difforme aut diversum, aut vanum vacuumque, ut in opacis corporibus; sed, quemadmodum limpida sunt maxime solida & sui plena atque similia, ita Deus *est, quod est*, & non est aliud atque aliud. Non est hoc & non-hoc. Deus est lux, quia æterna veritate cognoscibilis & sufficientissima bonitate amabilis intellectum & voluntatem satiare potest: ideò comparatur cum gemma, quæ suavem quandam lucem oculis offert, qualis est *Smaragdi* & *Jaspidis*. De quibus & cap. 4. vers. 3.

Vers. 12. *Quæ habebat murum magnum & altum*. Murus Ecclesiæ est id, quod Ecclesiam continet in unum, separat à mundo & insuperabilem facit. Dicamus, maximis rationibus videri hîc significari Spiritum sanctum, ut Spiritum Christi, qui fideles unit, separat à mundo, & conservat, & ipsam mortem vincere facit. *Quæ habebat portas duodecim, & ad portas Angelos duodecim, & nomina inscripta, quæ sunt duodecim filiorum Israël.*

Israël. Sic & in urbe Ezechielis. Qui jus habent intrandi in hanc civitatem, sunt filii promissionis atque adeò pertinent ad tribus Israël. Nam fideles tribuum Israël[e] sunt patres ipsorum, quemadmodum & Abraham: nisi quòd tribus Israël non generant gentes *ex testamento suo.* Ezech. 16. vers. 61. sed ex testamento, quod Deus patefecit Abrahamo Galat. 3. vers. 15. --- 18. in cujus statum tribus Israël non pervenerunt, nisi post mortem. Unde nos dicimur *filii Hierosolymæ cœlestis, non terrestris.* Galat. 4. vers. 25. 26. Portæ duodecim significant, vel, quòd Deus ex omnibus partibus mundi introducat cives & hæredes in eam civitatem; vel, quòd nulla tribus, nulla familia, nullus fidelis in Israële fuerit, qui non hanc civitatem possit habere pro sua generatione. Ita omnes vocamur filii Davidis propter promissionem ipsi factam de Christo & hæreditate ipsius, & propter fidem ipsius. *Angeli* duodecim significant ministerium Angelorum circa electos & ipsorum introductionem in regnum cœlorum, ut illam adjuvent & impedimenta ejus removeant, Satanæque imminenti resistant. Confer Matth. 24: 31.

Vers. 13. Tres portæ quatuor plagis mundi attribuuntur: quo significatur, apud Deum nullam esse distinctionem gentium, ex quibus vocare suos decrevit.

Vers. 14. *Murus habebat fundamenta duodecim, in quibus erant nomina duodecim apostolorum Agni.* Non Apostoli sunt fundamenta, neque plura sunt fundamenta; sed, quia Apostoli, tanquam sapientes artifices unum fundamentum collocarunt ad majorem firmitudinem, ideò & *fundamentum* hoc dicitur *fundamentum apostolorum*, Eph. 2. vers. 20. & unum fundamentum dicitur duodecim fundamenta.

Vers. 15. 16. 17. *Qui loquebatur mecum, habebat calamum aureum, ut metiretur civitatem & illius portas & murum ejus. Et civitas quadrata jacet: & longitudo ejus tanta est, quanta latitudo. & mensus est civitatem calamo ad stadia duodecim millium. Longitudo & latitudo & altitudo ejus æquales sunt, & mensus est murum illius 144. cubitorum, mensura hominis*, h. e. *Angeli. Calamus aureus est* verbum divinum, secundùm quod homines in conscientia judicantur pertinere ad hanc civitatem, vel non. Et *dimensio civitatis* nihil aliud est, quàm judicium de pertinentibus ad illam. Mensura hæc est *hominis, quæ & Angeli*, quia & *Spiritus, missus in nostra corda*, judicat, & cor nostrum judicat, Rom. 8. vers. 16. Magna est *longitudo & latitudo* civitatis; quia habitatio Dei sunt multa millia Psalm. 68. vers. 18. *Æqualis est longitudo & latitudo*, quia Dei misericordia in omnibus partibus mundi se æqualiter diffundit, licèt diversis temporibus. Confer Rom. 11. vers. 30. 31. 32. Numeratur mensura civitatis per duodecim

propter Prophetas duodecim tribuum & Apostolos, qui sunt quasi Angeli duodecim tribuum, quorum verbum est hæc mensura. Ita murus habet 144. cubitos, quemadmodum numerus Agni est 144. millia. Qui numerus ex multiplicatione duodenarii conficitur. Spiritus docens Ecclesiam & eam vivificans mensuram suam habet in verbo Prophetico & Apostolico. Quod autem civitas illa dicitur habere *eandem altitudinem cum longitudine & latitudine*, id intelligendum est, quatenus *descendit de cœlo*, & ita partim in cœlo, partim in terra est sita. Et hîc igitur calamus idem obtinet: quia non alia est justitia in cœlo, quàm in terra, nempe eâ, quæ Scripturis Propheticis & Apostolicis demonstratur.

Vers. 18. *Murus* dicitur *constructus ex Jaspide.* Qui est lux civitatis, est & murus civitatis. *Et civitas erat aurum purum similis vitro puro.* Est aurum pellucidum, quia in Deo est, & in imagine ejus sincera; & justitia divina abundat, & sic sine ruga & macula est coram Deo. Coloss. 1. vers. 22. Ephes. 5. vers. 27.

Vers. 19. 20. *Fundamenta* dicuntur omnis generis *lapidibus pretiosis esse ornata & ex iis constare.* Ideò dicuntur duodecim fundamenta, quia ex duodecim gemmis constabat fundamentum, & fortasse singulæ, constituentes partem fundamenti, omnium reliquarum gemmarum emblematis exornatæ fuerunt. Nobis difficile est de singulis gemmis dicere. Sufficiat, omnia Christi nomina, quæ in Scripturis continentur, & illas q. *cœlaturas*, quibus *lapis, positus coram Josua filio Jozadaci, insignitus fuit*, Zach. 3. vers. 9. esse splendidissimas gemmas, quæ Christum nobis faciunt manifestum, cujus merito & gratia Spiritus sanctus hanc civitatem, tanquam murus, ambit. Sufficiat, nihil de ullis gemmis tam præclarum dici posse, quod non in Christo majus cognoscatur: nullam esse lucem veritatis aut pulchritudinem decentiæ aut puritatem sanctitatis, aut jucunditatem bonitatis, aut firmitudinem soliditatis, aut virtutem potentiæ, quæ non in hoc fundamento sit.

Vers. 21. *Duodecim portæ, duodecim uniones* &c. Quia Christus est *porta*, & is *justus* est, rectè cum unione τρυπητῷ *perforato* comparatur. Christus autem est *porta* & *via*, quia non nisi in ipso ad sanctam civitatem aditus est. Qui in Christo est, in civitate est. In toto autem mundo Christus idem omnibus est, neque aliud præter se ostium ulli ostendit. Neque intra portam occurrit alius, qui sit tanquam porta altera, aut nomen alterum, in quo nos oporteat salvari; quemadmodum meretrix erat in Babylone Es. 66. vers. 17. *Qui se sanctificant & purificant ad hortos post unum in medio*, h. e. monarcham vicarium. Es. 57. vers. 8. *ponè*

januam

januam & postem posuisti memoriale tuum, h. e. Christo affinxisti verba tua, inter Christum & te posuisti imaginem tui, tanquam imaginem Christi. *Et forum civitatis aurum purum & vitrum pellucidum.* In foris conveniunt homines, & judicium agunt, & sua bona inter se communicant. Hîc judicium aureum, quia judicium Dei; & instar vitri limpidum, quia sincerum & ἀνυπόκριτον.

Vers. 22. *Et templum non vidi in illa*, hoc est, Ecclesia Novi Testamenti non respicit ullum locum in terra, quem Deus præ cæteris elegerit, ubi quæri & adorari velit; ubi sit altare, ubi fiant expiationes, ubi sit cathedra seniorum habentium potestatem in Ecclesiam. *Nam Dominus Deus omnipotens templum ejus est & agnus.* Olim dicebatur Deus in templo habitare, & templum illud vocabatur *sanctuarium*, מִקְדָּשׁ hoc est *locus sanctus*, vel etiam id, per quod terra Israël vocabatur terra sancta, & Israël vocabatur populus Dei: nunc autem Deus *factus est in sanctuarium*, Es. 8: 14. quia per ipsius inhabitationem in singulis fidelibus Ecclesia sanctificatur, & non per aliquid carnale ad *puritatem carnis* (Hebr. 9: 13.) & *Agnus*, quia ipse *factus est nobis à Deo sapientia, justitia, sanctificatio & redemtio.* 1 Corint. 1: 30. & ἱλαστήριον *propitiatorium*, Rom. 3: 25. ad quem accedentes invenimus Deum propitium in ipso. Nos in ipso sumus, & unum cum ipso sumus, & in ipsius cognitione, ut habitaculi nostri, beati, & in fiducia ejus securi ac tuti sumus.

Vers. 23. *Et civitas non habet opus sole aut luna, ut luceant in ipsa.* Etiamsi hic *sol* & hæc *luna* non essent, etiamsi Ecclesia illorum lucem videre non posset, quemadmodum in persecutionibus, incarcerationibus, aliisque vexationibus sæpe factum est; tamen non deest Ecclesiæ sua lux. Certè non indiget vel alio *sole* ad docendum, præter Deum, vel alia *luna* ad exhilarandum in nocte hujus vitæ. Quin etiam Es. 24. vers. 23. dicitur, aliquando *solem & lunam pudefactum iri*, *Deo regnum occupante*, hoc est, docentes & principes, sibi majorem, quàm fas est, auctoritatem & potestatem in Ecclesiam arrogantes, confusum iri. Quod autem Es. 30. vers. 26. dicitur, *quo die Deus obligaturus est Sionem, lucem lunæ fore instar lucis solis; & lucem solis fore septuplam*, id intelligendum est partim de eximia lætitia, quæ futura est in ἀναψύξει *refrigerio* Ecclesiæ; partim, quòd, qui docent & qui regunt, exuberantissimam afferent Ecclesiæ utilitatem. *Nam gloria Dei illam illuminat.* hoc est, verbum Euangelii, gloriam Dei explicans, lucet in cordibus ad amorem Dei & ad lætitiam & delectationem in ipso, & Spiritus eam veritatem per verba sua inscribens cordibus. *Et lucerna ejus est agnus*, nempe is factus est nobis *sapientia à Deo & justitia.* Quem qui novit, omnia novit, quæ ad salutem

necessa-

necessaria sunt. 2 Petr. 1. vers. 3. Confer Es. 60. vers. 19. *Et erit tibi Jehovah in lucem perpetuam, & Deus tuus ornamentum tuum.* Ex cujus loci parallelia apparet, quem Esaias *Jehovam Deum nostrum* vocat, ab Apocalypsi explicari *Deum*, Patrem scilicet, & *Agnum*. Quemadmodum Johannes Euangelii cap. 1. vers. 1. vocabulum אֱלֹהִים Θεὸς, quod est Gen. 1. vers. 1. explicat per ὁ Λόγος *Sermo*: & Paulus 2 Corint. 3. vers. 17. Vocabulum Κύριος *Dominus* exponit per τὸ πνεῦμα *Spiritus*.

Vers. 24. *Et gentes salutem obtinentium in luce ipsius ambulabunt, & reges terræ inferunt gloriam suam & honorem in illam.* Ex his verbis liquet, sermonem Apocalypseos esse de Ecclesia, non quatenus excludit militantem. Nam de seculo altero dici non potest, *Reges terræ inferre gloriam suam in civitatem Dei.* Nam tum introductio populorum, tum temporalia, ut divitiæ & omnis ornatus & commoditas corporalis, quæ à regibus exhiberi potest, quæ ipsorum gloria est, non habent locum in altero seculo. Non potest τὸ *inferunt* mutari in *intulerunt*. Et planè aliud est, *Reges terræ*, deposita gloria sua terrestri, erunt participes alius gloriæ; aliud, quod hîc dicitur; *Inferunt gloriam suam in illam.* Non dicit σωζόμενοι *ex gentibus*, sed *gentes* σωζομένων, quasi hæredes salutis in gentes distribuens; & sic interpretans promissionem factam Abrahamo, *in semine tuo benedicentur omnes gentes.* σωζόμενοι partim passivè explicandum est, quos Deus salvos facit: partim etiam reciprocè, q. d. הַנִּמְלָטִים: quod significat non tantùm, *qui evadunt periculum*, sed etiam qui *fugiendo* sive *confugiendo evadunt. In luce ejus ambulabunt*, vel quia ipsa lucebit verbo veritatis Es. 60. vers. 3. (nam, etiamsi verba veritatis etiam hypocritæ loqui possint, tamen est ea lux Ecclesiæ: quia, si fideles non essent, nec hypocritæ essent, aut verbum veritatis loquerentur) vel, quia id, quod illi lucet, gentibus etiam magis magisque allucebit, ut ad eandem lucem ambulent. *Reges* quoque ei ministrabunt, & Ecclesiæ erunt pro nutritiis sive curatoribus ac gerulis Es. 49. vers. 23. 60. vers. 3. 16. *Gloria regum* sunt populi ipsorum, quos introducunt, curando doceri verbum, & laudando eos, qui verum dicunt & bonum faciunt, & impediendo, qui contrarium faciunt. *Honor* regum est ipsorum majestas, justa potestas, divitiæ. *Eum inferunt*, quando sunt προστάται, defensores, & vindices veritatis & innocentiæ oppressæ, & terrore suo abigunt eos, qui Ecclesiæ sunt molesti. Es. 60. vers. 11. dicuntur *reges adduci*. Nam & hoc fieri assolet, ut, populorum conversione præcedente, reges pertrahantur in illam sententiam, ut judicent, sibi necessariò Ecclesiam defendendam esse.

Vers. 25. *Et portæ ejus non claudentur de die. Nox enim ibi non erit.*

Com-

Compara Esa. 60. vers. 11. *Et patebunt tuæ portæ semper die & nocte, non claudentur.* & vers. 20. *Non occidet amplius sol tuus & luna tua non auferetur, quia Jehovah tibi erit in lucem perpetuam, & consummabuntur dies luctus tui.* Esaias distinguit tempora consolationis, tentationis ac luctus, & rursus ablati luctus; illa vocans *diem & noctem*; hæc *perpetuum diem*. Sed, quia etiam ipse dicit, noctibus portas civitatis non iri clausum, gentes autem & reges adductum iri, quod sine luce fieri non potest, ideo Johannes dicit, *noctem non fore*, quia etiam in ipsa nocte non est nox. Sic Psalm. 139. vers. 11. dicit Ecclesia, *Dicebam, tenebræ comminuent me.* hoc est, ingruentibus tenebris, metuebam, ne exscinderer; *sed nox erat lux circa me.* Item vers. 18. *Evigilavi, & adhuc ego eram tecum.* hoc est, restituto mihi die, ablato luctu, vidi, & gavisus sum, quòd tibi adhæsissem in omni periculo, manu tua me perpetuò retinente. Psalm. 73. vers. 23.

Vers. 26. *Et ferent gloriam & honorem gentium in illam.* Apparet, Johannem allusisse ad dictum Es. 60. vers. 11.

Vers. 27. *Et non intrabit in illam omne polluens, & faciens abominationem ac mendacium, nisi scripti in libro vitæ agni.* Τὸ εἰ μὴ, potest sanè ex Hebraismo accipi pro ἀλλά: tamen etiam licet hic statuere hyperbaton, hunc in modum resolvendum: *non intrabunt, nisi scripti in libro vitæ agni. Ideo facientes mendacium non intrabunt:* quia hi in libro vitæ agni non sunt scripti. Nam, qui in eo sunt scripti, ad sanctificationem scripti sunt. Confer Es. 35. vers. 8. *Erit ibi agger & via, quæ vocabitur via sanctitatis, per illum*, nempe aggerem, *non transibit impurus, & ille ipsis erit proprius* &c. Es. 60. vers. 21. *Et populus tuus omnes justi.* Sed hoc pertinet ad illud tempus, quo separatio gentium à civitate sancta fit, quando verbum injustitiæ ab Ecclesia explosum & eliminatum est, ut, qui loquuntur verba Ecclesiæ, de iis spes sit, eos *justos* esse, imò ii ut fratres in domino recipi, & consolatione Ecclesiæ, suppositâ ipsorum fide, digni haberi possint.

CAPUT VIGESIMUM SECUNDUM.

1. Καὶ ἔδειξέ μοι καθαρὸν ποταμὸν ὕδατος ζωῆς, λαμπρὸν ὡς κρύσταλλον, ἐκπορευόμενον ἐκ τοῦ θρόνου τοῦ Θεοῦ, καὶ τοῦ Ἀρνίου.

2. Ἐν μέσῳ τῆς πλατείας αὐτῆς, καὶ τοῦ ποταμοῦ, ἐντεῦθεν καὶ ἐντεῦθεν, ξύλον ζωῆς, ποιοῦν καρποὺς δώδεκα, κατὰ μῆνα ἕνα ἕκαστον ἀποδιδοὺν τὸν καρπὸν αὐτοῦ· καὶ τὰ φύλλα τοῦ ξύλου εἰς θεραπείαν τῶν ἐθνῶν.

Vers. 1. *Et monstravit mihi purum fluvium aquæ vitæ, splendidum ut crystallum, egredientem ex throno Dei & Agni.*

2. *In media platea ejus & fluvii hinc & inde lignum vitæ faciens fructus duodecim, singulis mensibus reddens fructus suos: & folia ligni ad curationem gentium.*

3. Καὶ πᾶν κατάθεμα οὐκ ἔσται ἔτι· καὶ ὁ θρόνος τοῦ Θεοῦ καὶ τοῦ Ἀρνίου ἐν αὐτῇ ἔσται· καὶ οἱ δοῦλοι αὐτοῦ λατρεύσουσιν αὐτῷ.

4. Καὶ ὄψονται τὸ πρόσωπον αὐτοῦ, καὶ τὸ ὄνομα αὐτοῦ ἐπὶ τῶν μετώπων αὐτῶν.

5. Καὶ νὺξ οὐκ ἔσται ἔτι· καὶ οὐ χρείαν οὐκ ἔχουσι λύχνου καὶ φωτὸς ἡλίου, ὅτι Κύριος ὁ Θεὸς φωτίζει αὐτούς· καὶ βασιλεύσουσιν εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων.

3. Et omne anathema non erit amplius, & thronus Dei & Agni in ea erit; & servi ipsius servient ipsi.

4. Et videbunt faciem ipsius, & nomen ipsius in frontibus ipsorum.

5. Et nox non erit ibi: & non habent opus lucerna & luce solis, quia Dominus Deus illuminat eos: & regnabunt in secula seculorum.

VErſ. 1. Ad deſcriptionem ſanctæ Hieruſalem pertinet etiam fluvius aquæ vitæ limpidus & purus, manans de throno Dei & Agni. Hoc eſt Spiritus ſanctus (vide Joh. 7. verſ. 38. 39.) cum multis χαρίσμασιν exiens à Deo & Chriſto, imò à throno utriuſque, propter regnum, quod impetravit Chriſtus, & propter judicium, quod facit Pater, ut, pro quibus Chriſtus mortuus eſt, ii ipſius ſint, & ipſi dentur occupandi, tanquam ſua hæreditas. Conſer Ezech. 47. verſ. 1. & ſequentibus.

Verſ. 2. Oſtenditur, fluviam hunc fluxiſſe per forum civitatis & utrinque fuiſſe arbores frugiferas, dantes duodecim fructus, ſingulis menſibus ſuos, quarum *folia ſint ad ſanandum gentes*. Conſer Ezech. 47. verſ. 12. *Arbor vitæ* hic dicitur collectivè, quod apparet ex Ezechiele. Sed *arbor vitæ* alia eſt, quæ vitam in ſe habet & vitam dat; Apoc. 2. verſ. 7. alia, quæ vivificatur. Hîc poſſunt intelligi fideles, qui præter donum fidei etiam habent donum ædificationis. Iis non unus adſcribitur fructus, ſed quaſi quotidianus iſque varius, per ἐπιχορηγίαν, *ſuppeditationem*, Spiritus ſancti. *Folia non marcida*, notant totam converſationem ipſorum, quæ utilis eſt ad ſanandum gentes. Folia ſunt illa bona, quæ poſſunt eſſe communia regenitis & irregenitis. Ad quæ quum accedunt fructus h. e. verba & facta, quæ propria ſunt fidelibus, & ex corde bono procedunt, etiam folia ſunt ad ſanationem. Gentes, hypocritæ, irregeniti, poſſunt habere folia, ſed fructum non habent. Steriles & infrugiferi ſunt. Non ferunt id, quod Dei cibus eſt aut fidelium, h. e. quo Deus delectatur aut quibus conſcientia fidelium poteſt cum lætitia teſtimonium dare, tanquam verè bonis, à bono corde & à Spiritu ſancto profectis. Chriſtus Matth. 7: 16. diſtinguit in hypocritis & indutum ovium & luporum rapacitatem: tum deinde fructus & folia, ut in arbore. Significat, fieri poſſe, ut hypocritæ habeant aliqua verba fidelium & omiſſionem quorundam peccatorum & actiones quaſdam externas, quales ſunt conſidere & convivari cum fidelibus, vel etiam quædam utilia proximo facere. Sed negat, fructus fidei & juſtitiæ in ipſis reperiri, h. e. ea dicta, quæ teſtantur veram fidem in Chriſtum, & non præbent ſuſpicionem aliius fundamenti, quod ipſi ponant; & opera

veræ, enixæ & constantis charitatis erga proximum, quæ ab amore Dei procedat. Ita, ut in spinis non reperiuntur uvæ. Unde liquet, hypocritas habere quidem folia, sed folia spinarum, non folia vitium, non folia arborum viventium, quæ ipsa quoque sunt ad sanationem. Nam & externa illa non sunt ita vivida, ita perpetua, ita sibimet conformia: sed resipiunt originem suam, *consilium improbi*, carnalem concupiscentiam, cor duplex. Sed pii etiam conversatione sua honesta ædificant: ut non tantùm de omnibus, sed & de mulieribus, dicit Petrus epistola priore cap. 2: 12. & cap. 3: 1. quando scilicet sinceræ confessioni fidei consentaneæ sunt actiones totius vitæ. Potest etiam intelligi Christus *arbor vitæ* vivificans, qui ubique in civitate hac est obvius. Ita & *fundamenta* & *portæ* dicitur. Cæterum, quando dicitur, *folia etiam esse ad sanationem gentium*, non video, quomodo id referri possit ad statum gloriæ; ubi non est sanatio, sed sanitas & vita.

Vers. 3. *Et omne anathema sive devotum non erit amplius.* In republica Israëlitarum erant multi, qui erant rei חֵרֶם *exterminii* & נִדָּה *separationis* & חֵרֶם *excidii*: in nova Jerusalem id non obtinet amplius. Qui enim habet communionem cum ipsa per fidem, is nunquam in anathema & execrationem incidit. *Et thronus Dei atque agni in illa erit, & servi ipsius servient ipsi.* Non est hic thronus Mosis aut Aaronis, in quo sederunt seniores & sacerdotes, quibus serviebant olim Israëlitæ; neque ulla cathedra humana dominatrix hic est: sed est regnum Dei in Christo, & cives civitatis sunt servi Christi & non ullius hominis, eique soli serviunt, quæ vera libertas est.

Vers. 4. *Et videbunt faciem ejus; & nomen ipsius erit in frontibus ipsorum.* Non videbunt Christum per vicarium, neque aliud nomen præferent aut nominabunt tanquam auctoris credendorum, dicendorum, faciendorum, sperandorum.

Vers. 5. *Et nox ibi non erit.* Etiamsi tenebræ sint super toto mundo, tamen Ecclesia non habebit tenebras. Es. 60: 2. *Et non habent opus lucerna, aut luce solis.* Jer. 31: 34. *Non docebunt amplius unus alterum.* 1 Joh. 2: 27. *Non habetis opus, ut quis vos doceat, nisi quemadmodum unctio*, h. e. spiritus Christi regis, *vos docet. Quia Dominus Deus illos illuminat.* Es. 54: 13. *Omnes filii tui docti à Deo. Et regnabunt in secula seculorum.* Non fient servi hominum, ut suscipiant signaturam Bestiæ, aut imaginis ipsius. Quocirca, quum omnia hujus prophetiæ membra possint dici de statu fidelium Novi Testamenti in terra, & Scriptura passim *refrigerium*, & *corruptionem corruptorum terræ* pollicita sit, non dubitamus, quin descriptio *Hierosolymæ de cœlo descendentis* sit typus Ecclesiæ in nomine Christi collectæ, secundùm formulam verbi Dei; & revera repræsentet nobis fidelium congregationem libera-

tam à dominatione hominum & seductione seductorum, abundantem doctrina ex verbo Dei & cognitione, seque repurgantem à scandalis, zizaniis ab ea deficientibus & semet abscindentibus; Angelis autem Christi ex omnibus angulis terræ ad eam adducentibus electos. Qui typus Ecclesiæ nobis perpetuò ante oculos esse debet, ut in cœtu, in quo vivimus, veritatem, justitiam, fidem, honestatem omnem promoveamus & procuremus, ut eo elogio, quod hîc Apocalypsis magnificè proponit, dignus reperiri possit.

CLAUSULA LIBRI.

6. Καὶ εἶπέ μοι· Οὗτοι οἱ λόγοι πιστοὶ καὶ ἀληθινοί· καὶ Κύριος ὁ Θεὸς τῶν ἁγίων προφητῶν ἀπέστειλε τὸν ἄγγελον αὐτοῦ δεῖξαι τοῖς δούλοις αὐτοῦ, ἃ δεῖ γενέσθαι ἐν τάχει.

VERS. 6. *Et dixit mihi: Hi sermones fideles & veri: & Dominus Deus sanctorum prophetarum misit Angelum suum, ut ostenderet servis suis, quæ oportet fieri citò.*

7. Ἰδοὺ, ἔρχομαι ταχύ· μακάριος ὁ τηρῶν τοὺς λόγους τῆς προφητείας τοῦ βιβλίου τούτου.

7. *Ecce venio citò. Beatus, qui tenet sermones prophetiæ libri hujus.*

8. Καὶ ἐγὼ Ἰωάννης ὁ βλέπων ταῦτα καὶ ἀκούων· καὶ, ὅτε ἤκουσα καὶ ἔβλεψα, ἔπεσον προσκυνῆσαι ἔμπροσθεν τῶν ποδῶν τοῦ ἀγγέλου τοῦ δεικνύοντός μοι ταῦτα.

8. *Et ego Iohannes sum is, qui vidit hæc & audivit. Et, quum audivi & vidi, procidi, ut adorarem ante pedes Angeli, qui demonstrabat mihi hæc.*

9. Καὶ λέγει μοι· Ὅρα μή· σύνδουλός σου εἰμὶ, καὶ τῶν ἀδελφῶν σου τῶν προφητῶν, καὶ τῶν τηρούντων τοὺς λόγους τοῦ βιβλίου τούτου· τῷ Θεῷ προσκύνησον.

9. *Et dicit mihi: Vide, ne feceris. Conservus enim tuus sum, & fratrum tuorum prophetarum & servantium sermones libri hujus. Deum adora.*

10. Καὶ λέγει μοι· Μὴ σφραγίσῃς τοὺς λόγους τῆς προφητείας τοῦ βιβλίου τούτου· ὁ καιρὸς ἐγγύς ἐστιν.

10. *Et dicit mihi: Ne obsignes sermones prophetiæ libri hujus: quia tempus prope est.*

11. Ὁ ἀδικῶν ἀδικησάτω ἔτι· καὶ ὁ ῥυπῶν ῥυπωσάτω ἔτι· καὶ ὁ δίκαιος δικαιωθήτω ἔτι· καὶ ὁ ἅγιος ἁγιασθήτω ἔτι.

11. *Qui injustè agit, injustè agat amplius; & qui sordet, sordescat amplius: & justus justificetur amplius, & sanctus sanctificetur amplius.*

12. Καὶ ἰδοὺ, ἔρχομαι ταχύ· καὶ ὁ μισθός μου μετ' ἐμοῦ, ἀποδοῦναι ἑκάστῳ, ὡς τὸ ἔργον αὐτοῦ ἔσται.

12. *Et ecce, venio citò, & merces mea mecum, ut reddam unicuique, quemadmodum opus ejus erit.*

13. Ἐγώ εἰμι τὸ Α καὶ τὸ Ω, ἀρχὴ καὶ τέλος, ὁ πρῶτος καὶ ὁ ἔσχατος.

13. *Ego sum A & Ω, principium & finis, primus & ultimus.*

14. Μακάριοι οἱ ποιοῦντες τὰς ἐντολὰς αὐτοῦ, ἵνα ἔσται ἡ ἐξουσία αὐτῶν ἐπὶ τὸ ξύλον τῆς ζωῆς, καὶ τοῖς πυλῶσιν εἰσέλθωσιν εἰς τὴν πόλιν.

14. *Beati, qui faciunt præcepta ejus, ut sit eorum potestas in lignum vitæ, & per portas introeant in civitatem.*

15. Ἔξω οἱ κύνες καὶ οἱ φαρμακοὶ καὶ οἱ πόρνοι καὶ οἱ φονεῖς καὶ οἱ εἰδωλολάτραι, καὶ πᾶς ὁ φιλῶν καὶ ποιῶν ψεῦδος.

15. *Extra autem canes & incantatores & scortatores & homicidæ & idololatræ, & omnis, qui amat & facit mendacium.*

16. *Ego*

16. Ἐγὼ Ἰησοῦς ἔπεμψα τὸν ἄγγελόν μου μαρτυρῆσαι ὑμῖν ταῦτα ἐπὶ ταῖς ἐκκλησίαις· ἐγώ εἰμι ἡ ῥίζα καὶ τὸ γένος Δαυὶδ, ὁ ἀστὴρ ὁ λαμπρὸς καὶ ὀρθρινός.

16. *Ego Iesus misi Angelum meum, ut testaretur vobis haec per Ecclesias. Ego sum radix & genus Davidis, sidus splendidum & matutinum.*

17. Καὶ τὸ Πνεῦμα καὶ ἡ νύμφη λέγουσιν· Ἔλθε. καὶ ὁ ἀκούων εἰπάτω· Ἔλθε. καὶ ὁ διψῶν ἐλθέτω, ὁ θέλων λαμβανέτω τὸ ὕδωρ ζωῆς δωρεάν.

17. *Et spiritus & sponsa dicunt: Veni: & qui audit, dicat: Veni: & sitiens veniat, & , qui vult, accipiat aquam vitae gratis.*

18. Συμμαρτυρῶμαι γὰρ παντὶ ἀκούοντι τοὺς λόγους τῆς προφητείας τοῦ βιβλίου τούτου, ἐάν τις ἐπιθῇ ἐπὶ ταῦτα, ἐπιθήσει ὁ Θεὸς ἐπ' αὐτὸν τὰς πληγὰς τὰς γεγραμμένας ἐν τῷ βιβλίῳ τούτῳ·

18. *Contestor enim omni, qui audit sermones prophetiae libri hujus: Si quis addiderit ad haec, imponet Deus in ipsum plagas scriptas in libro hoc.*

19. καὶ, ἐάν τις ἀφέλῃ ἀπὸ τῶν λόγων βίβλου τῆς προφητείας ταύτης, ἀφελεῖ ὁ Θεὸς τὸ μέρος αὐτοῦ ἀπὸ βίβλου τῆς ζωῆς, καὶ ἐκ τῆς πόλεως τῆς ἁγίας, καὶ τῶν γεγραμμένων ἐν βιβλίῳ τούτῳ.

19. *Et, si quis abstulerit à sermonibus libri prophetiae hujus, auferet Deus partem ejus à libro vitae & civitate sancta & scriptis in libro hoc.*

20. Λέγει ὁ μαρτυρῶν ταῦτα· Ναί ἔρχομαι ταχύ· ἀμήν. Ναὶ ἔρχου, Κύριε Ἰησοῦ.

20. *Dicit, qui testatur haec: Na, venio citò. Amen. Na veni, Domine Iesu.*

21. Ἡ χάρις τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ μετὰ πάντων ὑμῶν. Ἀμήν.

21. *Gratia Domini nostri Iesu Christi cum omnibus vobis. Amen.*

Vers. 6. Hic incipit clausula libri, in qua primò sunt verba Angeli ad Johannem super veritate horum sermonum, & fine illorum; nempe ut *servi Dei sciant, quae oporteat fieri citò.* Ad cujus usus confirmationem repetuntur verba Christi

Vers. 7. *Ecce ego venio citò.* Addita suasione observandi sermones hujus prophetiae, sive retinendi in mente, & diligenter sequendi, sumta à beatitudine, quae connexa est cum ista observatione. Nempe, si quis teneat mente, 1. naturam regni Christi, 2. Tentationes Ecclesiae, 3. Naturam regni adversarii, 4. Liberationem Ecclesiae, 5. Destructionem adversariorum, cum triumpho Ecclesiae; & haec omnia vera side apprehendat: non poterit decipi & seduci, neque percelletur ac turbabitur: sed vincet & à Deo coronabitur.

Vers. 8. 9. Secundum in clausula est, quod dictum est Johanni occasione facti ipsius, qui *ad pedes Angeli procidit adoraturus.* Quem vetat Angelus hoc facere; argumento, quòd sit *conservus ipsius & fratrum ipsius prophetarum, & servantium sermones hujus libri.* Jubetque Deum adorare. Confer cap. 19: 10. Per quae docemur, adorationem neque λατρείας *cultûs*, neque δουλείας *servitii*, deberi creaturae; quippe cùm Angeli nihil sint, nisi σύνδουλοι *conservi.* Si autem Angelo praesenti non debetur δουλεία *servitium*, ne regnum Christi abnegemus, quod est regnum libertatis; multò minùs

Angelis non visis & spiritibus beatorum, tanquam scientibus ea, quæ in corde nostro sunt, impendenda est invocatio. Nedum ut intercessoribus. Sic enim ipsis essemus subjecti & ipsorum σύνδουλοι *servi*.

Vers. 10. Tertium pertinet ad libri hujus divulgationem. *Et dicit mihi.* Quia sequuntur verba, quæ partim possunt esse Angeli, partim sunt Christi, possumus verbum λέγει impersonaliter accipere, quasi dicat, *dictum mihi est.* Johannes in illa scena cœlesti variarum personarum, quas vidit, & verba audire potuit. Causa vulgandi est, 1. *Quia tempus prope est.* hoc est, imminet illa magna tentatio, tum à bello Draconis, tum à bello Bestiæ.

Vers. 11. 2. Quia hoc est judicium Dei, ut *injustus magis magisque injustè agat, sordidus magis magisque sordescat. Et contra justus magis justificetur.* hoc est, per fidem & illius exercitium & testimonium verbi habeat consolationem de justitia indies magis magisque exuberantem. Nam *justificatio* non tantùm consistit in reputatione justitiæ, sed etiam in declaratione reputatæ justitiæ. Sic Jacob. 2: 24. & Rom. 4: 2. *Et sanctus adhuc sanctificetur.* hoc est conservetur à deceptione & seductione, ne implicetur erroribus & peccatis, quorum diluvium multitudinem profitentium nomen Christi erat inundaturum.

Vers. 12. 3. *Quia Christus citò erat venturus.* h. e. quia ad spem fidelium facit, ut sciant, Christum non diu ipsos in tentatione relicturum esse; imò etiam, *quòd merces ipsius sit cum ipso, ad reddendum unicuique, quemadmodum opus ipsius erit.* Confer Es. 40; 10. Confirmat potestatem judicandi, & mercedem dandi.

Vers. 13. *Ego sum* Α & Ω, h. e. summus & imus, *principium & finis*, à quo & ad quem sunt omnia. *Primus & ultimus*, qui ante omnes est, & qui cum ultimis est, qui semper idem est, & eodem modo justificat; ante quem nemo auctor justitiæ nominatus est, & post quem nemo nominabitur. Es. 41: 4. & 43: 10. & 44: 6. 8. & 45: 5. 6. 21. 22. & 48: 11. 12.

Vers. 14. 15. Hic rursus loquitur Angelus publicans μακαρισμὸν eorum, qui faciunt præcepta Christi, & condemnationem eorum, qui ea non faciunt. Beatitudinem illorum in duobus ponit. 1. Quòd *habent potestatem in arborem vitæ*, hoc est, licet ipsis à Christo petere omnia, quæ ipsis sunt salutaria, donata per cognitionem ipsius. 2 Petr. 1: 3. 2. Quòd *per portas intrent in civitatem.* hoc est, quod revera pertineant ad civitatem sanctam, & de communione illius gloriari possint, non minùs quàm illi, qui per portas patentes in civitatem admittuntur; quippe qui in Christo sint, qui est *porta*. Condemnatio est *canum*, impudentium, voracium, Es. 56: 11. 12. Phil. 3: 2. *Incantatorum*, vide cap. 9: 21. *scortatorum, homicidarum, idololatrarum* (inter quos sunt etiam, qui Angelos adorant, sive eo cultu, qui soli

Deo

Deo debetur, ut notori cordium, sive honore ἀγλείας & fide intercessionis ipsorum) & *omnium*, *qui amant & facium mendacium.* Confer cap. 21: 27. De quibus pronuntiat, *quòd foris sint*, & ad sanctam civitatem minimè pertineant.

Vers. 16. 17. 18. 19. Quartum. Verba Christi, in quibus alloquitur Ecclesiam: ut in prophetiis sæpe ponitur sermo alius personæ, quasi præscriptum esset: *Audivi ista.* Verba autem hæc *primò* commemorant Christi beneficium. *Ego misi Angelum meum testari vobis hæc in Ecclesiis.* Ergo Ecclesiæ, ad quas scriptæ sunt Epistolæ hujus libri, figuram habent totius Ecclesiæ. 2. Asserunt Christi sufficientiam, ut objecti fidei. *Ego sum radix & genus Davidis*, hoc est, is, ex quo David est, & ex quo David vitam habet, & qui *dominus Davidis* est; & simul filius Davidis, factus sub legem, hæres omnium. Confer Apocal. 5. vers. 5. Es. 11. vers. 1. 10. Psalm. 110. vers. 1. Matth. 22. vers. 45. Prorsus cavendum est, ne dicamus, idem esse *genus* & *radicem*, quæ hic tam apertè distinguuntur. Neque Christus comparatur cum aliqua radice, quales multæ, jam nata arbore, in terra profunduntur; unde etiam arbor dicitur agere & prònittere radices: sed cum radice illa, sine qua non nascitur arbor. *Sidus illud lucidum & matutinum.* Non in obscuro locutus sum, quippe qui & antea locutus sum per prophetas, Es. 45: 19. & 48: 16. & nunc in fine temporis prioris manifestatus sum coram toto mundo; *matutinum Sidus*, quia lux Euangelii primùm prædicati procedente tempore magis magisque illustrabitur, adeo ut lucem & diem faciat in toto mundo. Ergo non opus est homine, qui doceat vos adhuc aliud, præter id, quod *audivistis & accepistis*; quasi ille magis sit stella lucida ac matutina. Est hic allusio ad cap. 14: 12. Es. ubi ironicè rex Babylonis spiritualiter nominatæ vocatur הֵילֵל בֶּן שָׁחַר *lucidum sidus matutinum.* Nam propriè sonat ἑωσφόρος ἢ ὀρθρινός. Hoc Christi nomen est non Babylonii regis aut ullius hominis. 3. Ostendunt indolem veræ Ecclesiæ. *Et Spiritus & sponsa dicit, Veni.* h. e. vera Ecclesia, quæ & sponsa Christi, desiderat esse cum sponso, & odit & abominationes & pompam hujus seculi, & desiderat adventum regni Christi ad abolendum regnum contrarium, & in ipsius adventu fiduciam habet; denique etiam Christo causa est, quare veniat, sive suis gemitibus Christum incitat ad veniendum. Eadem vox est *Spiritus*, quæ & Sponsæ: idem enim vult Spiritus, quod Sponsa vult, atque ita, dum Sponsa petit & ingemiscit, Spiritus pro ipsa postulat. Rom. 8: 26. 4. excitant & instigant audientes, ut dicant, *veni*: & *sitientes* invitant ad accipiendum *aquam vitæ gratis.* Hæc sunt oppositæ doctrinæ de *meritis.*

Vers.

Vers. 18. 19. 5. Contestantur tanquam per ἀρτιολογίας de perfectione hujus sermonis, cujus idea est in Apocalypsi & reliquis Scripturis, ne quis ad verba illa quicquam addat, vel ab illis detrahat. Est autem *addere*, aliquid non scriptum dicere, esse prudentem apud sese ad loquendum ac faciendum, quon non continetur in eo, quod scriptum est. *Detrahere*, aliquid scriptum negare. Et hic est modus disciplinæ, ut contestemur omnibus addentibus & detrahentibus, quemadmodum Christus hic contestatur. Quamvis enim fieri possit, ut quis opinetur, verum esse, quod falsum est, & ignoret aliquid, quod verum est (quippe indies proficimus & veterem hominem destruimus) & amore Christi ac verbi ipsius, & præparatione cordis ad credendum omnia, quæ scripta sunt, & oratione pro condonatione peccatorum suorum salvetur, ut per ignem 1 Cor. 3: 15. tamen, qui temere aliquid docet, quod Deus non dixit, cum detestatione proximi, qui ipsi contradicit, & qui præfractè abnegat, quod verum est, non nisi pro amatore mendacii & osore veritatis haberi potest. Vide vers. 15. *Tollet partem ejus à libro vitæ*, h.e. Christus delebit nomen ejus ex catalogo viventium, quatenus ipse sua professione id in eo catalogo scripsit, & omnis cognitio veritatis, quam habuit in hac vita, & in qua gloriatus est, ipsi cedet ad majorem confusionem: atque ita perdet hoc gaudium etiam, quam putavit partem suam esse, quod, audito sermone, concepit, Matth. 13: 20. Neque enim sequitur, eum, cujus nomen deletur ex libro vitæ, etiam scriptum esse in libro vitæ Agni, aut revera primæ resurrectionis participem fuisse.

Vers. 20. Quintum. Johannes omnia obsignat, 1. Repetens verba Christi, tanquam principium: *Dicit, qui testatur hæc; ita, venio citò.* 2. Subscribens sua fide & desiderio. *Ita, veni, Domine Jesu.* 3. Gratiam Domini Jesu omnibus adventum Christi ad regnandum desiderantibus comprecans. vers. 21.

FINIS.

IN.

INDEX
LOCORUM SCRIPTURÆ.

Geneſ.

Cap.	Verſ.	Pag.
XI.	1. 4. 5.	210
XV.	5.	131
XLIX.	9.	63
	12.	22

Exod.

XXIV.	11.	23

Deut.

XXIX.	4.	29
	18. 19.	96
XXXII.	3.	68
XXXIII.	19.	153

Pſalm.

IV.	8.	72
VI.	6.	73
XXII.	30.	141
XL.	8.	236. 239
LV.	10.	194
LXXIII.	22.	217
XCIV.	20.	199
CVII.	10.	31
CXV.	15.	264
CXXXIII.	1.	17
CXXXIX.	11. 18.	273

Prov.

VIII.	22.	52

Cantic.

I.	5.	179
III.	6.	30
VI.	2.	148
VIII.	11.	72

Eſai.

II.	4.	14
VI.	2. 3.	58
XI.	5.	238
	9.	225. 241
	10.	64
XIV.	20.	133

Cap.	Verſ.	Pag.
XIX.	1.	238
	20. 21.	183. 243
XXI.	6.	89
	16.	242
XXIII.	8.	231
	14.	38. 111. 179
	15.	199
	17. 17. 112. 145.	148
	22.	203
	23.	77. 271
XXV.	6.	242.
	7.	134
XXVI.	14.	42. 132. 231
XXVII.	4.	22
XXX.	26.	271
	33.	267
XXXIII.	7.	202
	11.	184
XXXV.	8.	44
XLI.	2. 3. 4.	60. 83
XLIV.	5.	42. ſeq.
LIII.	8. 10.	137. ſeq.
LIV.	9.	144
LV.	8.	138
	5.	30
LVI.	1.	195
	8. 9.	82
	11.	170
LVII.	8.	270
	19. 20. 21. 23.	109. 114
LIX.	20.	182
LX.	22.	265
LXIV.	9.	62
LXV.	11.	109. 147
	16.	234
LXVI.	17.	270
	18.	124
	21.	86

Jerem.

XVII.	3.	94
XXIII.	28. 29.	33

INDEX.

Cap.	Verſ.	Pag.
XXXI.	33. 34.	234
	38. 39. 40.	131
Ezech.		
XIV.	4.	3
XX.	29.	36
XXI.	31.	219
XXXIX.	2.	170
Dan.		
II.	33.	73
	34. 35.	132. 268
VII.	6.	154
	9.	22
	25.	141. 149
	27.	132
IX.	24.	94
	27.	143. 146
X.	3.	108
XI.	17.	176
	36. 37.	154. 157. 214
	38.	147. 208
	39.	125
XII.	7.	145
	10.	7
	11.	90. 149
Hoſ.		
X.	14. 15.	182. 184
XI.	8.	124
XII.	7.	71
Joel.		
IV.	4.	202
Zach.		
III.	8.	66
X.	2.	72
XI.	8.	93
	10.	70
XII.	10.	14
XIV.	2.	52. 109

Cap.	Verſ.	Pag.
II.		
III.		
V.		
VII.		
XI.		
XVII.		
XX.		
XXIV.		
Matth.		
	6.	126
	10.	71
	14.	24. ſeq.
	16.	259. 274
	12.	257
	28.	65
	30.	180
	20.	94
	26. 27. 28.	26
	8.	71
	12.	44
	13.	29
	14.	132
	64.	13
Joh.		
III.	11.	83
	30.	103
	33.	48
V.	27.	21
	30.	165
VII.	39.	11
IX.	7.	30
XII.	13.	140
XV.	1.	106
XX.	17.	12
Actor.		
III.	19. 20.	2
IV.	12.	153
VI.	5.	28
XX.	29. 30.	25. ſeqq.
Rom.		
VIII.	26. 27.	11. 57. 65
XII.	6.	4. 46
XVI.	25.	65
1 Corint.		
II.	8. 9.	62
IV.	8.	67. 130
	15.	26
VIII.	6.	10

Cap.	Vers.	Pag.
XII.	4. 8. 9. 11.	10
XIV.	32.	10
XV.	26.	31
	52.	91
2 Corint.		
I.	20.	52
IV.	4.	141
XII.	7.	140
Ephes.		
I.	22.	106
IV.	12.	139
Coloss.		
I.	16. 17.	11. 60
	24.	17
2 Thess.		
II.	3.	106
	4.	83
	7.	215. 254
	8.	38
1 Tim.		
III.	15.	19
2 Tim.		
III.	14.	40
Hebr.		
I.	6.	11
II.	5. 6. 7. 8.	64
	14.	142
III.	5.	2
IV.	12.	33
X.	5.	11
1 Pet.		
I.	10. 12.	1. 64
	13.	22
V.	1.	16
2 Pet.		
I.	20.	3
II.	15.	72
	18.	43
	19. 20.	52
	21.	44
1 Joh.		
II.	20. 27.	133
V.	20.	12
Judæ.		
	12.	31. 34
Apoc.		
I.	19.	17
V.	6.	10
VI.	11.	82
	14.	164
XII.	14.	175
XIV.	1.	84
	7.	198
XV.	2.	79
	8.	134
XX.	1.	79
	11.	79
XXI.	22.	87

INDEX
RERUM ac VERBORUM.

A.

Abominabile stupendum quod sit. 71. quomodo constituatur. 148
Abraham qui *pater Gentium & hæres mundi*. 67
Absinthium pro dogmatibus falsis. 95. quosnam populos infecerit. 96
Abyssus non semper notat mare. 106. quid sit. 123. quod Accepimus, cur retinendum. 45
Ἄδης. 73
Ἀδικεῖν quid. 83
Adonai quid connotet. 59
Adoratio grata fit in altari Dei. 120. creaturis non tribuenda. 277
Adventus Christi in nubibus præcedanea 10. efficit ut fidelis possit dicere: *Ecce venit*. 14. ejus adventus ratio quæ. 15
Affictio regnum Christi illustrat. 17. ex *ea* venire quid. 86
Agnus glorificatur in sedente in throno. 60. patientiæ & peccati est emblema. 65. *agnus* & *pater* unum sunt. 67. Agnus est princeps Angelorum. 68. ejus dignitas. *ibid.* Agnus non vivit in *habitantibus terram*. 160. ejus loquela. 165. Canticum est Euangelium. 186
Albor pacem, lucem notat. 69. seqq. sub *Altari esse* est adorare. 74. 119
Altare Ecclesiæ est Christus. 183
Ambulant cum Christo in *albis* fideles, quando iis pacem dat post persecutionem. 43. 49. 75
Amen adjuranti respondetur. 51
Amen approbationis est nota. 234
Amictum nube descendere quid. 114
Angeli Ecclesiæ sunt qui verbum Dei annunciant. 24. 78. Angeli nequiverunt *librum Dei* obsignatum solvere. 64. testantur Christi magnitudinem. 68. eorum princeps Agnus. *ibid.* officium. 68. 91. 140. angeli sunt *tuba Dei*. 91. angeli Satanæ ut occidant. 190. semper nocere parati. *ibid.* angeli Michaëlis ut prælientur. 140. angeli, quando invocantur, blasphemantur. 159. non sunt adorandi. 278. 235. de cordis statu judicant. 180. *Angelus aquarum* sunt Euangelii prædicatores. 196
Angliæ motus nuperi. 202. seqq.
Annus 1622. notabilis. 148
Antichristus qua ratione ad dominatus culmen pervenerit. 37. non statim post exortum aboletur. 38. Ecclesiam, sublato fundamento fidei, non intrasset. 40. per deceptionem in Ecclesia Dei. 97. nomen Antichristi Papis quando impositum. 78. ejus regnum multis modis in verbo Dei descriptum. 110
Antipas denotat eos, qui Filium Dei patri æqualem asseruerunt. 34
Antiquitas qualiscunque doctrinæ veritatem ejus non probat. 175
Aeror inquinamentorum ubertatem notat. 96.
Aperire ostium Christo quid. 54
Ἀπὸ in compositione perfectionem sæpe notat. 227
Apocalypsis quomodo prophetias V. Test. referet. 6. ejus revelatio Christo ob merita data. 7. est clarior futurorum indicatio. 8. scopus est, ut caveamus Bestiam & meretricem. 16. ad Ecclesias pervenit ad consolandum ac docendum. 19. ejus methodus. 62
Apocalypticæ visiones & præsentia & futura exhibent. 24
Ἀπωλεία est *mors secunda*. 32. 182. 253
Apostoli non nominarunt se *Dominos*. 16. ut *Patres* fuerint. 26. victoriam Christi annunciarunt. 63. judicant gentes & Bestiam. 190
Arbor vitæ quid ante & post lapsum significarit. 29. *arbores* pro potestatibus Ecclesiasticis & Politicis. 82. 93

Arcus verbum Dei est. 70
Ariana hæresis est *tuba tertia*. 96
Ariani *urso* comparantur. 154
Articulus additus in N. Test. sæpe individui vagi nota. 203
Asiæ Ecclesiæ 7. sunt figura omnis Ecclesiæ sub N. Test. 9. 11
Asiæ vox tripliciter sumitur. 19
Ascensio Christi in cœlum notatur. 65
Aspicere est fidei. 14
Assyrii quousque Europam intrabunt, nescitur. 200
Atrium exterius projicere quid. 119. seqq.
Auctoritas humana in Ecclesiæ regimine minime necessaria. 25. Papæ apud Reformatos ut evanuerit. 101
Audire verbum Dei est *coram eo stare*. 258

B.

BAbylon subito præter hominum opinionem cadet. 89. cur scortum dicatur. 176. cecidit, cùm in Concilio Tridentino veritatis professores expulsi sunt. 178. ab ea ob periculum exeundum. 179. 228. spiritualis cum Babylone vetusta comparatur. 210. 212. quando veritati resistit, judicium ejus maturescit. 226. primò quando cadat. *ibid.* est emporium. 227. ejus merces multæ sunt. 229. fructus judicii Babylonis est multorum conversio. 232. ex ea eductio populi facta est cum manifestatione throni Christi. 256. prædicatione Euangelii populus ex ea eductus est. 265
Babylonicum est unam civitatem propter nomen humanum eadem verba loquentem habere. 210
Balteus potestatis signum. 22
Barbari Christianos cingentes ut prohibiti. 82. regni Antichristi extensionem impediunt. *ibid.*
Belgarum cum Hispano pax. 49. angustia anno 1629. 255
Bella sunt tonitruum voces. 115. Religionis causa gesta. 111. 126. 182. excitarunt duo testes ascendentes in cœlum. 126
Benedicere sibi quid. 52
Bestia ex verbo Dei judicanda. 13. ejus adoratores cur *habitent terram*. 74. Rempubl. notat. 122. 213. ejus & sacerdotium & altare in Scripturâ diffamatur. 147. quo tempore prodierit. 148. est systema Bestiarum. 152. ejus blasphemiæ quæ. 153. rapax ac crudelis est. 154. morte Juliani sanata à vulnere. 155. abolitione imaginum vulneratur. *ibid.* non est Ecclesia. *ibid.* vi ac dolo belligerat. 156. desiit *facere* anno 1555. 157. scripturam blasphemat. quando inceperit revelari. capita 7. accepit, cùm Romanum imperium nomen Christi assumsit. 158. ejus character est *blasphemare* & velle *adorari*. 159. variis modis sanctos oppugnat & vincit. *ibid.* per *efficaciam errorum* ferè omnes gentes subjugavit. 161. potestas. 102. 161. 164. duæ simul sunt. 162. ejus blasphemia prima est hæresis Ariana. 163. Bestiæ secundæ ascensus est Hierarchiæ constitutio. 164. Bestia bestiæ juncta facit duplex regnum in uno. *ibid.* Bestiæ loquela. 165. ejus miracula quo spectent. 166. eam adorare quid. *ibid.* ejus *imago est Ecclesia Representativa*. 167. mercatura. 168. Bestiæ numerus. 169. est colluvies homicidarum. 197. ejus membra. 180. signaturam quis recipiat. 173. 180. cum ea scortatio multiplex. *ibid.* cathedram diversam habet à Dei throno. 199. ejus spiritus est cupiditatis rerum temporalium. 201. tempora mutat. 214. refert Judæos sub V. Testam. 214. 216. apud ejus adoratores vera sapientia non est. 215. Bestia non fallit cum, qui sapientiam Dei in Christo novit. 216. Bestia pro *montibus*. 217. ejus status instabilis est. 218. Bestia Protestantibus pacem invita dedit. 243
Bileami & *pseudoprophetæ* comparatio. 72. 167.
Blasphemus est, qui sine fide Christum nominat. 158
Blasphemare nomen Dei. 198. regnum cœli quid. 199

C.

Candelabrum è loco movere quid. 27
Canticum novum canere quid. 67. id quinam intelligant. 175
Caput terrestre Deus non constituit. 214
Caput in terra est ex vite Sodomæ. 106. Ecclesiæ abnegant, qui errores adorari volunt. 180
Caro Christi est templum Patri & Spiritui Sancto. 56
Carnale omne Christus crucifixit. 22. 36
Cauda pro falsis Doctoribus. 105. 111
Character Ecclesiæ veræ est φιλαδελφία. 48
Cherubini symbola beatorum in cœlis. 58
Chiliastæ refelluntur. 246. seqq.
Chiliades 7. possunt significare 7. ἀιωνίους. 126
Chœnix cibi diurni mensura. 72
Christus omnibus Ecclesiis adest. 9. tantùm *verba Dei* loquitur. 11. cur fidelis. 11. 52. primogenitus est dupliciter. 11. sua resurrectione *Deos dictos* exuit. 11. 21. est τὸ A. id est, summus. 15. 18. ob humiliationem est τὸ Ω. *ibid.* quia sponsor, etiam est judex. 15. est omnipotens. 16. monstrat suis viam. 18. est caput Ecclesiæ, quia primus. 18. cur hostes sibi subjiciat. 21. ejus vox nequit supprimi. 22. Ecclesiæ semper præsens. 25. ex verbo suo noscitur. 23. ejus gloria est, quòd corda scrutetur. 39. potens invictè est. 63. suis passionibus vicit. 64. major omnibus hominibus debuit esse. 64. diverso respectu est *agnus*, *serpens*, *hircus*. 65. *Radix Iesse & Davidis* quomodo dicatur. 64. ejus dignitatem bruta & homines testantur. 68. merita sunt thymiamata. 92. sanctorum preces per ea valent. *ibid.* est altare. 108. 183. Christus & Ecclesia quando demum regnent. 130. 252. seqq. in eo cum Deo unionem habemus. 134. cur gentibus traditus. 137. quo respectu *mactatus sit ante fundationem terræ.* 161. quomodo *imago Patris.* 167. ei omnia subjicienda. 164. est *arca testamenti.* 134. in membris patitur. 239. solus est *sermo Dei. ibid.* in Regibus ei servientibus coronatur. *ibid.* ejus labor est *calcare torcular.* 240. Christi corpus ei pro veste est. 241. est tabernaculum Dei. 265. vetera abolevit. 265. est *porta & via.* 270. 278. ei mentiri est dolus. 177
Christiani sunt fratres. 16. eorum confessionis summa. 17. primi temporis Christianorum elogia. 26. ut noscantur. 44. debent se ipsos excutere. 181
Cibus animi quis. 87
Cinctus promtitudinem agendi indicat. 22
Cingulum Christi quod. 22
Civitas magna. 34. 123. ejus Concilium. 124. habet decem regna. 126
Clavis Davidis. 48. *putei abyssi.* 100. 104
Cœlum vetus. 140. novum, quando factum. 22. 126. 256. cœli & terræ motus successivus. 263
Concilium supra Papam esse, Constantiæ & Basileæ statutum. 100. 124
Conjugium licitum est. 176
Conscientiæ malæ æstuatio. 122. 267
Conscientia bona qui careant. 260
Constantius omnia Christiano nomini subdidit. 34. gentilium persecutionem coërcuit. 96
Convivium cum Christo celebrare quid. 54
Cor quî aperiatur. 54
Cornua decem sunt totidem regna. 65. 126. 136. 152.
Corona fidelibus tuenda. 50
Cruciatus impiorum nunquam desinet. 267

D.

DAn (tribus) cur Apoc. 7. omittatur. 84. primus auctor idololatriæ in Israële fuit. *ibid.*
Denarius Matth. 20: 2. est operæ diurnæ merces: cum institor quando præbere inceperit. 72
Dæmones quis adoret. 112
Desertum est meretricis locus. 207
Deus semper idem. 10. propter apparitionem in carne forma humana se repræsentat. 56. ut se fidelibus ostendat. 57. eum qui glorificent. 59. ab eo qui remoti. *ibid.*

ibid. *Deus vivus* quid notet. 83. ejus gloria est verbum suum occultare. 91. ei cedere quid. 127. quî *in cœlis esse* dicatur. 189. *Deus suus* quid inferat. 234. Deus est *rupes.* 268
Diaboli ars. 44. cur Draco dictus. 136. ab eo est mors & regni Christi infestatio. 31
Dies decem pro 10. persecutionibus, vel 10. annorum persecutione Diocletiani. 32
Dierum 1260. initium & finis. 145. dies 1260. continetur in diebus 1290. 146
Δικαίωμα. 235
Dilectio Dei timori medetur. 23
Disputationes & lites sunt ulcera. 199
Doctores Ecclesiæ ab *omissam charitatem* reprehenduntur. 26. eorum officium. 42. 45. 195. ultimi temporis tepidi. 52. doctores falsi sunt locustæ. 102. *cauda.* 111. Doctorum vitia. 181. 195
Doctrinæ corruptio multa mala trahit. 44. secundam mortem. 97. est quarta tuba. *ibid.* Doctrinarum falsarum origo. 208
Dogmata Ecclesiæ qualia debeant esse. 45. falsa sunt *absinthium.* 96
Dominico die quid faciendum. 18
Domitianus etiam Nero nuncupatus. 17
Domum Dei quis idoneè ædificet. 181
Draco est homicida. 136. mortem Christi quærit. 137. statum Ecclesiæ cœlestis impugnat. 139. ejus Angeli ut prælientur. 140. per legem in cœlo habuit potestatem. 140. potestas. 137. 140. seqq. 165. notat Romanum populum à Diabolo agitatum. 154. ejus spiritus est spiritus homicidii. 201. eandem cum Bestia sedem habet. 217. ob mendacium *serpens priscus* dicitur. 250. vinctus non otiatur. *ibid.* quî fiat spiritus Antichristi. 251

E.

Ecce venit ostendit adventum Christi appropinquare. 14
Ecclesiæ Asiæ. 8
Ecclesia fide æstimanda. 13. Christianæ definitio. 17. 19. 24. elogium. 19. candelabra cur aurea. 24. constat ex vinctibus. 35. non est regnum visibile. *ibid.* veræ character est φιλαδελφία. 48. Ecclesia semper vigilat. 69. primitiva instar *Leonis* fuit. *ibid.* quando Israël sit. 85. in templum excrescit. 87. Ecclesiæ singulæ instar arcæ Noachi sunt. 94. Pax qualis Ecclesiæ Christi. 49. 77. 82. 100. ejus πολίτευμα in cœlis. 100. ob Christum Regem est civitas. 119. judicium Ecclesiæ. 120. 132. 251. vera est templum Dei. 134. cur sancta civitas. 120. sub V. T. spe parturiebat Christum. 135. 138. ejus status cœlestis. 139. terrestris. 138. ad eam dum gentes accedunt, alitur, dum recedunt, non alitur. 136. 144. seqq. per anathemata Concilii Tridentini expulsa est. 147. ubique adhuc debilis est. 149. *Ecclesia Representativa* in Papatu dicta est imago Bestiæ. 167. quî conspicua in mundo. 173. Ecclesia quando desierit nutriri à Gentibus. 178. ejus sanctitas non consistit in miraculis. 187. Ecclesiæ filii abominantur Bestiam. 214. Ecclesia, quando ex Babylone exiit, vicit. 221. Ecclesiæ veræ descriptio. 221. ejus corruptio in quo. 233. Christiana est libera. 235. Ecclesiæ in hoc mundo status ultimus quis. 264. Ecclesia N. T. non respicit ullum cultus divini locum. 271. caret tenebris. 275. Ecclesia scire potest, quando meretricis judicium instet. 223. tantùm agnoscit thronum Dei. 199
Eclipses naturales nil portendunt. 77
Edere de arbore vitæ quid. 29
Ægyptus v. *Sodoma* cur Roma vocetur. 124.
Electi soli intelligunt *canticum novum.* 175
Elias non exspectandus. 121
Emere Deo quid. 67
Enoch non veniet. 121
Ephesina Epistola post excidium Hierosolymæ scripta. 26
Episcopi debent esse fervidi. 53. non doctrinam veritatis damnare. 72. Episcopi 7 in Belgio ceciderunt. 127. eos Christus ad regimen Ecclesiæ ad tempus admovit. 162

Episcopatuum abolitio *stellis cadentibus* notata. 78
Equi qui. 238. pro fidelibus. 69. equi atror quæ significet. *ibid.* *Equus pallidus* plus mortis quam vitæ exhibet. 73
in Errore occallescere est mortis secundæ vis. 103
Euangelii veritas ex prophetiis probanda. 3
Euangelium Christi nequit supprimi. 22. ejus prædicationem comitatur gratia & ira. 32. puritas servanda. 40. sinceritas à variis sectis tentata. *ibid.* ejus βεβαίωσις est victoria. 70. antequam in toto orbe prædicetur, præcedit pugna populi & non-populi. 84. ejus vis in convertendis gentibus. 142. cur *æternum* dicatur. *ibid.* ejus lux instar ignis est. 186.
Eventus est interpres prophetiarum. 222

F.

Facere phrasi Heb. est facere sine impedimento. 156
Fides nostra de Patre, Filio, Spiritu Sancto. 12
ex quâ Fide Ecclesia æstimanda. 13
Fidei est aspicere. 14. ejus generositas afflictione patet. 17. *vincens fides* quærenda. 32. parva quid. 94. mortua *sanguis tanquam mortui* est. 195. oculo respiciente notatur. 58
Fideles servi Dei. 7. cur ab iis Deus cognosci voluerit. *ibid.* sunt sacerdotes & Reges. 12. 17. infidelibus quando misceantur. 37. eorum sinceritas in tentatione & corruptione abundantius noscitur. 37. nomina non delentur. 43. Fideles V. T. quomodo *una civitas*. 50. tam V. quam N. T. unum sunt. 58. cur sub V. T. debuerit lugere. 62. non intellexerunt prophetias, ut dignum eis erat. *ibid.* sub V. T. vincti. 63. Fidelibus certamina restant. 75. sunt sacerdotes perpetui. 86. quo pacto testentur. 121. eorum πλήρωμα est in cœlis. 129. eorum proprietas est Deum Christi Patrem fidei auctorem nominare. 173. sunt virgines. 176. seqq. terrena rejiciunt. *ibid.* sunt irreprehensibiles. 177. nomen Christi seriò profitentur. *ibid.* Fidelium sub. V. T. status. 62. seqq. 135. 138. Fideles prope ad Deum accedunt. 238. secundum verbum Dei judicant. 259
Fiducia emblemate Leonis significatur. 58. 63. 69.
Filius Dei corda scrutatur. 36. 39
Filii promissionis habent jus intrandi novam Hierusalem. 269. cur fideles sub N. T. Filii Davidis. 269
Flumina significant magnos exercitus. 149
in Fraternitatem qui possint assumi. 72
Fructus *Redemtionis* est quod sumus *Reges & Sacerdotes*. 67
Fructus laboris fidelium est credentium multiplicatio. 182
Frumenti emblema. 72
Fumus pro multitudine consentiente. 110. pro copia mendaciorum. 101. pro splendore externo. 191
Fundamentum fidei sub Antichristo semper servatum. 49. 97. aliud ponere est *vestes* maculare. 45
Furor adversus Euang. unde. 103. 197
Futura indefinite Deus enunciat. 4.

G.

גבר quid. 227
Gaudium super testium cæde. 125
Gentes Barbaræ adducendæ in medium Ecclesiæ Romanæ. 241. seqq. Gentes *fide* Israëlitæ. 84. non sunt pars templi. 119. super quibus gaudeant. *ibid.* earum convictio. *ibid.* corrumpunt Ecclesiam. 120. eam in deserto amplificarunt. 138. alunt eam, dum accedunt, & patiuntur electos accedere. 254. 144. seqq. earum ad Ecclesiam accedentium opinio. 148. quando non amplius eam nutriant. 178. 144. cur accesserint. 191. cur sanctos interficiant. 196. nos Christiani quomodo *Gentes* simus. 203. earum *resurrectio prima & secunda*. 153. 247.

Gerere in fronte & manu est talem se profiteri sermone & actu. 211
Gessius Florus pacem à Judæis abstulit. 70.
Gibellinorum & Guelphorum schisma quid significarit. 174
Gloria Christi quæ. 39. gloriam Deo quinam dent. 59. quod lupi cum ovibus habitent, gloriam Christi illustrat. 152
Gloriatio Papistarum falsa, se errare non posse. 198
Gog *tectum* notat. 255. ejus expeditio lata valde. *ibid.* reprimitur à Deo. 254
Grando incommoda notat. 93
Gratia & Pax, voces, quid valeant. 13
Græcia qua occasione à Turcis occupata. 167

H.

HAbitantes in terra terrena quærunt. 160. sunt vocati infideles. 129. pertinent ad Bestiam. 214
Hæretici nomen humanum sectantur. 28
Herodes Judicibus Judæorum auctoritatem ademit. 137
Hierarchia in Concilio Nicæno constituta. 26. 164. in quantum abolenda. 78
Hierosolyma nova è cœlo in terram extenditur. 50
Hierusalem adire cultûs causa est idololatria. 94. cum Hierosolymorum excidio multa bella jungebantur. 96
Hominis emblema. 57. 71
Honoris vocabula non improbanda. 85
Hypocritarum natura. 274

I.

IEsus suis ibus quâ ratione in cœlo aper-
Jesabel Achabi uxor qualis. 37. Jesabel fi- significat pseudoprophetas vel caput eorum. 37. in relatione ad mœchos mulier dicitur. *ibid.* quando in lectum conjiciatur. 38. ejus adulteri. *ibid.* ab ea multi pudore convictæ fallitatis recessere. 42. eam audire quid. 43. morte secunda necat. 73
Ignis pro vindicta. 166. pro charitate falsa. 110
Ignorantia quæ excuset, quæ non. 103
Imagines sunt idola. 37. quis colat. 112. earum veneratio damnata. 174. Adrianus secundus Papa eas restituit. 174
Imperium Christianorum in Græcia finitum quando. 242
Imperii Romani regiones septem sunt septem capita draconis. 136
Impletæ prophetiæ ab implendis distinguendæ diligenter. 4
Imperatorum 10. Ecclesiæ primæ persecutorum nomina. 136
Improbi semper Ecclesiam vexant. 109
Impuri non sunt in vera Ecclesia. 187
Incantatio quid: cum ea certorum verborum pronunciatum comparat Bellarminus. 112
Infernus notat Jesabelis adulteros. 73
Infideles sunt *gentes*. 119. à fidelibus ægrè distinguuntur. 120. secundum scripturas puniuntur. 112. Infideles quinam. 266
Institor trutinam cur habeat. 71. habet animum corrumpendi. 71. 94. est avarus. 72
Institores regnant cum Bestia. 96
Johannes quid in Euangelio, Epistolis, & Apocalypsi egerit. 8. ὁ θεολόγος dicitur, quod Filium Dei Deum dixerit. *ibid.* cur se fratrem dixerit. 16. Asiæ Ecclesias septem fecit depositarias Apocalypseos.

Judæum se dicere est dicere se de populo Dei esse. 49. Judæorum antistites triplici ordine erant. 93. eorum Reipubl. eversio. 94. 141. captivitas Babylonica qualis. 94. Judæi ob judicium ab eis ablatum Christum gentibus tradiderunt. 137.
Judicia Dei in mundo quæ. 57. judicium à Judæis ablatum instar tubæ primæ est. 93. Ecclesiæ est fideles ab infidelibus distinguere. 120. judicium Ecclesiæ in terris sit ex Scripturis. 132
Judicat Deus juxta Scripturas. 258. judicium Ecclesiæ quod. 260. Dei est αὐτοκέλευστον. 271
Julianus Bestiam qui vulnerarit. 155. ejus mors effecit, ut Bestia diceretur Ecclesia. 167
Juramentum judicium respicit. 52
Justitia est nucleus doctrinæ secundum pietatem. 241
Justificatio calculo albo indicatur. 35. in duobus sita est. 278

K.

Κωφοὶ ἀκουσθήτωσαν. 88
vox יְהוָה respondet יי Adonai & Jehovah. 59.

L.

Λαλεῖν significat etiam διδάσκειν. 165. 210
Legis vis populum Dei homini subjecit. 21. ejus servitus. *ibid.* lex ostendit homines inutiles ab promissa Abrahæ præstanda. 62. legis justitiæ revelatione noscitur Babylon, & fideles à meretrice discedunt. 226
Levitis quid commissum. 64
Liber Dei à fronte & tergo scriptus. 61. prophetiæ quando sit apertus. 61. 113. liber in manu sedentis in throno quid significet. 62. ex libro vitæ deleri quid. 43. 111. librum edere quid. 116. liber Dei, sigillis 7 apertis, apertus est. 113
Libertas sub N. Test. est, quòd fideles sint reges ac sacerdotes. 12. Ecclesiæ V. Test. victimis impediebatur. 142. libertas vera. 275
Locustarum potestas est homines torquere, sed. signatura Bestiæ notatos. 102. falsi rectores Ecclesiæ sunt locustæ. *ibid.* Locustæ sunt persecutores, hypocritæ, &c. 104. seqq.
Luctus fidelium sub V. T. unde. 63
Luna pro eo, quod solatur in mundo. 77. 135
Lutherus corpus Canonicum & Bullas Papæ publicè cremat. 101
Lux symbolicè veritatem, sanctitatem, lætitiam ac veritatis evidentiam indicat. 23
Lux nobis est Christus missione Spiritus Sancti. 65
Lux Ecclesiæ est verbum Euangelii. 271. seq.

M.

MActatio agni qui ab æterno facta. 161
Magog est, quod tegitur. 255
מָגוֹג quid. 106
Manna occultatum Christus. 35
Manifestatio nominis יהוה tria habet tempora. 10
Mare consistens mundi pacem notat. 58. 60. 79. mare pro extraneis ab Ecclesia. 114. 152. ejus coërcitio. 115. Mare pro barbaris. 195. ut coagulatum sit. *ibid.* pro maximo imperio: ut fiat ager. 152. ex mari ascendere quid. 152
Martyres suos Deus numeravit. 75
Mediatoris officium est *stare inter Deum ac homines.* 65
Membra Christi *fide & spe* gubernantur. 58. ad quid sanctificati. 22
Mendacia animum impurum reddunt. 208
Mendaces. 267
Mensis etiam tempore diluvii 30 dies habuit. 120. menses 42 sunt anni 1260. 128. 157.
Mentem Sp. S. in prophetiis quando deprederimus. 56
Mercatura Bestiæ. 168
Merces injustitiæ. 72
Meretrix in Ecclesia quando sedeat. 37. regum potentiâ formidabilis. 38. idem est, quod

quod Bestia secunda. 207. cum ea scortari quid. *ibid.* externa curat. 208. Babylonica est incantatrix. 112. auctor est scortationis spiritualis & corporalis. 212. ejus impuritates. *ibid.*
Meretrices titulum cellæ præscribebant. 209.
Merita Christi sunt thymiamata. 92
Michaël cur Christus dicatur. 140. intercessione sua præliatur. 140
Mille anni ubi inchoandi & finiendi. 253.
Ministri Ecclesiæ quomodo primatum affectare debeant. 26
Miracula Ecclesiæ. 41. Bestiæ. 166
cum Mœchis societas timenda. 39
Modii Zach. 5. emblema. 156
Montium ac petrarum imploratio. 79
Mons pro politia Israëlis. 94. pro Ecclesia. 173. pro toto mundo. 268
Montes sunt Bestia, sunt 7 regna. 217
Mors est à Diabolo: duplici ratione secunda dicitur. 31. secunda est defectio ab agnita veritate. 31. 32. 132. 260. 267. mors prima mundi est multiplex gentium corruptio. 31. mors prima hominis est communis lapsus. *ibid.* 260. mors secunda mundi est legis Bestiæ receptio. 31. accedit primæ. *ibid.* primâ periculosior. 95. dominatus secundæ post decem persecutiones incepit. 32. secundam qui effugere nequeant. 103. 122. mors secunda ubi regnat. 35
Mors pro Jesabele. 73. Mors & infernus juncta notant vim à luce separantem. 73
Mors Christi chirographum abolevit. 140. 142.
Mors agni sola vivificat. 160. efficax est ad terræ fundationem. 161
Mortem quando Christus [illegible] polleat.
Moses judicat incredulos. 2. ejus canticum est prophetia. 186
Mundus per hominem debuit judicari. 21
Myrrha pro patientia fidelium. 30
Mysterium coronæ Papæ olim inscribebatur; est memoriale ejus 4 modis. 209

N.

Νικόλαος est ὁ νικῶν τὸν λαόν. 28. significatu idem est, quod *Bileam*. 34
Nicolaitas odisse est Christo adhærere. 28
Nicolaitæ Papis dicebantur Episcopi, qui uxores ducebant. 28
de Nicolaitis veterum fabula. 28
Nigredo famem & maculam significat. 71
Nomen populi Dei falso potuit geri. 30
Nomen novum est nomen filii adoptivi. 35
Nomen viventis habere quid. 42. nomen dare Christo est id q. sua manu scribere inter vivos. 42
Nomen suum delere est ab agnita veritate deficere. 43. 47. 49. 160. Nomen suum Christus mutat per victoriam. 50. nomen novum Christi quando alicui inscribatur. 51
Nomen pro *hominum generibus*. 126. pro objectio fidei. 153. *blasphemia*. *ibid.* *Dei* quid. 158. nomen Dei glorificare quid. 188
Nomina fidelium è libro vitæ non delentur. 42
Nominibus propriis Spir. Sanct. docet. 30. 33
Nubes candida *potentiam ad pacificandum* indicat. 183
Numerus nominis Bestiæ ex variis nominibus conficitur. 169
Numerus comitum agni. 84. 169. 173. Ecclesiæ major Bestiæ. 169. Agni duodenarius. *ibid.* Bestiæ senarius. 170
Nundinatio civitatis magnæ. 168

Opibus terrenis gaudere est abnegare Deum. 156
Ordo temporum septies in Apocalypsi 20
Οὗτος de Deo quid notet. 188
Οὗτος 1 Joh. 5: 20. quo referatur. 12

P.

PApæ, qui se prophetam facit, majestas quâ occasione erecta. 34. seqq. Papa per Concilii Tridentini anathemata Protestantium secessionem confirmat. 100. Papæ potestas disputata. 100. 102. 164. auctoritas diminuta. 100. 104. seqq. Papa ut puteum abyssi aperuerit. 105. qui verus, qui falsus Rex. 106. est ὁ Ἀπολλύων. *ibid.* angelus abyssi. *ibid.* Quomodo declaretur Rex Regum ac Dominus Dominorum. 221. Quando se *Dei sermonem* esse jactet. 239. judicat ex motu proprio. 258
Papæ revelationem Antichristi instare dixerunt. 98
Papistarum ars in mendaciis propugnandis: papistæ ut se indignos vitâ æternâ judicent. 103
Passiones fidelium sunt reliquiæ passionum Christi: de iis Pauli regula. 17
Patientia myrrhæ similis. 30
Patientibus quid Christus proponat. 30
Patrum & Pædagogorum differentia. 26
ex Patribus Pontificii colligunt errores. 208.
Paulus ubique cum Pseudapostolis certavit. 26.
Pax Ecclesiæ promissa. 49. 77. 82. Protestantibus in Germania data. 75. 100. 109. 114. 129. 145. 157. Gandavensis quò spectet. 126. 145. 157. pacem à Judæis Gessius Florus abstulit. 70. 93
Pax Protestantium ob terrorem hostium evenit. 127
Pax cum Papistis non nisi per eorum resipiscentiam fieri potest. 100. Religionis justificat Reformatorum causam. 49. invitè data. 243. conjuncta cum consilio bellum inferendi Ecclesiæ. 145
Pax mundi mari vitreo notata. 186
Pax & gratia quæ indicent: pacem Dei quinam habeant. 13
Peccator apud Deum stare nequit. 23. odit Dei puritatem. 59. peccatori ignoranti ignoscendum. 103
Pædagogi ut agant: *in Christo* quando: affectant Dominationem. 26. seqq. sunt duplices. 105
Pergama Regia Asiæ: pro urbe dominante. 33
Persecutio spem erigit. 31
Persecutiones maximè Episcopis Christianorum evenere. 27
Πόλεις in Scriptura notat Respublicas. 203
Populus Dei homini necessariò subjectus. 21.
Potentia duo infert. 59. Babylonis Euphrates dicitur. 200. Dei ut catena est. 250
Potestas Christi. 40. ecclesiastica ministrorum ut in Ecclesiam invecta. 26. 164. omnis Christo data. 55. educendi ex morte & in eam conjiciendi Filio & Sp. Sancto competit. 249
Pontificiorum falsa gloriatio quæ. 198
Præcepta Dei tendunt ad hominis timorem. 29. Christi sunt consilia. 53
Prædicatione verbi sui corda Christus intrat. 54
Præsentia sua Christus carnale omne cremat. 22. 36
Preces in Christo. 67. sanctorum Christi meritis validæ. 92. Papistarum ad sanctos sunt fœtor. 110
Principes crudeles Lunam in sanguinem vertunt. 77
Principes Judæorum Draconem in bello adjuverunt. 140
Primasius quando vixerit. 167
Primatus affectatio quæ recta. 26
Profectum in cognitione & Spiritus novitate contemnere grave est. 53
Professionis fidelium summa. 17
Profunditates Satanæ. 39. 77. 105
Prophetæ N. Test. qui. 38. 46. 121. 133. 136. 196. propheta Christus. 38. prophetarum spiritus. 57. *prophetam se dicere* quid. 37. 38
Prophetia divinitatem Scripturæ probat: fidei

dei objectum continet. 1. in agnitionem Christi deducit. 2. sobrie meditanda. 3. 4. ejus impleta ab implendis diligenter distinguenda. 4. interpretanda juxta fidei analogiam. *ibid.* in explicatione conjungenda. 5. cur V. T. prophetia initio Apocalypseos repetatur. 5. de futuris ut tractanda. 61. 89. prophetia & Euangelium fit Canticum, si cum lætitia & gratiarum actione prædicentur. 187. ante implementum obscura. 61
Prophetiæ omnes terminantur in regno Dei. 129. cur scrutandæ. 89. eas scrutandi adjumentum. 91
Propheticus spiritus quo sensu rejiciatur. 3
Provinciæ 7. Belgii unitæ Philippum exauctorant. 127
Pseudopropheta quis. 121. 133. imitatur duos testes. 166. ejus spiritus est mendacii. 201. ejus dominationi non semel modus positus. 243
Puteus abyssi est potestas falsa docendi. 101

Q.

QUæstioni Pontificiorum, ubi fuerit Ecclesia ante Reformationem, quomodo satisfaciendum. 161
Quæstiones ineptæ sunt ut *ulcus*. 194

R.

REconciliationis Pontificiorum & Reformatorum consilium noxium. 228.
Rectores Ecclesiæ primæ pacem à Judæis abstulerunt. 70
Reformatio facienda juxta exemplar primæ conversationis Christianorum. 27. eam secuta est doctrinæ corruptio. 128
Rei interitus aliorum sunt, qui moribund
Regum fœdera sunt montium imploratione. 79
Regeniti non deficiunt. 253
Religio falsa est sulphur. 110
Regnum Christi adveniens tempore Johannis demonstrari poterat : consummatur adventu ejus in nubibus : Christus nunquam deponet. 14. Christi regnum *talari veste* figuratur. 21. est regnum pacis 3. de cautis. 58. regnum Dei cui competat. 60. 64. regnum Deus ab æterno erigere decrevit. 62. regnum in terra afflictione obtinetur. 68. Dei demonstratur ex prophetia. 113. prophetiæ omnes in regno Dei terminantur. 129. varios habet profectus. *ibid.* Regnum Dei ad quos perveniisse dicatur. 130. in Regno Christi est Bestiæ quales. 133. in regno Dei non differt servus à libero. 169. Regnum Dei non est cum observatione. 176. 191. in regno Bestiæ varia sunt dissidia. 194. Regnum Christi per gentes prolatum. 220. Regnum suum Christus justitia administrat. 238. Bestiæ & Christi distinguitur. 252. in regno Christi est *recapitulatio* terrenorum & cœlestium. 265
Regna humana vocat Scriptura θηρία. 216
Regnorum motus sunt *motus terræ*. 76
Resurrectio Christi probat, eum esse judicem. 16. 65. duplici resurrectione homo indiget. 253. resurrectionis instantis signum est sponsæ ornatus. 234
Resurrectio carnis unica est. 247
Revelatio futura respicit. 8
Rex falsus. 108. Locustarum est missus à Dæmone. 106

S.

ABbata numeratio temporis cessare

Sacrificium juge quomodo cæperit occultari. 148
Salus Dei quæ. 85
Sanatio cæci Joh. 7. quid indicarit. 30
Sanguinem bibere est ejus effusione delectari. 197
Sanctus ille cum peccatoribus perseverantibus fœdus non facit. 48
Sanctus est nomen omnis fidelis. 133. 188
Sancti 5 modis regnant in terra. 67. dudum oppugnati. 220. cur dicantur *timentes Deum*. 133. variis modis à Bestia oppugnantur & vincuntur. 159. sub N. Test. erant instar vigilum. 162
Sanctitatem, potentiam, veritatem Dei odisse est ab eo remotum esse. 59
Sanctificatio Spiritus nos facit unum cum Christo. 11
Sanctuarium terrenum respondebat cœlo. 189.
Sapientiæ Dei cognitio in cognitione Christi sita est. 215
Sapientia nostra quæ sit. 217
Sapientiæ salutaris pars est Bestiam nosse. 169.
Sardes Lydorum metropolis. 42
Sardius Christi innocentiam, fulgorem, misericordiam notat. 56
Satanæ artificium. 139. præcipuum. 154. an is ignorarit virginitatem Mariæ. 137. est Deus hujus seculi. 141. lege accusabat. 142. cur Draco magnus vocetur. 141. quamdiu locum in cœlo habeat. *ibid.* quomodo vincatur. 142. duplex regnum in uno effecit. 154. instigat gentes ad bellum Ecclesiæ inferendum. 254
Scholasticorum tricæ *ulcus*. 194
Scortari. 233. Spiritualiter. 37. Scortantur, qui diligunt terrena præter Christum. 177
Scortatio cum Babylone multis fit modis. 180.
Scriptura fugat præjudicia. 53. nequit sepeliri. 24. ejus potentia. 122. depravatio. 123. tota ob audientes sermonem Dei scripta. 161. Scrutatio & demonstratio est *libri Dei apertio*. 258
Scripturam Papistæ blasphemant. 101
Sectam facere est Nicolaitam esse. 28
Sedere est meretricum se prostituentiū. 207
Sepulchrum est carcer Diaboli. 31
Sermo Christi est sermo patientiæ. 49
Sermones sapientum sunt eorum doctrinæ. 210.
Servi vox debet semper notare studium serviendi per charitatem. 86
Sævitia est instar *capitis Leonis*. 110
Siccitas. 122
Sigillum quando solvatur. 61. sigilli sexti apertio facta est post pacem Ecclesiæ in Germania datam. 76
Sigillorum recluforum fructus. 68
Sigilla solvere quid. 62. 64. 69. 88. 89. septem totum N. T. tempus comprehendunt. 61. 68
Signa temporis in prophetiis determinandis notanda. 5. adventum Christi in nubibus probant. 16
Signaculum Dei est Scriptura. 82. internum est fides. 83. Bestiæ est lex ejus. 83. 102. signaculum Bestiæ recipere quid. 173
Silentium semihorii est apertio sigilli septimi. 89. in eo fideles sunt speculatores. 89
Sinceritas fidelium in tentatione & corruptione abundantius noscitur. 37
Sitis est ratio unica perveniendi ad consolationem. 266
Smaragdus. 57
Sol adulterinus doctor docens falsa. 77. in Concilio Tridentino niger factus. *ibid.* sitim excitat. 87. quando obscurus videatur. 97
Sol justitiæ à Papistis occultatur. 101. cur Christus sic vocetur. 241
Sol pro Euangelii prædicatione. 241.
Spes de simplicioribus ex Papistis. 40
Spes oculo antrosum spectante indicatur. 58
Spiritus Sanct. per Christum nobis donatur: *septem spiritus* est Spir. S. propter variam operationem. 10. ejus effecta in nobis. 11. 57. spiritus prophetarum. 57. ejus missio in nos est indicium amoris. 65. ejus missionem in Apostolos quid sit secutum. 92. est *ignis altaris*. *ibid.* ejus effusio est ignis conjectus in terram. *ibid.* ejus in mundo

mundo operatio tanquam *ignis*. 186. 250. ſpiritus ſanctificationis eſt à ſolo mediatore. 136. eſt *murus*. *ibid.* eum prophetæ ut habuerint. 236
Sponſoris eſt intercedere. 15
Stella pro Doctore. 24. 78. 85. cecidit. 95. 100. 104. 108. Stellæ pro Rectoribus Judæorum. 137
Stupendum abominabile. 147
Stultitia deponenda. 217
Sulphur pro ſpecie Religionis. 180

T.

Tabernaculum Dei qui. 158
Templum Dei eſt Eccleſia. 87. 97. illud metiri eſt ex verbo Dei judicare, qui fideles ſint. 119. aperire. 134
Tenere quod habemus quid. 40. 45
Tentatio non attendenti opera Dei ſubitò eveniet. 46
Terra pro orbe Chriſtiano. 82. 233. in terra ſtare quid. 100. ejus motus in variis partibus. 76. 77. terra ut corrumpatur. 233.
Terra ſancta erat pignus patriæ cœleſtis. 136.
Teſtes duo notant Moſen & Prophetas & Apoſtolos. 120. prophetant in ſaccis. 121. ſunt infallibiles. *ibid.* teſtium alter locutus eſt promiſſionem, alter Euangelium. *ibid.* veritatem dicunt. 122. ut occidantur. 123. quamdiu mortui fuerint. 124. ob eorum cædem lætari quid. 125. duo illi ſoli prophetare debent. 125. ac judicare. 126. aſcendentes in cœlum fuerunt occaſio multorum bellorum. 126
Thronus candidus quid indicet. 257
Thyatira pro Eccleſia immolata ac vexata. 36.
Timere Deum quid.
ſub Tuba ſeptima omnia conſummanda. 112. 116.
Turcarum progreſſus in Chriſtianos notabiles. 242
Tyrus Romam vel clerum Romanum notat. 222

V.

UBiquitatis dogma eſt novum extra ſcripturam. 42
Venefici. 267
Venti ſunt poteſtates mundanæ. 82. quid venti operati ſint. 84
Verbi Dei vis ad conſcientiam. 22. 33. prædicatione ejus corda Chriſtus intrat. 54. eſt *arcus*. 70. verbum Dei quomodo fiat intolerabile. 197. ſeqq. mirabile eſt. 119. illud profiteri eſt in fronte ſignum Dei habere. 102. ejus prædicatio facit, ut Reges oderint meretricem. 222. ejus efficacia ad turbandam Eccleſiam Romanam. 241. eſt calamus aureus. 269. verbo Dei nec addere nec detrahere licet. 280
Veſtis fidelium Chriſtus. 44
Veſtes maculare eſt facere ea, quæ fidem excludunt. 45. ſeqq.
Veritatis poſteris temporibus damnanda erat. 71. quomodo ea obſcuretur. 97. ei palam propoſitæ contradicere eſt nomen Dei blaſphemare. 198. ejus amor neceſſarius. 103. veritas cor purificat. 208
Verus ille duo indicat. 48
Vetus homo in morte aboletur. 240
Vetera Chriſtus abolevit. 265
Via ad cœleſte ſacrarium in V. T. fuit clauſa. 62. 237
Viæ Dei: quomodo juſtæ. 187
Viâ juſtitiæ Dominus noſcitur. 225
Victoria Chriſti. 64. de Satana eſt in merito Chriſti. 142
Vincere eſt fidem vincentem h[illegible] eſt

Vita Dei in quibus sit. 59. fidelis non est errantium irrisio. 44
Vitis ex agro Sodoma constat adulterino capite & membris. 183
Vivere est credere & amare. 42. 44
Ulcera mundi. 195
τὸ Ultimus quid. 278
Vocati qui dicantur. 221
Volatus *ὑπερμεγέθης* notat. 58
Volucres cœli sunt gentes rapaces. 242
Volucres & feræ ad cœnam Dei invitantur. 241.
Volucrium convivium est cædes & abolitio principum. 243
Votum obedientiæ notatur. 105
Vox Christi nequit supprimi. 22
Vox Sapientiæ & meretricis in mundo auditur. 206
Vox Christi è templo quando audiatur. 194.
Urbes laxato Reipubl. ordine cadunt. 203

W.

de Waldensibus Reinerii testimonium. 175. eorum vox. 98
Wiclefus & Hussus. 177

Z.

Zelus Dei facit, ut solus Christus in Ecclesia regnet. 183. Dei imposuit filio passiones. 240
Zelus ab inferno accensus. 110
Zizania cum frumento simile quid habent. 97.

ERRATA.

P. 11. l. 2. à f. lege *princeps* 34. 12. *à f.* Concilio 56. 2. videndum 57. 4. innocentiæ 60. 5. *à f.* producitur 78. 14. *à f.* se extulerint, 86. 3. enixum 11. Actor. 14: 22. 96. 5. doctrina 13. *pro* inter *leg.* & 14. *à f. dele* ut *ante* non 124. 15. ut in 17. capite 133. *l. 9. à f.* donorum. 159. 5. & non dicunt: 163. 15. *à f.* id aperuisse 165. 16. Joh. 5: 43. 171. 2. finitum 183. 7. Ita Apoc. cap. 9: 16. 17. 18. 186. 18. devoravit. 187. 8. *à f.* cum Christo 209. 10. habet *Nomen* 216. 8. *à f.* patriis 229. 17. vendit verbum 233. 13. *à f.* Annon ea, 255. 9. sibi 257. 18. 19. eam dicere esse 260. 17. terrere l. penult. *justitia*

FINIS.

VA1 1620888